

SUMMA THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ,

IN QUA

EX FIDEI LUMINE, S. SCRIPTURÆ Oraculis, Ecclesiæ Traditionibus, & Decretis, SS. PP. & Theologorum sententia, & rectæ rationis ductu,

RELIGIONIS CHRISTIANÆ MYSTERIA, Sacramenta, Dogmata, & præcepta breviter, & scholasticè explicantur, & propugnantur ad mentem Doctoris Subtilis,

A P. F. SEBASTIANO DUPASQUIER, Min. Convent. S. Theologiæ Lectore Emerito, Doctore, ac Provinciæ Seraphici S. Bonaventuræ Exprovinciali conscripta.




TOMUS VIII.

Tractat. XV. de Pœnitentia, Confessione, & Matrimonio.

Fr. Fernandi Minoris Joannis Sauro Justin Conventual



PATAVII, Typis Seminarii. MDCCVI.
Apud Joannem Manfrè.
SUPER. PERMISSU, ET PRIVILEGIO.



Lectori Benevolo.

ECce tibi, Frater chariſſime, curriculi noſtri Theologici, & Scholáſtici metam, & quatuor ultimos tractatus in hoc tomo octavo contentos. Utinam tibi arrideant, & proſint. Nulli in eis peperci ſtudio, nec labori; ſed neſcio, an tibi ſatisfecerit totum hoc, quod in me fuit, & quod *tuæ* dicavi eruditioni. Jam ab initio monui me Fratribus noſtris ſtudentibus ſcribere, non doctis; abſit à me tam enormis præſumptio. Quin potiùs ab his me profiteor dicendum, ut diſcipulum, & quæ ſcripſi, eorum ſubjeci cenſuræ, ut ſi quid peccavi, redarguant, ut dum vita permiſerit, retractem. Etenim, ut non ſemel confeſſus ſum, homo ſum, & nihil

humanum à me alienum puto: omnis autem homo mendax, & erroribus obnoxius, & in multiloquio non solet deesse peccatum. Quod si forte, inter satis multa, dixerim aliquid benè, à Domino Deo est, cui sit laus, & gloria in æternum. Vale, & pro me ora.

INDEX

INDEX

TRACTATUUM,

Diſputationum, & Quæſtionum, hujus VIII. Tomi.

TRACTATUS XV.

De pœnitentiæ virtute, & Sacramento.

DISPUTATIO I.

INDEX.

DISPUTATIO II.

DISPUTATIO III.

DISPUTATIO IV.

DISPUTATIO V.

DISPUTATIO VI.

DISPUTATIO VII.

DISPUTATIO VIII.

TRACTATUS XVI.

De Sacramento Extremæ unctionis.

DISPUTATIO UNICA.

TRACTATUS XVII.

De Sacramento Ordinis.

DISPUTATIO I.

INDEX.

DISPUTATIO II.

DISPUTATIO III.

TRA-

TRACTATUS XVIII.

DISPUTATIO I.

DISPUTATIO II.

DISPUTATIO III.


Q. IV.

DISPUTATIO IV.

INDEX.

DISPUTATIO V.

AD



AD RELIGIOSUM
LECTOREM

Monitum.



Abes hic, chariſſime Frater, diverſos Tractatus in unum Tomum collectos, quos, quia pro aliis deſtinaveram, non invenies fortè ſatis ordinatè poſitos ſecundum ordinem ſcholæ: non

non tamen nimium aberrant. Aliquos ex illis destinaveram pro Philosophia morali, si eam Scholasticæ, seu speculativæ, ut optaveram, adjungere licuisset: verùm aliter Deus disposuit, ita ut materias illas theologicè tractare debuerim. Igitur post tractatum de creatione rerum corporalium, ac de homine tam innocente, quàm peccatore, ac de peccato ejus, quod dicitur originale, adjunximus tractatum de ultimo ejus fine, seu de beatitudine naturali, & supernaturali. Tum de peccatis in genere, & in specie, ac denique de virtutibus moralibus, seu

car-

cardinalibus in communi, & in particulari.

Porrò quia ordo ſcientiæ poſtulat, ut præmittantur, quæ univerſaliora ſunt, & velut principia iis, quæ ſunt ſpecialiora, & ad ſingularia deſcendatur tractatus de actibus humanis, de conſcientia, & legibus videbantur præmittendi tractatibus de peccatis, & virtutibus, quia peccata, & virtutes ſunt habitus, & actus ſpeciales hominis, & ex illis regulis generalibus, tum internis, ut eſt conſcientia, tum externis, ut ſunt leges, pendet virtutum, vitiorum, & peccatorum ſcientia, ſive judicium. Sed

To-

Tomorum diſtributio ordinem illum parumper invertere coegit. Interim vale, & pro me Deum ora.

SUM-

SUMMÆ THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ TRACTATUS XV.

De pœnitentia virtute, & sacramento.

POEnitentia duplici titulo habet locum in Theologia, sc. virtutis, & sacramenti; sub primo poterat considerari cum aliis virtutibus moralibus, sub secundo habet quartum locum inter sacramenta nostra: sed sub utroque de illa hìc agimus, quia sub utroque hìc facit unum: nam in ratione virtutis est pars materialis intrinseca sacramenti. Ideo ab ea sub hac ratione inchoamus hunc tractatum.

DISPUTATIO PRIMA.

De virtute pœnitentiæ.

POEnitentiæ viam aperuit peccatum, quod sicut cum homine natum est in mundo, sic virtuti huic facit locum, & eam reddit humanæ saluti necessariam, ut quam singulis momentis perdit gratiam, & innocentiam homo, hanc per pœnitentiam, velut per unicum remedium, recuperet.

QUÆSTIO PRIMA.

An, & quid sit pœnitentia.

A *Punitione pœnitentia nomen accepit*, inquit Isidorus, *quasi pœnæ tenentia, dum ipse homo punit pœnitendo, quod malè admisit*. Et August. *Nihil aliud agit, quem verè pœnitet, nisi ut quod malè fecerit,*

rit, *impunitum esse non sinat*. Igitur pœnitentia ex vi vocis est quædam *pœnæ tenentia*, seu virtus, qua peccator inclinatur ad pœnam subeundam pro culpis suis.

Est autem vel *actualis*, sc. actus ille, quo peccator odit, detestatur, & punit in se peccata sua, vel *habitualis*, sc. habitus permanens in anima, & inclinans ad tales actus. Rursus alia est *interior*, quæ est motus spiritualis animæ, quo peccator inclinatur ad dolendum internè de peccato: alia *exterior*, scil. actus, quo peccator ad extra manifestat dolorem illum, & punitionem internam.

Ad pœnitentiam *internam* concurrunt 1. cognitio intellectus considerantis, & ostendentis voluntati enormitatem peccati. 2. in voluntate odium, & detestatio ejusdem peccati. 3. volitio, seu acceptatio pœnæ debitæ pro illo. 4. ejusdem pœnæ voluntaria perpessio. Ad *externam* verò concurrunt 1. externa peccati verecundia, & pudor. 2. actus omnis laboriosus, quo peccatum suum externè confitetur, & subit pœnam pro illo. Quæritur ergo, an detur talis virtus, & quid illa sit.

CONCLUSIO.

D*Atur pœnitentia*, *quæ est habitus inclinans hominem ad detestandum*, *& puniendum in se peccatum*. Est communis contra Lutheranos, & Calvinistas, qui aliam pœnitentiam non agnoscunt præter conversionem, seu amorem justitiæ, & morum mutationem.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui pœnitentiæ existentiam ubique supponit, & quatuor de illa definitiones tradit, juxta prædictos quatuor actus. 1. quæ propriè ad hanc virtutem spectat: *Pœnitentia est vindicare peccatum à se commissum in affectu*, *vel effectu*. 2. *est detestari*, *vel odire peccatum à se commissum*, *vel displicentiam habere*. 1. coincidit cum nostra.

Prob. 1. p. ex Script. Concil. & omnium Patrum, & Theologorum consensu ubique loquentium de pœnitentia.

Prob. 2. p. 1. quia ubique, etiam in Scriptura, fit mentio de pœnitentia sub illo conceptu, sc. doloris, ac

[1] d. 14. q. 1. S. 15.

ac detestationis de peccato, qui dolor est prima, & principalis pœna ejus. De Israelitis legitur, [1] quod *pœnitentia ducti super fratre suo Beniamin, universus Israel valdè doluit, egitque pœnitentiam*. Et Job, [2] *Ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cilicio*. Et Joannes in deserto, [3] *Pœnitentiam agite .... facite fructus dignos pœnitentiæ*. Et de Tyriis dicit Christus, [4] *In cinere, & cilicio pœnitentiam egissent*. Et de Ninivitis, *Pœnitentiam egerunt*. Et Paulus de Corinthiis, *Gaudeo, quòd contristati estis ad pœnitentiam*, &c. ergo ex Script. pœnitentia est virtus inclinans hominem ad dolendum, seu tristandum de peccato suo, & ad illud in se puniendum.

Prob.2. ex Conc. Trid. [5] loquente de pœnitentia prævia ad justificationem, cùm peccatores *moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam*. Et docet, *eam continere non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem novæ vitæ* (ut volunt hæretici) *sed veteris etiam odium*, &c. Et id probat ex Script. & exemplis Patrum: *Ex quo facilè intelligimus eorum pœnitentiam ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum detestatione manasse*. Et dicit [6] anathema docentibus, *duas tantùm esse partes pœnitentiæ, terrores scilicet conscientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Euangelio*, &c. Et definit [7] contritionem, quæ est primus, & principalis actus pœnitentiæ, *animi dolorem, & detestationem de peccato commisso*; & dicit eam parari per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, &c.

Prob.3. ex Patribus: nam inquit August. [8] *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet commisisse; item mores in melius commutare, & à factis malis recedere, nisi de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem*. &c. Et Isidor. cit. *Pœnitentia quasi punientia, eò quòd homo puniat pœnitendo, quod malè admisit .... Est dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commisisse .... Est pœnitenda non committere, vel admissa deflere*. Et Ambros. [9] *Pœni-*

[1] *Judic.2.* [2] *Job 42.* [3] *Mat.3.* [4] *Luc.11.*
[5] *sess.6.c.6.* [6] *sess.14.c.4.* [7] *can.4.& 5.*
[8] *de ver.& falsa pœnit.* [9] *serm 40.*

nitentia est amaritudo animæ, & dolor cordis pro malis, quæ quisque commisit. Idem docent communiter alii Patres; ergo vera pęnitentiæ ratio consistit in hoc, quod inclinet hominem ad punienda in se peccata.

Prob. denique: nam ex omnium sensu, etiam hæreticorum, nomen pœnitentiæ significat correctionem perfectam vitæ, sed hæc correctio non est perfecta sine odio, & detestatione peccatorum, & aliqua eorum punitione voluntaria; ergo pœnitentia rectè describitur habitus inclinans hominem ad detestandum, & puniendum in se propria peccata.

Dixi 1. *habitum*; quia hic loquimur de pœnitentia habituali, & permanente; & hinc facilè colligis, quòd pœnitentia actualis est actus, quo sic detestamur, & punimus in nobis peccata nostra. 2. *quo inclinamur ad detestandum, & odiendum peccatum*; & id spectat ad rationem genericam virtutis. Nam singulæ virtutes oderunt actus sibi contrarios. 3. *ad puniendum in se proprium peccatum*; & in hoc sita est propria differentia ejus ab aliis virtutibus. Licèt enim omnes oderint peccata, & vitia sibi contraria, id faciunt tam in aliis, quàm in ipsis peccantibus, & non curant de vindicta, & punitione, modò vitentur de præsenti, & in futurum. At illa detestari, & punire in ipso peccante proprium est solius pœnitentiæ.

Objic. 1. Pœnitentia dicitur Græcè μέθανία, & significat resipiscentiam; sed hoc non importat ullam punitionem de præteritis; ergo nec pœnitentia. Prob. maj. ex Tertull. [1] *Per pœnitentiam nihil aliud intelligitur, quàm simplex conversio sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehensione ejus possit admitti, etiam in homine, nedum in Deo, cujus omnis sententia caret culpa. Nam in Græco sono pœnitentiæ nomen non ex delicti confessione ex animi demutatione compositum est*; ergo pœnitentia nullam dicit pœnam, alioqui non esset in Deo, ut supponit Tertullianus.

Resp. dist. maj. Pœnitentia generalissimè, & impropriè, conc. specialiter, & propriè, neg. maj. & cons. nam pœnitentia non dicitur de Deo, nisi valdè impropriè, quatenùs iniquitas hominis dat ei motivum pœnitendi de bonis illis collatis, licèt alioqui Deus sit in se incapax talis mutationis. *Evenit enim in bonis factis pœni-*

[1] *2. cont. Marc. 20.*

pœnitentiæ confessio, ad invidiam, & exprobrationem ejus, qui beneficii ingratus extitit, ait ipse Tertull. At pœnitentia vera significat dolorem intimum de proprio peccato.

Objic.2. Contritio, & attritio sunt veri actus pœnitentiæ; sed in his nulla est pœna; ergo nec in pœnitentia; ergo hæc non est punitio peccati. Prob. min. Nam ex August. *Pœna est disentio ab his, quæ nobis nolentibus accidunt*. Sed contritio, & attritio non accidunt nobis nolentibus, sed volentibus liberrimè; ergo nihil habent pœnæ.

Resp.1. neg.1.min. & dist.2. maj. quæ nolentibus in se, vel in causa, con.maj.& neg.min. absolutè,& semper, neg.maj. Contritio est de peccato, quod jam displicet, & sic contritio est de re nolita,& quidem summè nolita, & displicens; & sic contritio, vel attritio est pœna in sua causa, sc.in peccato.

Dixi, *absolutè loquendo*, majorem esse falsam: nam ex D.Bonaventura pœna potest esse voluntaria. 1. *assumitur à voluntate imperante, ut est pœna pœnitentialis*. 2. *quia sustinetur à voluntate acceptante, ut pœna martyrii*. 3. *quia sustinetur à voluntate tolerante*; per patientiam (licèt contrarium ametur) *ut cùm amans sanitatem infirmatur, & patienter tolerat infirmitatem*; ergo non est de essentia pœnæ, ut sit omninodè involuntaria.

QUÆSTIO II.

An pœnitentia sit virtus, & qualis.

Suppono ex dictis, quod virtutes aliæ sunt *acquisitæ*, & *morales*, quia ex moribus, seu actibus frequentatis acquiruntur; aliæ *infusæ*, quia nobis divinitus infunduntur. Istæ vel *per se infusæ* dicuntur, quando nullis naturæ viribus possunt haberi, ut fides, spes, & charitas: vel *per accidens infusæ*, quando non sic absolutè superant vires naturales, tamen in modo eas habendi superant; quia sc. non possunt acquiri tam subitò, vel tam perfectè. Aliæ dicuntur *theologicæ*, quia directè respiciunt Deum pro objecto, ut fides, spes, & charitas; aliæ purè *morales*, non tantùm ratione acquisitionis, sed ratione objecti, quod

est quid creatum; tales sunt prudentia, justitia, temperantia, & fortitudo. Quæritur ergo, an pœnitentia sit virtus, an infusa, an acquisita, & moralis.

CONCLUSIO I.

P*OEnitentia est vera virtus*. Est communis.

Prob.1.ex Scoto. [1] *Pænitere, potest esse actus virtutis, quia potest esse actus conformis rectæ rationi... Dico, quod pænitere est actus natus elici à virtute, vel generare virtutem, quia conformis rectæ rationi*, &c.

Prob.2.ex Arist.[2] Ille actus, vel habitus est virtus, qui facit bonum habentem; sed pœnitentia id facit; ergo, &c. Prob.min. Nam corrigit in habente malum, aufert ab eo peccatum, convertit eum ad bonum, & facit aliquando meliorem, quàm fuerit ante peccatum; ergo &c.Prob.ant.ex Apost.[3] facit, ut *ubi abundavit peccatum, superabundet gratia*.

Prob.3. Non dantur præcepta, nec laudatur homo, nisi de actibus virtutis; sed præcipitur, & laudatur pœnitentia; ergo &c. Prob.min. Præcipitur pœnitentia, cùm dicitur, *Pænitentiam agite*. Item, [4] *Pænitemini, & credite Euangelio*. Et laudatur, cùm Christus dicit, [5] *Gaudium erit in cælo super uno peccatore pænitentiam agente*. Et, ut notat Petrus Dam. [6] *Consuevit Deus honorare pænitentes magis, quàm innocentes*; ergo Deus præcipit, & laudat pœnitentiam: quod etiam patet ex Sanctis omnibus Patribus, & Theologis, & omnium consensu.

Objic.1. Virtus ex Philos. *est dispositio perfecti ad optimum*; sed hoc dici non potest de pœnitentia; ergo nec quod sit virtus. Prob.min. Primus actus pœnitentiæ est ille, quo vellet non peccasse; sed ille actus non est perfectus; ergo &c. Prob. min. Est simplex velleitas, & inefficax, quia est de impossibili, quia impossibile est non fuisse peccatum; ergo &c.

Resp.neg.1.& 2.min. & ant. nam ille actus est odium peccati præteriti absolutum, & efficax, quo illud detestamur, & nolumus amplius durare.

Inst. ex eodem Philos. *Nihil est stultum eorum, quæ sunt ad virtutem*; sed in illo actu est quid stultum; ergo,

[1] *d.14.q.2.A.2.* [2] *Eth.6.* [3] *Rom.5.*
[4] *Marc.1.* [5] *Matth.4.* [6] *ser.56.*

go &c. Prob.min. Stultum est velle impossibile; sed illud velle est de impossibili: nam impossibile est peccatum, quod fuit, non fuisse; sed illud velle tale est; ergo est de impossibili.

Resp.neg.min. Non enim simpliciter vellet non fuisse peccatum, sed improbat, & dolet, quod fuerit, quia fuit malum, & conatur illud reparare, & vindicare in se, & effectibus ejus mederi, & obviare.

Objic.2. ex Philos: Verecundia non est virtus, quia supponit turpe, ex quo timet infamiam; sed eadem est ratio de pœnitentia, quia nascitur ex peccato, ex quo timet pœnam; ergo nec ista est virtus.

Resp.1.neg.maj. Non enim video, cur non sit honestum timere infamiam; sicut & amare bonam famam, & odisse malum, ex quo nascitur infamia.

Resp.2.dist.min. Verecundia, quæ est pura passio, conc. verecundia quasi activa, & quæ imperatur ex odio, vel horrore actus turpis, neg.maj. nam, ut dicebam, honestum est amare bonam famam; ergo & odisse infamiam, & id, ex quo illa venit. Aristoteles autem loquitur de verecundia, quæ est mera passio.

Resp.3. neg.min. Nam verecundia propriè non odit turpe, seu peccatum, nec illud corrigit, sed potius amat, & vellet committere, si posset, sine infamia; non ita est de pœnitentia, quæ odit ipsum peccatum directè.

Objic.3. Pœnitentia est mera passio; est enim dolor de peccato: sed passio non est virtus; ergo nec pœnitentia. Prob.min: nam passiones sunt motus purè naturales, & non liberi.

Resp.dist.maj. Pœnitentia passivè, conc. activè, neg. maj. Nam ille dolor imperatur à voluntate ex cognitione, & odio peccati, & inde est liberrimus.

Inst. Ille dolor est potius contra inclinationem voluntatis, nam est illi pœna; ergo ille dolor est pura passio, & non est liber.

Resp.dist. ant. & rationem ejus: contra inclinationem quoad affectionem commodi, conc. quoad affectionem justitiæ, neg.ant. Nam sub hoc respectu pœnæ, & labores virtutum amantur, licèt ex parte appetitus sensitivi faciant laborem.

Objic.4. Omnis virtus respicit bonum honestum; sed

pœnitentia non respicit illud bonum, sed malum oppositum, sc. peccatum; ergo &c.

Resp. dist. maj. Virtus prosecutiva, & per amorem, conc. virtus aversativa, & per odium, neg. maj. & cons. Omnes virtutes habent duos actus, 1. amoris circa honestum, 2. odii circa malum oppositum. Sic pœnitentia amat bonum justitiæ, & odit peccatum, seu malum oppositum justitiæ, & rationi, & illud punit in peccatore.

CONCLUSIO II.

P*Oenitentia est virtus specialis ab aliis distincta : est virtus moralis, non theologica*. Est communis.

Prob. 1. p. ex Scot. cit. [1] *Pænitere est affectus virtutis specialis, quia ille actus natus est habere speciale objectum, & speciales circumstantias ordinatas*, &c.

Prob. 2. ex Patribus, qui omnes loquuntur de pœnitentia secundum rationem ejus specificam, qua distinguitur ab aliis, & sicut de virtute speciali, ut patet ex verbis, quibus ostendunt ejus excellentiam, & necessitatem, conditiones, & effectus; ergo &c.

Prob. 3. Virtutes, & habitus specificantur ab objectis formalibus, & à fine, & mediis, & circumstantiis suorum actuum; sed hæc in pœnitentia sunt diversa præ aliis virtutibus; ergo distincta est ab aliis. Prob. min. ex dicendis de illius objecto formali, & fine, & de difficultate hunc attingendi, qui est divinæ offensæ reparatio, & Dei offensi placatio, & satisfactio. Hæc enim alia nulla virtus quærit in suis actibus, sed singulæ curant vitare vitia contraria propriæ honestati suæ.

Prob. 2. p. Illa virtus dicitur moralis, & non theologica, quæ non respicit directè Deum in se, in sua essentia, vel attributis, sed aliquid creatum; sed talis est pœnitentia; ergo &c. Prob. min. etiam ex dicendis de objecto ejus; ergo &c.

Confir. ex Scoto, [2] qui eam distinguit à charitate, quia *objectum per se charitatis est Deus sub ratione objectiva nobilissima; proprium autem objectum istius est malum vindicabile, seu reus, in quem est vindicandum; & ex hoc patet, quòd pænitentia non tantùm non est*

[1] *ibid. c. 4.* [2] *ibid. G. 9.*

est virtus Theologica, sed nec virtus nobilissima inter illas, quæ sunt circa objectum creatum, ut virtutes morales.

Confir.2. ex eodem. [1] *Nam tres conditiones pertinent ad virtutem theologicam. 1. est respicere Deum pro objecto. 2. habere pro regula regulam actuum humanorum* (sc. ut innitatur voluntati divinæ ut primæ regulæ.) *non autem regulam acquisitam. 3. immediatè infundi à Deo*; sed nulla ex his conditionibus est in pœnitentia; ergo non est theologica.

Objic.1. cont. 1. par. Pœnitentia respicit objecta omnium aliarum virtutum; ergo non distinguitur ab eis, sed est omnibus communis. Ant. patet: nam respicit omnia vitia, & peccata contra quascumque virtutes. Prob.conf. nam virtutes specificantur ab objectis; sed pœnitentia respicit objecta omnium; ergo &c.

Resp.dist.ant. respicit sub diversa ratione, conc. sub eadem ratione, neg.ant. Nam, ut dicemus, pœnitentia respicit omnia peccata sub una ratione, sub qua non respiciuntur ab aliis.

Inst. Singulæ aliæ virtutes aversantur peccata sibi opposita; sed pœnitentia nihil est aliud, quàm illa aversio; ergo est communis omnibus virtutibus.

Resp.dist. maj. aversantur sub rationibus sibi propriis, conc. sub ratione, sub qua hæc odit pœnitentia, neg.maj. & min. nam singulæ virtutes oderunt vitia, & peccata suæ speciali honestati contraria: verbi gr. castitas odit luxuriam ut contrariam suæ honestati, & odio continentiæ, & sic de aliis: & quidem illud odium respicit illa peccata sive præterita, sive præsentia, sive futura, præscindendo ab illorum existentia; sed pœnitentia odit peccata ut præterita per odium justitiæ punitivæ, ut illa puniat in peccatore pœnitente, quod illi virtuti proprium est, non aliis.

Inst.2. Odium singularum virtutum de malis tam est nobis pœna, quàm odium de malis à nobis commissis; ergo illud odium tam est pœnitentia, quàm istud, quia tam est pœnæ tenentia.

Resp.neg.ant. Nam pœna propriè, prout spectat ad justitiam punitivam, non est qualiscumque labor, sed ille, quo puniuntur mala commissa; esto odium de-

[1] 3.d.26.q.1.n.15.

delectationis venereæ sit laboriosum, & durum appetitui concupiscibili, non tamen est propriè punitio, quia hæc respicit malum commissum, & præteritum. Illud odium est præservativum, istud verò punitivum. Denique sicut labor prosecutionis bonorum, quæ sunt propria singulis virtutibus, non est pœna, ita nec odium vitiorum illis oppositorum. Aliud est de tristitia, & dolore, quem pœnitens sibi imperat pro peccatis commissis contra virtutes; ille est verè pœna, & punitio.

Fateor tamen, pœnitentiam posse aliquo sensu dici communem omnibus virtutibus tam moralibus, quā theologicis, quatenus sc. odit omnia vitia facta in illorum materia, & quæ illæ aversantur, & condemnant juxta proprias suas regulas. Pœnitentia punit, & detestatur in pœnitente odium Dei, infidelitatem, desperationem, luxuriam, timiditatem, &c. Quod ut melius intelligas,

Nota, virtutem aliquam dici communem, 1. *prædicatione*, quatenus nomen ejus prædicatur de omnibus virtutibus, ut nomen *justitiæ*. Sic omnis virtuosus dicitur *justus*, & omnis virtus *justitia*, ut cùm jubemur *implere omnem justitiam*. 2. propter aliquam dependentiam, aut connexionem, quam ista habet cum aliis omnibus: sic *prudentia* est virtus communis, quia ab ea omnes dependent, velut à regula, præsertim morales, quæ in mediocritate consistunt, ne peccent in excessu, vel defectu. 3. ratione perfectionis, quam aliis tribuit. Sic *charitas* dicitur forma aliarum, quia alias format in ratione meriti, dans illis, quod placeant Deo in ordine ad præmium. 4. ratione materiæ, quia respicit materias, seu objecta aliarum: & hoc modo pœnitentia dici potest virtus generalis, quia respicit materiam aliarum, & emendat, quæ contra eas committuntur; sed hoc non impedit distinctionem ejus specificam ab eis.

Objic. 1. cont. 2. par. Pœnitentia respicit directè Deum offensum, quem vult placare; ergo est virtus theologica. Prob. ant. Nam ex Apostolo debet esse secundum Deum, & respicit peccatum ut offensam Dei, & ut illi satisfaciat per punitionem debitam, & ut eum sibi reconciliet; sed nihil aliud requiritur in virtute theologica; ergo &c.

Resp.

Resp.dist.ant.& maj.respicit Deum ut finem extrinsecum, & secundarium, conc. ut finem intrinsecum,& primarium, neg.ant. & maj. nam respicit de se, & essentialiter peccatum ut punibile propter se immediatè : pœnitentia verò christiana ideò punit in se peccatum, ne à Deo severiùs puniatur, & ut illum sibi reconciliet, & ipsum peccatum respicit ut offensam Dei, & potest imperari à charitate, aut alia virtute; sed absolutè loquendo potest respicere peccatum in se, & sua turpitudine, &c.

Objic.2. Pœnitentia odit actus vitiorum theologicorum; odit odium Dei, infidelitatem, & desperationem; ergo est virtus theologica.

Resp.neg.cons. nam sic pertineret etiam ad morales; sed, ut diximus, odit illa peccata sub ratione speciali, sub qua non respicitur ab aliis, odit ut punibilia, & præterita.

Inst. Intendit placare Deum offensum; ergo respicit directè Deum.

Resp. dist.ant. intendit secundariò, conc. primariò, & per se; neg.ant. nam primariò, & per se intendit punire peccata commissa, secundariò autem vult per illam punitionem placare Deum per actus sibi proprios.

Objic.3. Virtus moralis consistit in mediocritate; sed pœnitentia non quærit mediocritatem; ergo non est virtus moralis. Maj.patet ex dictis. Prob.min.tum ex Script. [1] *Luctum unigeniti, Fac tibi planctum amarum*; tum quia offensa Dei nō potest nimium plangi, nec potest in ejus satisfactione excedi; ergo &c.

Resp.dist.maj. quoad circumstantias, & modum, & objectum, conc.maj. & neg. min. quoad objectum solum, neg.maj.& cons. Nam quædam sunt objecta virtutum moralium, circa quæ non potest excedi; alia, circa quæ non potest peccari ex defectu, vel parvitate; v.gr. peccatum non potest in se nimium odiri, nec plangi, sed potest non satis odiri. Virginitas non potest esse nimia, & in illa non datur parvitas materiæ in peccato, & tamen in iis servandus est modus, & in circumstantiis potest quis excedere, aut deficere.

[1] *Jerem.6.*

CONCLUSIO III.

POEnitentia non est per se infusa, sed acquisita. Est Scotistarum, & aliorum contra Thomistas.

Prob.1. ex Scoto, [1] qui putat solas theologicas esse in substantia supernaturales, & per se infusas, & in particulari dicit de pœnitentia, quod *ex multis actibus vindicandi in se justè reum potest acquiri habitus, qui maneat cum peccato mortali, & posset acquiri ante deletionem peccati mortalis, nisi fortè, quia Deus justificat, antequam possint haberi actus sufficientes ad generationem pænitentiæ*; ergo docet pœnitentiam esse virtutem acquisitam.

Prob.2. Nam experientia docet hominem recenter justificatum non experiri in se facilitatem, & inclinationem ad actus pœnitentiæ, sicut experitur post frequentatos istos actus; ergo pœnitentia est habitus acquisitus.

Dices, hoc probaret virtutes theologicas esse etiam acquisitas: nam post frequentatos actus charitatis experimur inclinationem, & facilitatem ad similes; sed hoc est contra nos; ergo &c.

Contra, quia hoc probat, quod præter habitum infusum charitatis, datur etiam acquisitus; & nisi fides doceret hos habitus theologicos infundi, ex hac experientia cogeremur dicere illos acquiri. Fides autem non docet pœnitentiam infundi, sicut docet de virtutibus theologicis; ideò dicimus illam esse acquisitam. Hinc

Confir. concl. quia non debent multiplicari miracula, nec habitus sine necessitate; sed nulla est necessitas asserendi habitum per se infusum pœnitentiæ, præter acquisitum; ergo est tantùm habitus acquisitus, & naturalis.

Prob.3. Si pœnitentia per se infunderetur, id fieret per aliquod sacramentum, in quo justificamur, aut per contritionem perfectam extra sacramentum; sed neutrum dici potest; ergo non infunditur per se. Prob. min. Si tunc infunderetur pœnitentia, statim experiremur nos inclinari, & facilitari ad actus ejus: nam habitus agunt naturaliter. Cùm infunditur scientia, vel

[1] 4.d.14.q.2.X.20.

vel charitas, statim experimur nos inclinari ad actus illorum habituum; sed nihil tale experimur post justificationem magis, quàm ante; ergo tunc non infunditur pœnitentia.

Est ergo habitus purè acquisitus, & naturalis in substantia, licèt non operetur in nobis fructus sufficientes, & condignos, nisi ex motione, & auxilio gratiæ supernaturalis, ut docet fides; sed tamen voluntas ibi agit cum pleno dominio sui actus.

Dixi autem non esse *infusam per se*, nec supernaturalem *in substantia*: non enim dubito, quin possit infundi, & quin de facto sæpius infundatur à Deo per accidens, sicut & aliæ virtutes naturales, sed quia potest acquiri per actus nostros cum auxiliis gratiæ actualis, dicimus eam per se acquisitam, seu acquisibilem, & naturalem in substantia, sicut aliæ virtutes morales.

Objic. 1. ex Script. Nam cùm dicit Apostolus, [1] *Ne quando Deus det illis pœnitentiam*, satis indicat eam dari à solo Deo. Idem infertur, cùm dicit, [2] *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*. Et Jeremias orabat, [3] *Converte me* (*Domine*) *& convertar ..... postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam*; ergo pœnitentia per se infunditur à Deo, & est supernaturalis in substantia.

Resp. dist. cons. Infunditur, & est supernaturalis ab extrinseco, & quatenus non operatur utiliter, nisi ex gratia, & auxilio supernaturali, conc. ab intrinseco, quasi ex se petat infundi à solo Deo, neg. cons. Non enim rectè infertur ex illis textibus. *Vide quantum sit Dei auxilium* (inquit Hieronymus), *& quàm fragilis humana conditio: Ut hoc ipsum, quod agimus pœnitentiam, nisi Dominus ante converterit, & nisi Dei nitamur auxilio, numquam implere valemus*; ergo illa conversio non fit per infusionem habitus pœnitentiæ, sed per motum, & auxilium gratiæ actualis.

Inst. Si Apostolus, & Propheta loquerentur de pœnitentia naturali, non tribuerent eam Dei benignitati, nec ei tribuerent remissionem peccati, quia pœnitentia naturalis non ita venit à Deo, nec ita illi placet, ut remittat peccata; ergo loquuntur de supernaturali infusa.

Resp.

[1] 2. Tim. 2. [2] Rom. 2. [3] Jerem. 31.

Resp. dist.conf. de supernaturali ex concursu gratiæ actualis, conc. ex entitate habitus, neg.conf. Nam sicut actus justitiæ, temperantiæ, & aliarum virtutum moralium sunt supernaturales, & meritorii ex concursu gratiæ actualis, & charitatis, ita est de actibus pœnitentiæ, juxta doctrinam Concil.Trident.[1] definientis, *Non posse pœnitere sicut oportet ad justificationis gratiam sine Spiritus Sancti inspiratione*, &c.

Objic.2. Habitus disponens ad finem supernaturalem non est naturalis: nam forma, & dispositio ad illam sunt æqualis ordinis; sed pœnitentia disponit ad gratiam justificantem, quæ est supernaturalis; ergo per se est supernaturalis, & infusa.

Resp. dist.maj. Si se sola, & totaliter disponat, conc. si partialiter tantùm concurrat, & quasi instrumentaliter, neg.maj. Pœnitentia autem disponit ad gratiam illam partialiter tantùm, & quasi instrumentaliter elevata, & mota per gratias actuales.

Resp.2. neg.min. absolutè. Non enim est de ratione intrinseca, & essentiali pœnitentiæ, ut intendat illum finem supernaturalem, sed præcisè punitionem voluntariam peccati in peccatore; cùm verò disponit ad justificationem, id facit per motionem, & auxilia gratiæ actualis.

Objic.3. Pœnitentia supponit fidem in pœnitente, per quam cognoscit peccatum, & conjungitur cum spe veniæ obtinendæ à Deo, & cum aliqua charitate; sed istæ virtutes sunt per se supernaturales; ergo & ipsa pœnitentia.

Resp. 1. neg. maj. Præcisè enim pœnitere possumus ex naturali cognitione peccati, & odio etiam naturali turpitudinis ejus, & tunc erit vera pœnitentia quoad substantiam, sed insufficiens ad justificationem.

Resp.2. dist.conf. Ipsa pœnitentia erit supernaturalis ex illis principiis, conc. ex se præcisè, neg. conf. nam ex parte voluntatis, habitus pœnitentiæ erit purè naturalis.

[1] *sess.6.*

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Ad quod genus virtutis pertineat pœnitentia.

DIximus aliàs virtutem moralem, quæ versatur circa actus humanos, dividi in virtutem *ad se*, quæ respicit passiones ipsius operantis, ut temperantia, & fortitudo; & *ad alterum*, quæ respicit actiones ejus in ordine ad alterum, ut adæquent jura illius, ut justitia, quæ dicitur *virtus ad alterum*.

Justitia autem, ut sit perfecta, requirit tres conditiones: 1. est jurium alteritas. 2. compensationis æqualitas. 3. debitum compensandi ex aliquo jure ortum. Si verò desit aliqua ex his conditionibus, non erit justitia perfecta, sed imperfecta, & potestativa, ut liberalitas, in qua deest conditio debiti legalis; & religio, seu pietas in Deum, & parentes, cui deest æqualitas in compensatione; & pœnitentia, cui deest *alteritas* quoad ipsum pœnitentem.

Justitiam divisimus in *commutativam*, quæ versatur circa commutationes, pacta, & contractus; & *distributivam*, quæ occupatur in distribuendis bonis publicis juxta exigentiam, qualitatem, & merita personarum.

Hinc multæ virtutes ad justitiam pertinere dicuntur, ut partes ejus subjectivæ, de quibus ipsa prædicatur, ut *latria*, *pietas*, *dulia*, *hyperdulia*, quæ sunt Religionis; Legalis, *justitia*, *epikeia*, *benevolentia*, *affabilitas*, *beneficentia*, *veritas*, *amicitia*, *liberalitas*, *reverentia*, *observantia*, *misericordia*, *vindicatio*, *gratitudo*, *punitiva*, *restitutiva*, &c.

His suppositis, quæritur, ad quam ex virtutibus moralibus spectet pœnitentia, quandoquidem nolumus eam esse theologicam.

CONCLUSIO.

POEnitentia pertinet ad justitiam punitivam, seu vindicativam. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Pœnitere non est virtutis appetitivæ ordinantis ad seipsum, cujusmodi sunt temperan-*

[1] *ibid. q. 2. D. 6.*

rantia, *& fortitudo*; *ergo virtutis ordinantis ad alterum*, *cujusmodi est justitia*, &c. quia sc. pœnitens se respicit ut alterum, *in quantum sibi committitur à legislatore in istum reum vindicare*. Denique pœnitens agit duas personas, sc. ministri, judicis, qui infligit pœnam, & rei, qui eam patitur; *ergo ista virtus continetur sub justitia*, *prout in generali justitia dicitur omnis virtus ordinativa ad alterum*.

Prob.2. ex Script. & Patribus. Nam dicitur: [1] *Anima*, *quæ tristis est super magnitudine mali*, *dabit gloriam*, *& justitiam Domino*. Et August. [2] dicit, quod *pœnitentia est quædam dolentis vindicta*, *puniens in se*, *quod dolet commisisse*. Et alibi dicit [3] eam exerceri velut in tribunali, & ad formam justitiæ, *ubi peccator constituit se ante faciem suam*, *ubi adsit accusatrix cogitatio*, *testis conscientia*, *carnifex timor*, &c. Et Tertull. *Hæc virtus in peccatorem pronuntians*, *pro Dei indignatione fungitur*; ergo ex Script. & Patribus pœnitentia pertinet ad justitiam.

Prob.3. Justitia inclinat ad satisfaciendum, retribuendum, & compensandum; sed hæc facit pœnitentia; ergo, &c. Min. patet ex dictis, & magis patebit ex dicendis de objecto, & actibus pœnitentiæ.

Confir. ex Scoto. Nam virtus inclinans ad puniendam transgressionem legis est justitia; sed hoc facit pœnitentia; ergo &c.

Prob. denique ex Conc. Trid. [4] in quo pœnitentia dicitur *tribunal*, *ad quod nos Deus tamquam reos sisti voluit*; & in quo [5] *non sine magnis nostris fletibus*, *& laboribus*, *id exigente divina justitia*, *remissionem consequi non possumus*. Et monet ministros, [6] *ut habeant præ oculis*, *ut satisfactio*, *quam imponunt .... ad præteritorum peccatorum vindictam*, *& castigationem*. Vides ubique nomen, & formam justitiæ.

Objic.1. Actus principalis pœnitentiæ est contritio; sed hæc non spectat ad justitiam, sed ad charitatem; ergo & pœnitentia. Prob. min. Contritio est dolor de peccatis propter Deum offensum, & dilectum; ergo &c.

Resp. dist. min. Contritio ratione motivi, & amoris Dei præcisè, conc. ratione objecti, & finis, sc. puni-

[1] *Bar.3*: [2] *de ver. pænit. c.8*. [3] *de pænit*. [4] *sess.14. c.2*. [5] *cap.5*. [6] *cap.8*.

nitionis peccati, neg.min. & conf. prob. Nam hic loquimur de pœnitentia secundum se præcisè, & ex proprio objecto, in quo non respicit Deum amatum.

Objic.2. Pœnitentia non est ad alterum, sed ad ipsum pœnitentem; ergo non est justitia.

Resp.dist.ant.ad ipsum pœnitentem,quasi ad alterum, conc.quasi ad seipsum, neg.ant. Nam, ut dicebamus ex Scoto, pœnitens agit personam rei, & ministri justitiæ, & sic quasi virtualiter est alter à seipso.

Objic.3. Non potest dici ad quam speciem justitiæ spectet pœnitentia; ergo non est justitia. Prob. antec. Omnis justitia est vel commutativa, vel distributiva; sed neutrum dici potest de pœnitentia; ergo &c.

Resp.neg.ant.& min.nam pœnitentia de utraque justitia participat, saltem imperfectè, & reductivè, sicut non dicitur perfectè justitia secundum omnes conditiones allatas. Inclinat ad actus compensativos injuriæ, & offensæ secundum æqualitatem possibilem, ut commutativa,& ad actus distributionis pœnæ cum aliquali proportione, & in hoc pertinet ad distributivam, seu punitivam, & vindicativam. Dico *cum æqualitate possibili, & aliquali proportione*: nam rigorosa æqualitas satisfactionis cum offensa, nec etiam exacta proportio non est possibilis creaturæ ad Deum.

Inst. In justitia commutativa vera requiritur æqualitas dati, & accepti, & in distributiva requiritur superioritas in præmiante, & puniente, & inferioritas in punito, & præmiato; sed neutrum est in pœnitente; ergo nec ulla justitia. Prob.min.1. offensa ex parte Dei est infinita, & pœna in pœnitente est finita, & 2. pœnitens non est sibi superior, nec inferior; ergo &c.

Resp.dist.min. neutrum propriè, & in rigore, conc. aliqualiter, & similitudinariè, neg. min. ibi servatur æqualitas possibilis, & pœnitens personas agit judicis, & ministri, & rei, ad hoc tribunal assistit ut judex, accusator, testis, & tortor, seu minister sibi imponens, & infligens pœnas.

Objic.4. Si pœnitentia esset justitia vindicativa, id esset ratione culpæ,aut pœnæ;sed neutrum dici potest; ergo &c.Prob.min.1. non culpæ, quia nulla pœna potest illi proportionari. 2. non pœnæ,quia remissa culpa, remanet reatus pœnæ; ergo &c.

Resp.neg.min. Est enim vindicativa culpæ, & commu-

mutativa pœnæ æternæ in temporalem, imò & remissiva, seu satisfactiva partis pœnæ hujus. Deus autem non exigit æqualitatem physicam, aut mathematicam, sed moralem, quam ipse taxat pro sua misericordia simul cum justitia, quæ in hoc sibi obviant.

QUÆSTIO IV.

De objecto pœnitentiæ.

QUæ diximus hucusque de hac virtute, lucem accipient ex dicendis de objecto ejus materiali, & formali..

CONCLUSIO I.

OBjectum materiale immediatum virtutis hujus est omnis actus pœnitentis, quo in se punit peccatum; mediatum verò est omne peccatum.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quòd *objectum est peccatum vindicabile*: & quod *pœnitere requirit præcognitionem distinctam illius, de quo pœnitet* (scilicet peccati) *ubi dico, quod ista se habent per ordinem. 1. imperare causarum proximarum partialium tristitiæ conjunctionem. 2. ipsæ causæ partiales conjunctæ, quæ sunt effectus proximus illius imperii. 3. sequitur effectus ipsa tristitia. 4. sequi potest complacentia tristitiæ, quæ est actus voluntatis habens tristitiam pro objecto. Et tandem gaudium de tristitia*; ergo ex Scoto peccatum est objectum materiale remotum pœnitentiæ, & tristitia, seu actus pœnales sunt de objecto immediato ejusdem, quia per istos attingit peccatum, & vindicat illud.

Prob. 2. Illud est objectum materiale immediatum virtutis, quod primò, & immediatè respicitur, & intenditur; sed pœnitentia primò, & immediatè intendit punitionem, & vindictam peccati, & hæc punitio consistit in actibus, quibus pœnitens punit peccata sua; ergo illa punitio, & isti actus sunt objectum immediatum, & materiale pœnitentiæ. Prob. min. Illud primò, & immediatè intenditur à pœnitentia, in quo fundatur immediatè denominatio ejus; sed hæc fun-

[1] *ibid. q. 2. C. 5.*

fundatur immediatè in ipsa punitione, & actibus puniti vis; ergo &c. Prob. min. ex ipso ejus nomine, quod sumitur à pœna, & à *pœnæ tenentia*; ergo &c.

Prob. 2. p. Illud est objectum materiale remotum virtutis, quod illa respicit per aliqua media; sed pœnitentia respicit peccata per actus prædictos; ergo peccata sunt objectum materiale remotum pœnitentiæ. Dico *per aliqua media*: nam si per objectum immediatum materiale intelligatur omne id, quod attingitur à virtute, etiam peccatum hoc sensu erit de materia proxima: nam illud etiam attingitur ab illa, licèt per actus doloris, & punitionis.

Objic. 1. cont. 1. par. Actus virtutum non sunt illarum objecta; sed illi actus sunt actus ipsius pœnitentiæ; ergo non benè dicuntur objecta ejus. Prob. maj. Objectum præsupponitur habitui; sed actus virtutum non præsupponuntur illis, sed è contra virtutes præsupponuntur actibus suis, ut causa effectui præsupponitur, quia prius est esse, quàm agere; ergo &c.

Resp. neg. 1. maj. & dist. 2. præsupponitur objectivè, & in ordine intentionis, conc. in ordine executionis, & existentiæ realis, saltem in habitibus practicis, neg. maj. nam virtutes sunt habitus practici, & propter suas operationes, & pœnitentia propter actus punitivos peccati.

Inst. Effectus non habet rationem finis; ergo nec objecti: nam objectum, & finis sunt unum, & idem.

Respond. neg. antec. Nam sanitas est finis, & effectus medicinæ, & generaliter habitus practici, ut virtutes sunt propter suas operationes, ad quas concurrunt effectivè.

Objic. 1. cont. 2. part. Objectum omnis virtutis est bonum honestum; sed pœnitentia est virtus, & peccatum est malum, & inhonestum; ergo peccatum non est objectum pœnitentiæ. Maj. patet ex dictis de virtute in communi, & quia habitus specificantur ab objectis.

Respond. dist. maj. objectum formale, conc. materiale, neg. maj. & conseq. objectum formale pœnitentiæ est punibilitas peccati, quæ est bonum honestissimum.

Objic. 2. Peccatum veniale non est objectum pœnitentiæ

tentiæ; ergo non omne peccatum est objectum pœnitentiæ. Prob.ant. Peccatum veniale non est offensa Dei, nec dissolvit amicitiam ejus, nec est contra legem; ergo &c.

Resp.neg.utrumque antec. Nam veniale est offensa Dei, & contra legem, sed levis, & displicet Deo, licèt ex ejus benignitate non dissolvat ejus amicitiam, ut diximus aliàs.

Inst. Homo non tenetur vitare venialia; ergo nec de illis pœnitere.

Resp.dist.ant. non tenetur sub gravi obligatione, conc. absolutè,& quantum licet humanæ levitati, neg. antec. alioqui non esset peccatum. Idem dico ad conf. nam sicut est peccatum, ita & punibile est, & punietur in hac, vel alia vita.

Objic.3. Peccatum habituale non est objectum pœnitentiæ; ergo non omne peccatum. Prob. antec. ex Scoto: [1] illud non est, nisi relatio rationis, scilicet *ordinatio*, *seu obligatio ad pœnam*, *quæ dicitur reatus*; ergo &c.

Respond. distin. anteced. non est objectum quoad reatum activè in Deo, conc.opus quoad reatum in homine, neg. ant. & conseq. prob. Nam reatus ex parte Dei est ordinatio, qua Deus ordinavit peccatorem ad pœnam; passivè autem, & in peccatore est obligatio ad illam pœnam, quæ obligatio est mala in sua causa, scilicet in peccato præterito, & inde materia pœnitentiæ.

Inst. Si hoc esset, deberetur duplex pœnitentia pro eodem peccato, scilicet una pro actuali, & alia pro habituali; sed conf.est falsum, quia *Deus non punit bis idipsum*; ergo &c.

Resp. neg.maj. Nam hoc ipso, quòd dolemus de actuali præterito, dolemus etiam de habituali, quod non est aliud,quàm actuale præteritum moraliter durans defectu pœnitentiæ de illo.

Inst.2. In habituali non est distincta malitia ab actuali; ergo nec obligatio ad pœnitentiam distinctam.

Respond. dist. antec. non est distincta malitia quoad substantiam ,conc. quoad circumstantiam durationis, neg. ant. & conf. Nam illa duratio est in se mala, & inde pœnitenda.

Objic.

[1] *d.14.q.1.H.9.*

Objic.4. De peccato originali non est pœnitendum quia illud non est nobis voluntarium, nec per consequens retractabile; ergo omne peccatum non est materia pœnitentiæ nostræ.

Resp.neg.ant. Nam inquit August. *Corripiatur origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur.* Illud peccatum facit Deum nobis iratum, & inimicum, & debemus illud odisse, saltem in Adamo.

Inst. Si pœnitentia respiceret originale, deberent ad eam excitari, qui baptizantur; sed conseq.est contra praxim; ergo illud non est de objecto pœnitentiæ.

Respon.dist. maj. si respiceret necessariò, conc. si ex congruitate, neg.maj. Nam cùm pœnitentia de illo peccato non sit nisi congrua, & pueri non sint capaces pœnitentiæ, non excitantur ad illam in baptismo; benè verò adulti, si hoc illis proponatur æque, ac personalia, quæ ipsi commiserunt.

Inst.2. Pœnitentia non est nisi de propriis peccatis; sed originale non est proprium posteris Adæ; ergo nec ab ipsis pœnitendum. Prob.maj. non enim pœnitere debemus de alienis; ergo &c.

Resp.1.neg.maj. Nam David veniam petit pro alienis. *Ab alienis parce servo tuo.*

Respond.2. distin. min. non est proprium simpliciter, conc. aliquo modo, neg. min. Nam Adamus, cùm peccavit, agebat personam procuratoris omnium suorum posterorum descendentium per viam generationis ordinariæ, seu per seminalem propagationem.

Inst.3. Per originale non lædimus jus divinum, & in nobis non est nisi pœna; ergo non est in nobis materia pœnitentiæ.

Respond. distin. antec. non lædimus propria voluntate, & formaliter, & est pœna supponens culpam aliquo modo nostram, conc. non lædimus in voluntate Adæ, in qua erat nostra, neg. antec. Nam verè peccavimus, & læsimus jus divinum in Adamo, ut dictum est aliàs.

Objic.5. Pœnitentia nostra non respicit peccata aliena, quia non intendit remissionem, nisi pro ipso pœnitente; ergo non omne peccatum est objectum pœnitentiæ.

Resp. neg. 1. ant. & conf. prob. Nam odisse, ac detestari peccata aliena honestum est, & potest intendi eorum remissio pro aliis. Sic Christus *peccata nostra portavit, & pro nobis doluit.*

Inst. Vera pœnitentia est cum retractatione peccati; sed non possumus retractare aliena; ergo nec de illis pœnitere. Prob. min. Retractatio est revocatio propriæ actionis jam factæ, non autem alienæ; ergo &c.

Resp. dist. maj. cum retractatione formali, aut virtuali, seu æquivalenti, con. maj. & neg. min. formali tantùm, & de propriis, neg. maj. nam ad veram pœnitentiam sufficit dolor, & detestatio peccati, & ejusdem punitio quædam; & licèt in rigore, & propriè loquendo non fiat de alienis, nisi quodam procuratorio nomine ex imperio charitatis, tamen illa multùm placet Deo, & usurpari solet à sanctissimis viris, & peccatoribus impetrat gratias conversionis.

Inst. 2. Fieri potest, ut, dum justi pœnitent, & retractant aliorum peccata, isti non retractent, sed potiùs confirment; ergo vana erit justorum pœnitentia, & retractatio.

Resp. neg. conf. nam justi non minùs verè puniunt, & detestantur illa peccata, nec minùs placent Deo tam pro ipsismet, quàm ad impetranda peccantibus validiora auxilia. Unde licèt pœnitentia primariò, & ordinariè doleat de propriis, tamen secundariò, & ex abundantia charitatis potest detestari aliena, & utiliter tam pro ipsis pœnitentibus ad augmentum gratiæ, & meritum, quàm pro peccantibus ad impetrationem auxiliorum, & veniæ.

Inst. 3. Idem habitus non inclinat ad punienda propria, & aliena peccata; ergo nec eadem virtus pœnitentiæ facit utrumque. Prob. ant. actus illi non habent eundem finem, aut motivum; ergo nec sunt ab eodem habitu pœnitentiæ. Prob. ant. actus puniendi propria peccata intendit propriam reconciliationem, & venit ex justitia, & amore sui; qui verò luit aliena, id facit ex amore Dei, & proximi, seu ex charitate; ergo sunt ex diverso fine.

Resp. dist. ant. Idem habitus imperativè, con. elicitivè, neg. ant. & conf. nam licet punitio proprii peccati imperetur ab amore justitiæ, vel Dei, & luctus pro alienis imperetur ab amore Dei, & proximi, tamen

men utrique actus eliciuntur ab eadem virtute pœnitentiæ, quod sufficit nobis.

Objic. 6. Peccata remissa sunt vera peccata; sed ista non sunt amplius de objecto pœnitentiæ; ergo non omnia peccata sunt de objecto ejus. Prob. min. morbus sanatus non est amplius morbus sanandus per medicinam; ergo nec peccatum est ampliùs dolendum per pœnitentiam.

Resp. dist. min. objectum necessarium, conc. sufficiens, neg. min. & conf. prob. nam peccata, licèt dimissa, adhuc sunt mala in se, & odienda. Sic Magdalena post remissionem obtentam, de qua certa erat, adhuc de illis doluit per reliquum tempus vitæ, & quidem sanctissimè: sic de D. Petro, & aliis. Comparatio morbi, & medicinæ corporalis non quadrat undique.

Colligis ergo 1. non tantùm mortalia peccata, sed etiam venialia esse de objecto materiali pœnitentiæ: nam hæc sunt verè peccata, & offensæ Dei, licèt leves; ergo & punibilia sunt, & dolenda.

2. Idem est de habituali, & actuali; nam æquè est punibile post cessationem physicam actus, & quamdiu moraliter durat, quàm dum realiter existit, & committitur; & tamdiu durat Dei odium, & jus ad puniendum illud, quamdiu non retractatur à peccatore.

3. Idem est de originali: nam in sua radice, & effectibus displicet Deo, & nobis imputatur, & punitur æquè ac in Adamo, quamdiù non deletur, quia illud commisimus in Adamo, ut dictum est.

4. Idem aliqua ratione de alienis: nam licèt in nobis non sint ita punibilia, non cessant tamen esse à nobis odienda, & dolenda; & hæc tristitia, & dolor est valde laudabilis, etiam in Sanctis, imo & in Angelis, si essent capaces doloris, sicut sunt capaces odii.

5. Idem de remissis; quia semper sunt mala, saltem objectivè; ergo & dolenda, deflenda, & punienda, saltem ex superabundantia justitiæ, ut de facto contigit in Sanctis, qui aliquando peccaverunt, & semper doluerunt peccasse.

Quæres 1. *an peccata materialia sint de objecto pœnitentiæ*. Peccata materialia dicimus actus illos, qui de se sunt quidem malis, sed defectu voluntarietatis

non

non sunt formaliter peccata, ut homicidium factum à dormiente.

Resp. hæc non esse propriè de objecto pœnitentiæ, quia non sunt verè peccata; ergo nec punibilia.

Quæres 2. *an actus externus peccati sit de se præcisè materia pœnitentiæ.*

Resp. affirmativè. Quia, ut diximus, participat de malitia peccati interni, & est contra præceptum, & debet exprimi in confessione, augetque malitiam actus interni, ut probatum est aliàs.

Quæres 3. *quid de malis pœnæ.*

Resp. quod mala pœnæ, quibus pœnitentia punit peccatum, non sunt propriè odienda, nec pœnitenda, nisi in causa, quia in se sunt volita, & volenda; alia verò mala physica adhuc minùs pertinent ad pœnitentiam. Illa tamen priora pertinent ad pœnitentiam ut instrumenta, & media, quibus attingit finem suum, sc. vindictam peccati.

Quæres 4. *An peccatum futurum, & possibile sit de objecto pœnitentiæ.*

Resp. affirmativè; quia in tali peccato est tota malitia objectiva, & qui in illo sibi complaceret, peccaret de facto; ergo ut tale est odibile, & punibile, saltem ut præveniatur. Unde ad veram pœnitentiam necessarius est dolor de præterito, & propositum firmum non peccandi in futurum; ergo peccata futura, aut possibilia respici debent à pœnitentia, saltem ad cautelam.

CONCLUSIO II.

Objectum formale pœnitentiæ non est compensatio pro Dei offensa, nec jus divinum ut resarcibile, neque pax, vel amicitia cum Deo concilianda.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] quod actus pœnitentiæ *est actus justitiæ punitivæ, quæ distinguitur contra justitiam commutativam, & etiam contra amicitiam,* &c. Sed compensatio, & resarcitio sunt actus justitiæ commutativæ, & reconciliatio spectat ad amicitiam; ergo ex Scoto illa non sunt de objecto formali pœnitentiæ.

Porro non negat Doctor, quin pœnitentia intendat ali-

[1] *d. 14. q. 2. E. 8.*

aliquam compensationem, aut resarcitionem facere Deo pro peccatis, & aliqualem reparationem pro transgressione legis ejus, & sic reconciliationem in amicitiam, & pacem cum illo; sed tantùm negat hæc esse de objecto formali pœnitentiæ, quia censet hanc ab illis virtutibus distingui.

Prob. 1. p. 1. quia ex dictis pœnitentia est species justitiæ punitivæ, seu vindicativæ, non autem commutativæ, saltem propriè; ergo non respicit immediatè compensationem, seu satisfactionem pro offensa, nec juris divini resarcitionem, sed vindictam peccati.

Confir. quia vix ullus pęnitens cogitat de illa compensatione, vel resarcitione, imò debet illam putare impossibilem respectu Dei; ergo non est motivum, nec ratio formalis pęnitendi.

Confir. 2. nam gratitudo habet etiam pro objecto compensationem; ergo hæc non est objectum formale pęnitentiæ, prout est virtus distincta ab aliis speciebus justitiæ.

Prob. 2. nam ex adversariis, odium, & detestatio peccati est primarius, & principalis actus pęnitentiæ, sed compensatio non respicit illud odium, quia illa est actus volitionis, & prosecutionis, & respicit illam, ut bonam: odium verò est actus aversionis, & fugæ; ergo principalis actus pęnitentiæ non respicit compensationem. Dico, *ex adversariis*: unde argumentum istud est ad hominem: nam in mente Scoti actus principalis pęnitentiæ non est illud odium, sed volitio puniendi, seu vindicandi peccatum.

Prob. 2. p. quia, ut dicebamus, volunt adversarii, quòd primarius actus pęnitentiæ sit odium, & detestatio peccati; sed hæc non habet pro objecto formali jus divinum, quia istud non est objectum odii, nec fugæ; ergo &c. Prob. min. nam actus directus circa jus Dei est volitio, ut sit illæsum; ergo non est objectum formale, & immediatum odii peccati: quia per istud odium non acquiritur illud jus, nec reparatur læsum.

Dices, odiri peccatum, quia est læsivum juris divini, quod sufficit.

Contra, pęnitentia non est virtus Theologica; ergo non respicit directè Deum, nec aliquid divinum, quale est jus illud.

Prob.2. Si pęnitentia directè intendat resarcire jus divinum, id facere non potest, nisi aliquo medio; ergo immediatiùs respicit hoc medium, quàm jus ipsum; ergo istud non est objectum formale immediatum pęnitentiæ, sed punitio peccati, per quam resarcitur jus illud. Prob. cons. nam sic jus Dei est finis *cui* pęnitens vult resarcitionem; sed finis *cui* non est objectum formale actus, vel habitus, sed est ipsa res, quæ fit, vel datur pro resarcitione; ergo &c.

Prob.3. p.1. amicitia cum Deo spectat ad virtutem Theologicam, & maximè ad charitatem; ergo reconciliatio illius non potest esse objectum formale pęnitentiæ, quæ est virtus moralis, ut probatum est:

Prob.2. quia non solùm charitas, sed & omnis alia virtus potest intendere pacem, & amicitiam cum Deo: Charitas quidem directè, & per se, quia hæc amicitia est de objecto ejus formali; aliæ verò indirectè, & per accidens, & ultimatè.

Prob.3. quia pax, reconciliatio, & amicitia illa est potiùs effectus, & finis extrinsecus pęnitentiæ, quàm objectum ejus formale: nam ideò punimus peccatum in nobis, quia Deum volumus nobis reconciliare, & pacificare; ergo prior est pęnitentia, quàm illa amicitia, & reconciliatio; ergo hæc non est objectum formale pęnitentiæ, sed finis extrinsecus, vel effectus ejus.

Prob.4. objectum formale debet conjungi cum materiali; sed objectum materiale pęnitentiæ, sc. peccatum, non potest conjungi cum amicitia Dei; ergo hæc non est objectum formale pęnitentiæ.

Prob. denique: nam sine attentione ad ullam reconciliationem, & amicitiam possum detestari, & odire peccatum, & illud punire in me per actus veræ pęnitentiæ, v. g. attritionis; & per istos frequentatos acquiram habitum inclinantem, & juvantem ad similes; ergo &c.

Objic.1. con.1. p. ex Scoto, per actus pęnitendi fit verè compensatio injuriæ factæ Deo per peccatum; ergo rectè illa potest dici objectum formale pęnitentiæ, & illorum actuum. Prob. cons. illa compensatio pertinet ad aliquam virtutem: est enim per se honesta; sed non potest pertinere ad aliam præter pęnitentiam; ergo &c.

Resp.

Resp. dist. ant. fit compensatio tamquam effectus, & sequela punitionis peccati,con. tamquam objectum, & finis intrinsecus pœnitentiæ, neg. ant. & conf. nam si omnia bona, quæ sequuntur pœnitentiam, dicerentur objecta ejus formalia, aut fines intrinseci, idem diceretur de reconciliatione, de pace, de remissione, &c. quia hæc omnia sequuntur ex pœnitentia; sed hæc priùs supponitur existens, & perfecta in sua specie per punitionem peccati; ergo ista punitio est ratio ejus formalis constitutiva. Ad prob. conf. neg. min. nam compensatio beneficii, vel injuriæ pertinet ad justitiam generalem commutativam, aut gratitudinem potiùs, quàm ad pęnitentiam.

Inst.1. Pęnitentia inclinat ad satisfaciendum Deo pro peccatis, & per illam fit Deo satis, & placatur; ergo objectum formale ejus est satisfactio, seu compensatio: nam idem est finis actuum, & habitus eorum.

Resp. dist. ant. inclinat, & satisfacit secundariò, con. per se,& primariò, neg. ant. nam si pęnitens nihil cogitaret de satisfactione, cùm dolet de peccato, & illud in se punit, adhuc vera esset pęnitentia.

Inst.2. Non potest esse actus justitiæ vindicativæ, quin sit compensativæ; sed per nos est actus justitiæ vindicativæ; ergo compensativæ. Prob. maj. punitio est satisfactio commensurata peccato; sed illa commensuratio est ipsa formalis compensatio; ergo &c.

Resp. neg. maj. nam, ut dicebam, potest quis velle dolere de peccato, & illud in se punire, nihil cogitando de satisfactione, & si hæc ibidem adsit, id contingit per quandam sequelam, aut comitantiam materialem.

Objic. con.2. p. Pœnitentia est species justitiæ; ergo respicit aliquod jus speciale; sed hoc non potest esse, nisi jus divinum, quia nullum aliud læditur per peccatum, & resarcitur per pęnitentiam; ergo pęnitentia respicit pro formali resarcitionem juris divini.

Resp. dist. ant. species justitiæ vindicativæ, conc. commutativæ, neg. ant. nec enim respicit præcisè, & per se satisfactionem, sed punitionem per pęnam debitam.

Inst. Non potest respicere pęnam debitam, nisi pro-

pter læsum aliquod jus, aut legem divinam; ergo semper respicit aliquod jus divinum, & resarcitionem ejus per vindictam.

Resp. dist. cons. pro objecto, & fine extrinseco, con. pro objecto formali, & fine intrinseco, neg. conseq. nam directè respicit pęnam, indirectè autem, & consequenter per illam pęnam respicit Deum, seu juris ejus reparationem.

Inst. 2. punitio illa non habet bonitatem, nisi ex fine, sed ille finis est bonum juris divini; ergo istud respicitur, & intenditur primò per pęnitentiam.

Resp. neg. maj. nam habet bonitatem per se, & ex objecto, velut fine primario, & intrinseco, secundariò autem bona est ex fine extrinseco, qualis est resarcitio juris divini; & hoc motivum, & finis non magis spectat ad pœnitentiam, quàm ad aliam virtutem, & maximè ad charitatem.

Inst. 3. justitia per se, & intrinsecè respicit jus; sed pęnitentia per se est justitia; ergo pęnitentia per se respicit jus, non autem secundariò, & extrinsecè.

Resp. dist. maj. respicit jus aliquo modo, mediatè, vel immediatè, con. immediatè tantùm, neg. maj. & conf. nam vindicativa respicit immediatè pęnam peccato debitam, per quam satisfit juri legis, aut legislatoris.

Objic. 1. cont. 3. p. Omnis pęnitens per pęnitentiam vult reconciliari Deo, & redire in ejus amicitiam; ergo hæc reconciliatio est ejus objectum formale.

Resp. dist. ant. intendit mediatè, & ut finem extrinsecum, con. immediatè, ut finem intrinsecum, neg. ant. nam, ut sæpè diximus, intendit directè pęnam peccati, mediatè verò per punitionem vult placare Deum, & eum sibi reconciliare, reparata ejus offensa per pęnam illam.

Inst. Tollere causam odii divini est per se bonum, & objectum alicujus virtutis; sed non potest esse objectum formale alterius virtutis, quàm pęnitentiæ; & hoc est velle placare Deum, & redire in ejus amicitiam; ergo &c. prob. min. soli pęnitentiæ competit tollere peccatum ut offensivum Dei, & ut causam odii ejus; ergo &c.

Resp. neg. min. & ant. nam tollere peccatum sub tali motivo, & ratione pertinet ad charitatem potius,

tius, quàm ad pęnitentiam præcisè. Charitas imperat pęnitentiam ex motivo amoris Dei, ut in contritione perfecta, & illud motivum est illi proprium, & intrinsecum, pęnitentiæ autem extrinsecum.

CONCLUSIO III.

Vindicabilitas, seu punibilitas peccati est objectum formale pænitentiæ. Ita Scotistæ.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] dicente, quod speciale objectum, per quod pęnitentia dicitur virtus *specialis*, *est peccatum vindicabile*. Et quod *proprium objectum istius est malum vindicabile, seu reus, in quem vindicandum est*; ergo ex Scoto ratio formalis, sub qua pęnitentia respicit peccatum, est ejus punibilitas, seu vindicabilitas.

Prob. 2. Sub ea ratione peccatum respicitur à pęnitentia, sub qua respici potest, & debet ab aliqua speciali virtute; sed peccatum ut punibile non potest propriè, & per se respici ab alia speciali virtute, nisi à pęnitentia; ergo &c. Maj. patet: nam verè honestum est illud sic respicere. Prob. min. ex August. [2] *Justisti Domine, & ita est, ut pæna sit sibi quisque peccator*. Et S. Isidor. cit. *Hæc virtus nomen habet à pæna, quasi pæna tenentia, pænitentia, seu quasi punientia ditur, eò quòd ipse puniat pænitendo, quod malè admisit*.

Prob. 2. eadem min. & ipsa conclusio; tum quia nulla alia virtus sic respicit peccatum, tum quia nulla alia ratio potest meliùs assignari, sub qua illud respiciatur, & per quam pęnitentia virtus distinguatur ab aliis, ut patet ex præcedenti, ubi rejecimus alios dicendi modos.

Objic. 1. Pęnitentia est virtus detestativa, non prosecutiva; sed vindicabilitas non est ratio detestativa, sed prosecutiva; ergo non pertinet, saltem non constituit pęnitentiam.

Resp. dist. maj. detestativa quoad aliquos actus, con. quoad omnes, neg. maj. & conf. detestatur peccatum ut malum, & secundum se, & confitetur, & punit illud, prout est honestum sic illud confiteri,

 & pu-

[1] *Ibid. n. 4. & 9.*
[2] *2. confess. c. 12.*

tentiæ; ergo non omne peccatum est objectum pœnitentiæ. Prob.ant. Peccatum veniale non est offensa Dei, nec dissolvit amicitiam ejus, nec est contra legem; ergo &c.

Resp.neg.utrumque antec. Nam veniale est offensa Dei, & contra legem, sed levis, & displicet Deo, licèt ex ejus benignitate non dissolvat ejus amicitiam, ut diximus aliàs.

Inst. Homo non tenetur vitare venialia; ergo nec de illis pœnitere.

Resp.dist.ant. non tenetur sub gravi obligatione, conc. absolutè,& quantum licet humanæ levitati, neg. antec. alioqui non esset peccatum. Idem dico ad cons. nam sicut est peccatum, ita & punibile est, & punietur in hac, vel alia vita.

Objic.3. Peccatum habituale non est objectum pœnitentiæ; ergo non omne peccatum. Prob. antec. ex Scoto: [1] illud non est, nisi relatio rationis, scilicet *ordinatio*, *seu obligatio ad pœnam*, *quæ dicitur reatus*; ergo &c.

Respond. distin. anteced. non est objectum quoad reatum activè in Deo, conc.opus quoad reatum in homine, neg. ant. & conseq. prob. Nam reatus ex parte Dei est ordinatio, qua Deus ordinavit peccatorem ad pœnam; passivè autem,& in peccatore est obligatio ad illam pœnam, quæ obligatio est mala in sua causa, scilicet in peccato præterito, & inde materia pœnitentiæ.

Inst. Si hoc esset, deberetur duplex pœnitentia pro eodem peccato, scilicet una pro actuali, & alia pro habituali; sed cons.est falsum, quia *Deus non punit bis idipsum*; ergo &c.

Resp. neg.maj. Nam hoc ipso, quòd dolemus de actuali præterito, dolemus etiam de habituali, quod non est aliud,quàm actuale præteritum moraliter durans defectu pœnitentiæ de illo.

Inst.2. In habituali non est distincta malitia ab actuali; ergo nec obligatio ad penitentiam distinctam.

Respond. dist. antec. non est distincta malitia quoad substantiam, conc. quoad circumstantiam durationis, neg. ant. & cons. Nam illa duratio est in se mala, & inde pœnitenda.

Objic.

[1] *d.14.q.1.H.9.*

Objic.4. De peccato originali non est pœnitendum quia illud non est nobis voluntarium, nec per consequens retractabile; ergo omne peccatum non est materia pœnitentiæ nostræ.

Resp.neg.ant. Nam inquit August. *Corripiatur origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur*. Illud peccatum facit Deum nobis iratum, & inimicum, & debemus illud odisse, saltem in Adamo.

Inst. Si pœnitentia respiceret originale, deberent ad eam excitari, qui baptizantur; sed conseq.est contra praxim; ergo illud non est de objecto pœnitentiæ.

Respon.dist. maj. si respiceret necessariò, conc. si ex congruitate, neg.maj. Nam cùm pœnitentia de illo peccato non sit nisi congrua, & pueri non sint capaces pœnitentiæ, non excitantur ad illam in baptismo; benè verò adulti, si hoc illis proponatur æque, ac personalia, quæ ipsi commiserunt.

Inst.2. Pœnitentia non est nisi de propriis peccatis; sed originale non est proprium posteris Adæ; ergo nec ab ipsis pœnitendum. Prob.maj. non enim pœnitere debemus de alienis; ergo &c.

Resp.1.neg.maj. Nam David veniam petit pro alienis. *Ab alienis parce servo tuo.*

Respond.2. distin. min. non est proprium simpliciter, conc. aliquo modo, neg. min. Nam Adamus, cùm peccavit, agebat personam procuratoris omnium suorum posterorum descendentium per viam generationis ordinariæ, seu per seminalem propagationem.

Inst.3. Per originale non lædimus jus divinum, & in nobis non est nisi pœna; ergo non est in nobis materia pœnitentiæ.

Respond. distin. antec. non lædimus propria voluntate, & formaliter, & est pœna supponens culpam aliquo modo nostram, conc. non lædimus in voluntate Adæ, in qua erat nostra, neg. antec. Nam verè peccavimus, & læsimus jus divinum in Adamo, ut dictum est aliàs.

Objic.5. Pœnitentia nostra non respicit peccata aliena, quia non intendit remissionem, nisi pro ipso pœnitente; ergo non omne peccatum est objectum pœnitentiæ.

Resp.

Resp. neg. 1. ant. & conf. prob. Nam odisse, ac detestari peccata aliena honestum est, & potest intendi eorum remissio pro aliis. Sic Christus *peccata nostra portavit, & pro nobis doluit.*

Inst. Vera pœnitentia est cum retractatione peccati; sed non possumus retractare aliena; ergo nec de illis pœnitere. Prob. min. Retractatio est revocatio propriæ actionis jam factæ, non autem alienæ; ergo &c.

Resp. dist. maj. cum retractatione formali, aut virtuali, seu æquivalenti, con. maj. & neg. min. formali tantùm, & de propriis, neg. maj. nam ad veram pœnitentiam sufficit dolor, & detestatio peccati, & ejusdem punitio quædam; & licèt in rigore, & propriè loquendo non fiat de alienis, nisi quodam procuratorio nomine ex imperio charitatis, tamen illa multùm placet Deo, & usurpari solet à sanctissimis viris, & peccatoribus impetrat gratias conversionis.

Inst. 2. Fieri potest, ut, dum justi pœnitent, & retractant aliorum peccata, isti non retractent, sed potiùs confirment; ergo vana erit justorum pœnitentia, & retractatio.

Resp. neg. conf. nam justi non minùs verè puniunt, & detestantur illa peccata, nec minùs placent Deo tam pro ipsismet, quàm ad impetranda peccantibus validiora auxilia. Unde licèt pœnitentia primariò, & ordinariè doleat de propriis, tamen secundariò, & ex abundantia charitatis potest detestari aliena, & utiliter tam pro ipsis pœnitentibus ad augmentum gratiæ, & meritum, quàm pro peccantibus ad impetrationem auxiliorum, & veniæ.

Inst. 3. Idem habitus non inclinat ad punienda propria, & aliena peccata; ergo nec eadem virtus pœnitentiæ facit utrumque. Prob. ant. actus illi non habent eundem finem, aut motivum; ergo nec sunt ab eodem habitu pœnitentiæ. Prob. ant. actus puniendi propria peccata intendit propriam reconciliationem, & venit ex justitia, & amore sui; qui verò luit aliena, id facit ex amore Dei, & proximi, seu ex charitate; ergo sunt ex diverso fine.

Resp. dist. ant. Idem habitus imperativè, con. elicitivè, neg. ant. & conf. nam licet punitio proprii peccati imperetur ab amore justitiæ, vel Dei, & luctus pro alienis imperetur ab amore Dei, & proximi, tamen

men utrique actus eliciuntur ab eadem virtute pœnitentiæ, quod sufficit nobis.

Objic. 6. Peccata remissa sunt vera peccata; sed ista non sunt amplius de objecto pœnitentiæ; ergo non omnia peccata sunt de objecto ejus. Prob. min. morbus sanatus non est amplius morbus sanandus per medicinam; ergo nec peccatum est ampliùs dolendum per pœnitentiam.

Resp. dist. min. objectum necessarium, conc. sufficiens, neg. min. & conf. prob. nam peccata, licèt dimissa, adhuc sunt mala in se, & odienda. Sic Magdalena post remissionem obtentam, de qua certa erat, adhuc de illis doluit per reliquum tempus vitæ, & quidem sanctissimè: sic de D. Petro, & aliis. Comparatio morbi, & medicinæ corporalis non quadrat undique.

Colligis ergo 1. non tantùm mortalia peccata, sed etiam venialia esse de objecto materiali pœnitentiæ: nam hæc sunt verè peccata, & offensæ Dei, licèt leves; ergo & punibilia sunt, & dolenda.

2. Idem est de habituali, & actuali; nam æquè est punibile post cessationem physicam actus, & quamdiu moraliter durat, quàm dum realiter existit, & committitur; & tamdiu durat Dei odium, & jus ad puniendum illud, quamdiu non retractatur à peccatore.

3. Idem est de originali: nam in sua radice, & effectibus displicet Deo, & nobis imputatur, & punitur æquè ac in Adamo, quamdiù non deletur, quia illud commisimus in Adamo, ut dictum est.

4. Idem aliqua ratione de alienis: nam licèt in nobis non sint ita punibilia, non cessant tamen esse à nobis odienda, & dolenda; & hæc tristitia, & dolor est valde laudabilis, etiam in Sanctis, imo & in Angelis, si essent capaces doloris, sicut sunt capaces odii.

5. Idem de remissis; quia semper sunt mala, saltem objectivè; ergo & dolenda, deflenda, & punienda, saltem ex superabundantia justitiæ, ut de facto contigit in Sanctis, qui aliquando peccaverunt, & semper doluerunt peccasse.

Quæres 1. *an peccata materialia sint de objecto pœnitentiæ*. Peccata materialia dicimus actus illos, qui de se sunt quidem mali, sed defectu voluntarietatis

non

non sunt formaliter peccata, ut homicidium factum à dormiente.

Resp. hæc non esse propriè de objecto pœnitentiæ, quia non sunt verè peccata; ergo nec punibilia.

Quæres 2. *an actus externus peccati sit de se præcisè materia pœnitentiæ.*

Resp. affirmativè. Quia, ut diximus, participat de malitia peccati interni, & est contra præceptum, & debet exprimi in confessione, augetque malitiam actus interni, ut probatum est aliàs.

Quæres 3. *quid de malis pœnæ.*

Resp. quod mala pœnæ, quibus pœnitentia punit peccatum, non sunt propriè odienda, nec pœnitenda, nisi in causa, quia in se sunt volita, & volenda; alia verò mala physica adhuc minùs pertinent ad pœnitentiam. Illa tamen priora pertinent ad pœnitentiam ut instrumenta, & media, quibus attingit finem suum, sc. vindictam peccati.

Quæres 4. *An peccatum futurum, & possibile sit de objecto pœnitentiæ.*

Resp. affirmativè; quia in tali peccato est tota malitia objectiva, & qui in illo sibi complaceret, peccaret de facto; ergo ut tale est odibile, & punibile, saltem ut præveniatur. Unde ad veram pœnitentiam necessarius est dolor de præterito, & propositum firmum non peccandi in futurum; ergo peccata futura, aut possibilia respici debent à pœnitentia, saltem ad cautelam.

CONCLUSIO II.

Objectum formale pœnitentiæ non est compensatio pro Dei offensa, nec jus divinum ut resarcibile, neque pax, vel amicitia cum Deo concilianda.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] quod actus pœnitentiæ *est actus justitiæ punitivæ, quæ distinguitur contra justitiam commutativam, & etiam contra amicitiam*, &c. Sed compensatio, & resarcitio sunt actus justitiæ commutativæ, & reconciliatio spectat ad amicitiam; ergo ex Scoto illa non sunt de objecto formali pœnitentiæ.

Porro non negat Doctor, quin pœnitentia intendat ali-

[1] *d. 14. q. 2. E. 8.*

aliquam compensationem, aut resarcitionem facere Deo pro peccatis, & aliqualem reparationem pro transgressione legis ejus, & sic reconciliationem in amicitiam, & pacem cum illo; sed tantùm negat hæc esse de objecto formali pœnitentiæ, quia censet hanc ab illis virtutibus distingui.

Prob.1. p.1. quia ex dictis pœnitentia est species justitiæ punitivæ, seu vindicativæ, non autem commutativæ, saltem propriè; ergo non respicit immediatè compensationem, seu satisfactionem pro offensa, nec juris divini resarcitionem, sed vindictam peccati.

Confir. quia vix ullus pœnitens cogitat de illa compensatione, vel resarcitione, imò debet illam putare impossibilem respectu Dei; ergo non est motivum, nec ratio formalis pœnitendi.

Confir.2. nam gratitudo habet etiam pro objecto compensationem; ergo hæc non est objectum formale pœnitentiæ, prout est virtus distincta ab aliis speciebus justitiæ.

Prob.2. nam ex adversariis, odium, & detestatio peccati est primarius, & principalis actus pœnitentiæ; sed compensatio non respicit illud odium, quia illa est actus volitionis, & prosecutionis, & respicit illam, ut bonam: odium verò est actus aversionis, & fugæ; ergo principalis actus pœnitentiæ non respicit compensationem. Dico, *ex adversariis*: unde argumentum istud est ad hominem: nam in mente Scoti actus principalis pœnitentiæ non est illud odium, sed volitio puniendi, seu vindicandi peccatum.

Prob.2.p. quia, ut dicebamus, volunt adversarii, quòd primarius actus pœnitentiæ sit odium, & detestatio peccati; sed hæc non habet pro objecto formali jus divinum, quia istud non est objectum odii, nec fugæ; ergo &c. Prob. min. nam actus directus circa jus Dei est volitio, ut sit illæsum; ergo non est objectum formale, & immediatum odii peccati: quia per istud odium non acquiritur illud jus, nec reparatur læsum.

Dices, odiri peccatum, quia est læsivum juris divini, quod sufficit.

Contra, pœnitentia non est virtus Theologica; ergo non respicit directè Deum, nec aliquid divinum, quale est jus illud.

Prob. 2. Si pęnitentia directè intendat resarcire jus divinum, id facere non potest, nisi aliquo medio; ergo immediatiùs respicit hoc medium, quàm jus ipsum; ergo istud non est objectum formale immediatum pęnitentiæ, sed punitio peccati, per quam resarcitur jus illud. Prob. conf. nam sic jus Dei est finis *cui* pęnitens vult resarcitionem; sed finis *cui* non est objectum formale actus, vel habitus, sed est ipsa res, quæ fit, vel datur pro resarcitione; ergo &c.

Prob. 3. p. 1. amicitia cum Deo spectat ad virtutem Theologicam, & maximè ad charitatem; ergo reconciliatio illius non potest esse objectum formale pęnitentiæ, quæ est virtus moralis, ut probatum est:

Prob. 2. quia non solùm charitas, sed & omnis alia virtus potest intendere pacem, & amicitiam cum Deo: Charitas quidem directè, & per se, quia hæc amicitia est de objecto ejus formali; aliæ verò indirectè, & per accidens, & ultimatè.

Prob. 3. quia pax, reconciliatio, & amicitia illa est potiùs effectus, & finis extrinsecus pęnitentiæ, quàm objectum ejus formale: nam ideò punimus peccatum in nobis, quia Deum volumus nobis reconciliare, & pacificare; ergo prior est pęnitentia, quàm illa amicitia, & reconciliatio; ergo hæc non est objectum formale pęnitentiæ, sed finis extrinsecus, vel effectus ejus.

Prob. 4. objectum formale debet conjungi cum materiali; sed objectum materiale pęnitentiæ, sc. peccatum, non potest conjungi cum amicitia Dei; ergo hæc non est objectum formale pęnitentiæ.

Prob. denique: nam sine attentione ad ullam reconciliationem, & amicitiam possum detestari, & odire peccatum, & illud punire in me per actus veræ pęnitentiæ, v. g. attritionis; & per istos frequentatos acquiram habitum inclinantem, & juvantem ad similes; ergo &c.

Objic. 1. con. 1. p. ex Scoto, per actus pęnitendi fit verè compensatio injuriæ factæ Deo per peccatum; ergo rectè illa potest dici objectum formale pęnitentiæ, & illorum actuum. Prob. conf. illa compensatio pertinet ad aliquam virtutem: est enim per se honesta; sed non potest pertinere ad aliam præter pęnitentiam; ergo &c.

Resp.

Resp. dist. ant. fit compensatio tamquam effectus, & sequela punitionis peccati,con. tamquam objectum, & finis intrinsecus pœnitentiæ, neg. ant. & conf. nam si omnia bona, quæ sequuntur pœnitentiam, dicerentur objecta ejus formalia, aut fines intrinseci, idem diceretur de reconciliatione, de pace, de remissione, &c. quia hæc omnia sequuntur ex pœnitentia; sed hæc priùs supponitur existens, & perfecta in sua specie per punitionem peccati; ergo ista punitio est ratio ejus formalis constitutiva. Ad prob. conf. neg. min. nam compensatio beneficii, vel injuriæ pertinet ad justitiam generalem commutativam, aut gratitudinem potiùs, quàm ad pęnitentiam.

Inst.1. Pęnitentia inclinat ad satisfaciendum Deo pro peccatis, & per illam fit Deo satis, & placatur; ergo objectum formale ejus est satisfactio, seu compensatio: nam idem est finis actuum, & habitus eorum.

Resp. dist. ant. inclinat, & satisfacit secundariò, con. per se,& primariò, neg. ant. nam si pęnitens nihil cogitaret de satisfactione, cùm dolet de peccato, & illud in se punit, adhuc vera esset pęnitentia.

Inst.2. Non potest esse actus justitiæ vindicativæ, quin sit compensativæ; sed per nos est actus justitiæ vindicativæ; ergo compensativæ. Prob. maj. punitio est satisfactio commensurata peccato; sed illa commensuratio est ipsa formalis compensatio; ergo &c.

Resp. neg. maj. nam, ut dicebam, potest quis velle dolere de peccato, & illud in se punire, nihil cogitando de satisfactione, & si hæc ibidem adsit, id contingit per quandam sequelam, aut comitantiam materialem.

Objic. con.2. p. Pœnitentia est species justitiæ; ergo respicit aliquod jus speciale; sed hoc non potest esse, nisi jus divinum, quia nullum aliud læditur per peccatum, & resarcitur per pęnitentiam; ergo pęnitentia respicit pro formali resarcitionem juris divini.

Resp. dist. ant. species justitiæ vindicativæ, conc. commutativæ, neg. ant. nec enim respicit præcisè, & per se satisfactionem, sed punitionem per pęnam debitam.

Inst. Non potest respicere pęnam debitam, nisi pro-

pter læsum aliquod jus, aut legem divinam; ergo semper respicit aliquod jus divinum, & resarcitionem ejus per vindictam.

Resp. dist. conf. pro objecto, & fine extrinseco, con. pro objecto formali, & fine intrinseco, neg. conseq. nam directè respicit pęnam, indirectè autem, & consequenter per illam pęnam respicit Deum, seu juris ejus reparationem.

Inst. 2. punitio illa non habet bonitatem, nisi ex fine, sed ille finis est bonum juris divini; ergo istud respicitur, & intenditur primò per pęnitentiam.

Resp. neg. maj. nam habet bonitatem per se, & ex objecto, velut fine primario, & intrinseco, secundariò autem bona est ex fine extrinseco, qualis est resarcitio juris divini; & hoc motivum, & finis non magis spectat ad pœnitentiam, quàm ad aliam virtutem, & maximè ad charitatem.

Inst. 3. justitia per se, & intrinsecè respicit jus; sed pęnitentia per se est justitia; ergo pęnitentia per se respicit jus, non autem secundariò, & extrinsecè.

Resp. dist. maj. respicit jus aliquo modo, mediatè, vel immediatè, con. immediatè tantùm, neg. maj. & conf. nam vindicativa respicit immediatè pęnam peccato debitam, per quam satisfit juri legis, aut legislatoris.

Objic. 1. cont. 3. p. Omnis pęnitens per pęnitentiam vult reconciliari Deo, & redire in ejus amicitiam; ergo hæc reconciliatio est ejus objectum formale.

Resp. dist. ant. intendit mediatè, & ut finem extrinsecum, con. immediatè, ut finem intrinsecum, neg. ant. nam, ut sæpè diximus, intendit directè pęnam peccati, mediatè verò per punitionem vult placare Deum, & eum sibi reconciliare, reparata ejus offensa per pęnam illam.

Inst. Tollere causam odii divini est per se bonum, & objectum alicujus virtutis; sed non potest esse objectum formale alterius virtutis, quàm pęnitentiæ; & hoc est velle placare Deum, & redire in ejus amicitiam; ergo &c. prob. min. soli pęnitentiæ competit tollere peccatum ut offensivum Dei, & ut causam odii ejus; ergo &c.

Resp. neg. min. & ant. nam tollere peccatum sub tali motivo, & ratione pertinet ad charitatem potiùs,

tius, quàm ad pęnitentiam præcisè. Charitas imperat pęnitentiam ex motivo amoris Dei, ut in contritione perfecta, & illud motivum est illi proprium, & intrinsecum, pęnitentiæ autem extrinsecum.

CONCLUSIO III.

Vindicabilitas, seu punibilitas peccati est objectum formale pænitentiæ. Ita Scotistæ.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] dicente, quod speciale objectum, per quod pęnitentia dicitur virtus *specialis, est peccatum vindicabile.* Et quod *proprium objectum istius est malum vindicabile, seu reus, in quem vindicandum est*; ergo ex Scoto ratio formalis, sub qua pęnitentia respicit peccatum, est ejus punibilitas, seu vindicabilitas.

Prob. 2. Sub ea ratione peccatum respicitur à pęnitentia, sub qua respici potest, & debet ab aliqua speciali virtute; sed peccatum ut punibile non potest propriè, & per se respici ab alia speciali virtute, nisi à pęnitentia; ergo &c. Maj. patet: nam verè honestum est illud sic respicere. Prob. min. ex August. [2] *Justisti Domine, & ita est, ut pœna sit sibi quisque peccator*. Et S. Isidor. cit. *Hæc virtus nomen habet à pæna, quasi pæna tenentia, pænitentia, seu quasi punientia dicitur, eò quòd ipse puniat pænitendo, quod malè admisit*.

Prob. 2. eadem min. & ipsa conclusio; tum quia nulla alia virtus sic respicit peccatum, tum quia nulla alia ratio potest meliùs assignari, sub qua illud respiciatur, & per quam pęnitentia virtus distinguatur ab aliis, ut patet ex præcedenti, ubi rejecimus alios dicendi modos.

Objic. 1. Pęnitentia est virtus detestativa, non prosecutiva; sed vindicabilitas non est ratio detestativa, sed prosecutiva; ergo non pertinet, saltem non constituit pęnitentiam.

Resp. dist. maj. detestativa quoad aliquos actus, con. quoad omnes, neg. maj. & conf. detestatur peccatum ut malum, & secundum se, & confitetur, & punit illud, prout est honestum sic illud confiteri,

[1] *Ibid. n. 4. & 9.*
[2] *2. confess. c. 12.*

& punire; & declarabilitas, & punibilitas sunt rationes volibiles, & sequuntur ex odio ejus. Commune est omni virtuti, ut habeat actus fugæ, & odii circa malum bono suo contrarium, & prosecutionis, & amoris circa bonum suum.

Objic. 2. Sub illa ratione peccatum est objectum pœnitentiæ, sub qua terminat, & movet actum ejus principalem: sed non movet, neque terminat illum actum sub ratione punibilitatis; ergo hæc non est objectum ejus formale. Prob. min. principalis actus pœnitentiæ est odium, & detestatio peccati; sed hæc non terminantur formaliter ad punibilitatem, sed ad malitiam peccati; ergo &c.

Resp. neg. 1. min. & dist. 2. maj. Odium est principalis actus imperatus, conc. elicitus, neg. maj. & conf. nam primarius actus pœnitentiæ, ut pœnitentia est, & elicitus, est volitio punitionis peccati, ex qua imperatur odium, ac detestatio ejus, & illud odium est commune omni virtuti, ut diximus.

Inst. Contritio tenet primum locum inter actus pœnitentiæ (ex Tridentino) [1] sed hæc continet odium, & detestationem peccati, non verò punitionem; ergo &c.

Resp. dist. maj. 1. locum dignitate, conc. origine, neg. maj. & conf. nec enim alia est mens Concilii: non enim ignorabant illi Patres, pœnitentiam incipere à cognitione peccati, & gravitatis culpæ, & inde est volitio puniendi illud, & maximè contritio imperfecta concipitur *ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, fœditatem* &c. Hinc tristatur, & dolet peccator.

Igitur pœnitentia includit quidem odium, & detestationem peccati: sed per illa non distinguitur ab aliis virtutibus, quia omnes odiunt, & detestantur mala opposita bono suo: v. g. temperantia ebrietatem: castitas luxuriam, &c.

QUÆ-

[1] *Sess.* 14 *c.* 4.

QUÆSTIO V.

De subjecto pœnitentiæ virtutis.

Agimus de subjecto *immediato*, quod est potentia animæ, in qua immediatè inhæret habitus virtutis hujus; & *mediato*, quod est persona pęnitens; an in statu innocentiæ, an in Beatis, vel Angelis esse possit.

CONCLUSIO I.

Pœnitentia est virtus appetitiva, & residet immediatè in voluntate. Est communis.

Prob.1. ex Scoto. [1] *Pœnitere non est actus alicujus virtutis intellectualis; quia est actus appetitus, ut appetitus; quia imperat intellectui, ut consideret, ac voluntati, ut detestetur:... hoc imperare non convenit nisi appetitui, aut voluntati*, &c.

Prob.2. ex dictis: nam pœnitentia est virtus inclinans ad volitionem pœnæ, seu punitionis peccati commissi in ipso pœnitente; sed hoc spectat ad voluntatem; ergo &c.

Prob.3. Pœnitentia non est habitus intellectus; ergo voluntatis. Prob. ant. non est scientia, nec fides, nec prudentia, vel ars; ergo &c. Nam hi soli sunt intellectuales.

Confir. ex tr. de virtutibus moralibus: nam justitia est virtus in voluntate; sed pęnitentia est species justitiæ; ergo &c.

Confir.2. quia non inclinat intellectum ad assensum, vel dissensum, sed ad velle vindicare peccatum, & ad odium, dolorem, & tristitiam ejus, & ad propositum non peccandi de cętero; sed hi actus sunt in voluntate; ergo & pęnitentia.

Objic.1. Pœnitentia est judicium, quo peccator intelligit, & judicat seipsum ut reum, & debitorem pœnæ pro culpa; sed hoc judicium est actus intellectus; ergo & pęnitentia.

Resp. dist. maj. est judicium præsuppositivè, conc. formaliter, neg. maj. nam volitio puniendi peccatum

[1] *Ibid.c.5.*

supponit quidem cognitionem, & judicium reatus, & obligationis ad penam; sed non consistit in tali judicio formaliter, sed in volitione puniendi juxta illud judicium.

Objic.2. Pœnitentia debet esse, ubi est peccatum, alioqui non posset illud expellere; sed peccatum est in omnibus facultatibus animæ: nam per singulas peccamus; ergo &c.

Resp. neg. min. nam licèt peccemus per actus omnium facultatum, & materialiter peccatum sit in singulis, formaliter tamen est in sola voluntate.

Resp.2. neg. maj. & dist. prob. non posset expellere formaliter, ut calor expellit frigus, con. efficienter, neg. ant. nam pœnitentia expellit peccatum, quasi efficienter, efficientia morali, & meritoria.

Objic.3. Actus pœnitendi sunt in parte sensitiva; v. gr. dolor, & tristitia, & peccata, saltem externa; ergo &c.

Resp. dist. ant. actus imperati, & materiales, con. eliciti, & formales, neg. ant. & idem est de peccatis; voluntas imperat dolorem, & tristitiam, sicut & ipsum formale peccati, quod committitur in parte sensitiva.

CONCLUSIO II.

Pœnitentia propriè, & formaliter est in solo homine viatore post peccatum: in Beatis, nec in Angelis, nec in beata Virgine, & multò minus in Christo non est nisi impropriè, & secundum aliquos actus: quoad habitum verò manet in illis, in quibus extitit in hac vita. Est communior, & de 1. p. nemo dubitat.

Prob.1. ex Scoto, [1] qui de beatis, & Angelis videtur problematicus, sed magis inclinat pro affirmativa. *Aliter dici potest, quod pœnitentia est habitus inclinans ad vindicandum in se reum. Beatus autem, & innocens possunt habere habitum promptè vindicandi in alium reum; ergo & in se, si tamen reatus inesset. Et sic potest concedi, quod in statu innocentiæ, & in beatitudine manet ista virtus. Nec mirum, cùm in Deo maneat justitia vindicativa.* Idem docet in Reportatis: quod intelligitur quoad aliquos actus, prima pars non

[1] *Ibid.V.& K. 9.*

non eget probatione, quia constat ex dictis de ejus existentia, & patebit ex dicendis de ejus necessitate.

Prob.2.p. de beatis, Angelis, & B. Virgine, & à fortiori de Christo: nam pœnitentia supponit peccatum in subjecto suo; sed peccatum omne repugnat in illis, & maximè in Christo; ergo & pœnitentia quoad actum.

Prob.3. p. sc. quòd sit in illis impropriè, & quoad habitum. Pœnitentia potest concipi ut habitus inclinans voluntatem ad vindicandum peccatum absolutè, & præscindendo, an in se, vel in alio; sed in hoc sensu non repugnat, nequidem in Christo; ergo &c. prob. min. Nam possunt inclinari ad odiendum peccatum, & ad volendum illud punire in peccatoribus, & gaudent de vindicta, qua Deus punit peccatores, & damnatos: *Lætabitur justus, cum viderit vindictam*, &c. ergo &c.

Confir. de Beatis, quia in cœlo possunt recordari de peccatis in via commissis, & illa odisse, ac detestari, sed sine tristitia, & dolore incompatibili cum statu beatitudinis; ergo possunt habere aliqualem pœnitentiam, etiam quoad actum. De Christo diximus suo loco.

Prob. denique de habitu. Nam qui habuerunt habitum pœnitentiæ, sicut & aliarum virtutum in via, possunt illos conservare in patria; nec enim dedecent statum illum, imo & ornant, sicut per illos meruerunt eam.

Objic.1. Habitus ille esset frustra in Angelis, & beatis, & multò magis in Christo, quia non posset exire in actus ullos; ergo in eis non est admittendus.

Resp.neg.ant. & cons. prob. tum quia esset in eis ad ornatum, tum quia possent sibi complacere in pœnitentia nostra, & illam desiderare. *Gaudium est in cœlo super peccatore pœnitentiam agente*; vellent ipsimet punire peccata omnia, si Deus id eis committeret, ut sæpè committit Angelis. Tales affectus, & actus sunt pœnitentiæ, & ad eam reduci possunt.

CONCLUSIO III.

PRobabile est habitum pœnitentiæ fuisse in Adamo innocente; non est autem in damnatis.

Prob. 1. ex Scoto dicente. [1] *Potest concedi, quod in statu innocentiæ, & beatitudine manet ista virtus.* Et in Reportatis sic argumentatur: [2] *loquendo de habitu, prout habens illum, pronus est ad agendum secundum inclinationem ejus, quando objectum, & alia omnia concurrunt; sic potest concedi, quod pœnitentiæ virtus fuisset in statu innocentiæ, & sic potest poni in Beatis, non autem ut illo utitur habens, cùm voluerit, quia objectum ejus numquam in beatis, nec in innocentibus accidisset.* Quoad damnatos autem docet, quod [3] *probabiliter sunt continuè in aliquo malo velle*, sc. obstinati in peccato, tantùm abest, ut peniteant. Et alibi dixerat: [4] *damnati verè non penitent, quia penam voluntariè non tenent.* Et in Reportatis. *Patet in damnatis, quomodo justè à Deo pena continuè inflicta involuntariè sustinetur: quia sicut continuant culpam, ita penæ continuè inflictæ remurmurant tamquam simpliciter involuntariæ: sunt enim impenitivi, quia eorum superbia ascendit semper.*

Prob. 2. Quia Adamus innocens potuit peccare; ergo & penitere.

Confir. ex dictis. Adam habuit omnia dona gratiæ, nec istud debuit illi deesse, quippe faciebat ad ornatum parentis, & capitis totius generis humani; item & ad puniendum non tantùm in aliis, sed etiam in se peccatum veniale, quia hoc poterat inesse in illo statu, ut dictum est, sed etiam in aliis veniale, aut mortale; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam intellectus damnatorum semper alligatur ad considerationem ignis, & voluntas est obstinata in malo, & sciunt se non posse velle bonum ullum ex motivo virtutis ullius; ergo non solùm frustra, sed etiam impossibilis est habitus ille cum illo statu.

Confir. ex Patribus. Nam inquit Isidor. [5] *Tanta est perversitas diaboli, quòd nullo modo potest ad penitentiam, sive gratiam penitentiæ resurgere, & ideo dici-*

[1] *Ibid.* [2] *Ibid. n.* 17. [3] *d.* 14 *q.* 1. *M.*
[4] *Ibid. q.* 1. *n.* 9. [5] *L. de Trin.*

dicitur insusceptibilis pęnitentiæ, &c. Et hoc, [1] *quia habet voluntatem alienam*, *& omninò aversam à justitia Dei*. Et August. dicit: [1] *Dæmones esse spiritus nocendi cupidissimos*, *à justitia penitus alienos*. Item, *nec mala posse unquam voluntate carere*, *nec pęna*, &c. Et S. Gregor. [3] *Angelum Apostatam perpetrata superbiæ cæcitas sic gravat*, *ut numquam ulteriùs ad lucem pęnitentiæ per divini respectus memoriam resurgat*; ergo in damnatis non est pęnitentia.

Objic. 1. con. 2. p. Multi moriuntur, & damnantur cum habitu pęnitentiæ; ergo in iis remanet ille habitus.

Resp. neg. conf. nam in illo statu nullà remanet virtus.

Objic. 2. ex Script. Remanet in damnatis timor: *Videntes turbabuntur timore horribili*; item & fides: *nam dæmones credunt*, *& contremiscunt*; ergo in damnatis est pęnitentia quoad habitum, & actum.

Resp. dist. conf. pęnitentia desperationis, invidiæ, & furoris, con. virtutis, neg. ant. nam illi motus veniunt ex visione felicitatis justorum, *quos habuerunt in derisum*: utuntur, & tabescunt ex invidia, & denique illi motus sunt puræ passiones ex malitia.

Inst. Damnati recordantur peccatorum suorum, & possunt ea detestari, saltem propter pęnas, quas patiuntur; sed hoc est pęnitentia; ergo.

Resp. dist. ant. possunt detestari de desperatione, & furore, con. ex motu virtutis, neg. ant. & conf. nam illi motus odii, & detestationis sunt involuntarii, & puræ passiones violentæ, cùm voluntas sit obstinata, & irrevertibilis à malo.

Objic. 2. In dæmonibus naturalia manserunt integra; ergo & habitus pęnitentiæ naturalis, sicut & scientia naturalis de malitia peccati.

Resp. neg. conf. nam cùm affectio in malum sit fortior in illis, ita & vincit omnem inclinationem in bonum, maximè in bonum virtutis.

[1] *De summ. bono* 10. [2] 8. *civ.* 21. [3] *De fi. ad Pe.* 3.

QUÆSTIO VI.

De necessitate virtutis pœnitentiæ. An, & qualis illa sit.

NOn repeto distinctionem *necessitatis*, *medii*, & *præcepti*; *absolutè*, *& simpliciter*, vel *secundum quid*, & *ad melius esse*, aut *congruentiæ*. Nec pœnitentiæ *generalis*, quæ est communis omnibus virtutibus, quatenus odiunt vitia sibi contraria, & *specialis*, quam diximus esse habitum inclinantem ad vindicandum proprium peccatum in pœnitente, neque *formalis*, & *explicitæ*, quæ est formalis volitio puniendi in se peccata commissa cum dolore, & detestatione illorum, aut *implicitæ*, seu *virtualis*, qualis dici potest amor Dei super omnia, vel actus virtutis oppositæ vitio, in quo peccatum est, & de quo pœnitendum; ver. grat. actus abstinentiæ est pœnitentia virtualis peccati intemperantiæ commissi. Hæc, & similia sæpiùs explicata sunt, nec amplius in illis immorandum.

Quæritur ergo, an pœnitentia sit necessaria ad remissionem peccati, ita ut ne Deus quidem possit illud remittere non pœnitenti. Sic erit simpliciter necessaria necessitate medii.

CONCLUSIO I.

H*Omini habenti peccatum mortale, ut possit recipere gratiam remissionis, pœnitentia est simpliciter necessaria necessitate præcepti, & medii*. Est de fide.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Ad remissionem peccati regulariter requiritur pœna, vel punitio voluntaria.... Ad deletionem culpæ mortalis post baptismum commissæ requiritur punitio voluntaria, vel voluntas punitionis: sed neutrum esse potest sine pœnitentia; ergo &c. non intelligitur nisi de pœnitentia actuali, idest actu pœnitendi .... quippe secundum regulas determinatas à Sapientia divina, quarum hæc est una, quod peccatum commissum non deleatur sine displicentia de peccato commisso.*

Prob.

[1] *d.* 14. *q.* 1. *M.* & *v.* 10. & 17.

Prob.2.ex Script. [1] *Si pœnitentiā non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.* Item, [2] *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Item, [3] *Agite pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum.* Item, [4] *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*, scil.nequidem baptismus, vel aliud Sacramentum sufficit adultis peccatoribus sine pœnitentia; ergo &c.

Prob.3.ex Concil. Trid. [5] *Fuit quidem pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent quovis tempore ad gratiam, & justitiam assequendam quondam necessaria.* Et citat Prophetam dicentem: *Convertimini ad me, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Et Lateran. cap. *Firmiter* idem insinuat.

Prob.4. ex SS.PP. Nam inquit August. *Nisi pœnitentiam egeris, salvus esse non poteris.* Et Ambros. *Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.* Et sic de aliis, qui omnes summè prædicant pœnitentiæ necessitatem absolutam.

Prob.denique; nam Deus sapientissimè, & justissimè decrevit non remittere peccata sine pœnitentia; & quia per peccatum avertimur à Deo voluntariè, non debet nobis reconciliari, nisi & nos revertamur ad ipsum; ideo dicit, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.*

Confir. quia peccatum durat habitualiter, & moraliter, donec retractetur; ergo non potest remitti sine pœnitentia, per quam retractetur. Ant. patet ex dictis de peccato habituali.

Porrò eædem auctoritates probant necessitatem medii æque, ac præcepti, dum dicunt: *Nisi pœnitentiam egeritis*, &c. quia indicant non posse haberi salutem post peccatum sine illa, & sunt etiam præceptivæ *Convertimini, & agite pœnitentiam*, &c.

Objic.1. Pœnitentia per se non delet peccatum; ergo non est ad hoc necessaria. Prob. ant. Damnati pœnitent, & non obtinent veniam; idem est de Juda, qui *pœnitentia ductus, laqueo se suspendit*, & sic de aliis; ergo &c.

Resp.dist.ant. Non delet formaliter, neque effectivè.

[1] *Eccl.3.* [2] *Luc.13.* [3] *Matth.3.*
[4] *Act.2.* [5] *sess.14.c.1.*

vè, & se sola, conc. dispositivè, & ut conditio necessaria, neg. ant. & cons. prob. nam pęnitentia damnatorum, & Judæ, & similium non fuit vera, sed desperatio, & furor.

Objic. 2. Ad salutem sufficit observantia mandatorum: [1] *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; sed hæc servari possunt sine pęnitentia; ergo hæc non est simpliciter necessaria ad salutem.

Resp. dist. min. modò non adsit peccatum, conc. si adsit peccatum, neg. min. & cons. Nam diximus eam esse necessariam habenti peccatum.

Inst. Christus dimisit peccata sine pęnitentia peccatoribus; ergo &c. Prob. ant. Dixit paralitico sine ulla nota pœnitentiæ: [2] *Homo remittuntur tibi peccata*. Et Magdalenæ propter puram dilectionem, [3] *Dimittuntur peccata multa, quoniam dilexit multum*; ergo &c.

Resp. dist. ant. & cons. prob. sine pęnitentia formali, transeat, sine virtuali saltem, & æquivalenti, ac implicita, neg. ant. & cons. Nam omnes illi, quibus sic loquebatur Christus, veniebant ad eum cum magna fide, ac devotione, & fiducia, vel charitate, & hæc involvunt virtualiter pęnitentiam. Paraliticum excitat ad fiduciam, Adulteram ad dolorem peccati, dicens: *Nemo te condemnavit*: Magdalena flevit ex dolore simul, & amore, qui virtualiter, & eminenter continet pęnitentiam; imò nec sine pęnitentia flevit.

Objic. 3. Remissio peccati tribuitur eleemosynæ, & condonationi injuriarum; sed in illis non est pęnitentia; ergo &c. Prob. maj. Nabuchodonosori suadetur, [4] *Peccata tua eleemosynis redime*. Et Christus dicit: [5] *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. Et, [6] *Dimittite, & dimittetur vobis*. Et, *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, ita Pater vester*, &c. ergo &c.

Resp. dist. maj. ratione charitatis, quæ continet eminenter pęnitentiam, conc. præcisè, & sine charitate in Deum, neg. maj. & dist. min. Nam illi actus imperantur à charitate divina, & hæc continet virtualiter eminenter pęnitentiam.

Resp.

[1] *Matth.* 19. [2] *Luc.* 7. [3] *Jo.* 8.
[4] *Dan.* [5] *Luc.* 11. [6] *Matth.* 6.

Resp.2.dist.eandem maj. remissio quoad pœnam,quæ remanet post remissam culpam, conc. quoad culpam, neg.maj. Nam adsunt alii textus Scripturæ, qui formalissimè docent necessitatem pœnitentiæ in omnibus peccantibus.

Objic.4. Si pœnitentia esset de necessitate præcepti, impœnitentia esset peccatum speciale; sed hoc est falsum; ergo & illud. Prob.min. Solemus confiteri negationem pœnitentiæ, ut circunstantiam, non ut peccatum; ergo &c.

Resp.neg.min. Nam cùm imminet periculum salutis, aut recipere debemus aliquod Sacramentum, aut illud ministrare, & si habemus aliquod peccatum, tenemur pœnitere, alioqui committimus novum peccatum.

Inst. Si hoc esset, nemo posset damnari ob unicum peccatum mortale; sed hoc est falsum; ergo & illud. Prob.maj. Nam sic moriens haberet cum peccato homicidii v.gr. peccatum omissionis pœnitentiæ, & transgressionis hujus præcepti.

Resp.neg.maj. Nam si habens homicidium præveniatur morte, ita ut non advertat ad periculum, nec ad obligationem pœnitendi, non peccat contra hoc præceptum, & sic moritur cum illo solo homicidio; secùs est, si advertat.

Quæres, *An illud præceptum sit de lege positiva, aut naturæ.*

Resp. esse de utraque: nam de positiva patet ex dictis; de naturali verò patet, quòd ratio naturalis dictat hominem debere sibi procurare, & applicare media possibilia salutis; sed habenti peccatum mortale pœnitentia est medium necessarium ad salutem; ergo &c.

Dices. Omnia præcepta legis naturæ continentur in decalogo; sed in nullo præcepto decalogi continetur istud de pœnitentia; ergo &c.

Resp. neg. maj. Nam præceptum amoris Dei est de lege naturæ, & *est primum, & maximum mandatum*; & tamen non legitur expressè in decalogo, nec minus obligat.

Respon.2. neg. min. Nam sicut peccatum opponitur cultui, & amori Dei, ita obligatio pœnitendi pertinet, & reducitur ad præceptum de cultu, & amore Dei.

Inst.

Inst. Si adesset talis obligatio, deberet assignari tempus, in quo urgeat; sed nullum tale tempus est assignabile; ergo &c.

Resp. neg. min. Nam plures sunt circumstantiæ temporis, in quibus tenemur pęnitere sufficienter ad remissionem peccati, ut sæpè dictum est.

CONCLUSIO II.

R*Egulariter pęnitentia ista debet esse formalis, & explicita, sed tamen aliquando sufficeret virtualis.* Est communior contra Sotum, & alios.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] *Regulariter ad deletionem peccati requiritur pœna, vel punitio voluntaria*, &c. Ecce primam partem. *Posset Deus remittere per aliquem motum ferventem dilectionis in Deum absque quocumque quatuor prædictorum actuum* (pęnitentiæ formalis) *sub propria ratione, utpote in actu fervoris martyrii, ubi fortè non esset cogitatio de aliquo peccato mortali prius commisso, nec per consequens aliquod pęnitere prædictum, & hoc formaliter, licèt virtualiter in hoc motu esset pęnitere secundum 2. significationem*: Et supra dixerat [2] in secunda descriptione pęnitentiæ, quod *intelligitur de displicentia formali, vel virtuali; & est displicentia virtualis quicumque actus voluntatis virtualiter includens illam displicentiam, sicut quodammodo causa includit effectum, licèt effectus in se non causetur*, &c.

Prob. 2. nam communiter docetur, quòd si quis habens peccatum mortale raperetur subitò ad martyrium, & ex vehementissimo Dei amore mortem libenter subiret, nihil cogitans de peccato illo, hæc dilectio charitatis perfectissimæ, qua major dari nequit, teneret locum pęnitentiæ, & justificaret eum; sed ibi nulla est pęnitentia formalis, sed solùm virtualis; ergo ad remissionem peccati sufficere potest aliquando pęnitentia virtualis. Prob. maj. 1. Deus promisit convertere se ad nos, si convertamur ad eum. [3] *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; sed nulla est melior conversio, quàm per heroicam illam charitatem, qua animam ponimus pro illo; ergo Deus ex pacto

[1] *ibid. V.* 17. [2] *ibid. T.* 19.
[3] *Zachar.* 1.

pacto suo, & fidelitate tenetur converti ad talem hominem, & eum redamare, & remittere illi peccatum.

2. Prob. ead. mai. ex Script. [1] *Ego diligentes me diligo*. Item, [2] *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Et Christus dicit Magdalenæ: [3] *Remittuntur ei peccata, quia dilexit multum*. Et de aliis, *Qui diligit me, diligetur à Patre meo*. Et S. Petrus: [4] *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Et iterum Christus: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*; ergo illa charitas in martyre supplet defectum pœnitentiæ ad remissionem peccati.

3. Prob. quia perpessio martyrii non prodest sine charitate, ex Apostolo; ergo martyrium cum perfecta charitate debet prodesse.

4. Denique, quia dolor de peccatis non acceptatur ad justificationem sine charitate; ergo à fortiori charitas ipsa debet acceptari, si æquivaleat, & contineat virtualiter illum dolorem; sed certum est, quod illum continet: nam qui perfectè Deum amat, ita ut vellet mori pro ejus amore, summè odit peccatum, quod Deum offendit, & detestaretur illud, si cogitaret se illud habere.

Objic. 1. Quæ sunt de necessitate medii, non possunt excusari, si desint: nam hæc necessitas non admittit excusationem; sed pœnitentia per nos est de tali necessitate; ergo ejus omissio non potest suppleri, nec excusari.

Resp. dist. min. Pœnitentia formalis, aut saltem virtualis, conc. formalis sola, neg. min. Nam pœnitentia, quam dicimus necessariam, debet quidem regulariter esse formalis; sed in certis casibus extraordinariis, qualis est ille, quem adduximus, sufficit virtualis. Præterea hæc necessitas non tam est ex natura rei, quàm ex Dei ordinatione, ut dicebamus ex Scoto; Deus autem testatur se acceptare charitatem illam, qua quis pro illo dat vitam, non cogitans de peccato.

Inst. Necessitas pœnitentiæ colligitur ex Scriptura; sed Scriptura nullum excipit casum; ergo nec illa necessitas patitur exceptionem.

Resp. neg. min. nam ex eadem Scriptura colligitur illa exceptio, quia non magis positivè docet necessitatem.

[1] *Prov.8.* [2] *Jo.4.* [3] *Jo.14.*
[4] *1.Pet.9.*

tatem pœnitentiæ, quàm efficaciam illius charitatis.

Objic.2. Non poteſt eſſe perfecta charitas in peccatore ſine pœnitentia formali; ergo nec remiſſio peccati. Prob.ant. Charitas non eſt perfecta, niſi imperet odium peccati; ergo & pœnitentiam.

Reſp.diſt.utrumque ant. ſi occurrat cogitatio peccati, conc.ſi non occurrat, neg.ant. nam ſupponimus caſum, in quo tam ſubitò quis rapiatur ad mortem pro Chriſto, & tam ferv idè velit ſic mori, ut nulla occurrat cogitatio de peccato.

Objic.3: Pœnitentia non minus eſt neceſſaria peccatori ad juſtificationem, quàm fides; ſed fides formalis eſt neceſſaria; ergo & pœnitentia. Prob.min. *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*; ergo &c.

Reſp.neg.maj. quia fides non poteſt ſuppleri per ullam aliam virtutem, quæ ipſam contineat virtualiter, ſicut charitas continet pœnitentiam, alioqui negaretur minor: nam fides illa virtualis ſufficeret.

Objic.4. Illud privilegium veniret ex ipſa charitate ſecundum ſe, vel ex conſortio martyrii; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec illud. Prob. min. 1.non ex ſola charitate, alioqui hæc ſemper efficeret, quia de ſe æquivaleret contritioni. 2. non ex martyrio, quia iſtud ſine charitate non prodeſt.

Reſp.neg.min. nam id haberet ex charitate, & diſt. prob. id ſemper præſtaret in pari caſu, conc. in omnibus, & ubique, neg.ant. Id ſemper præſtaret, quoties non poſſet haberi contritio, vel attritio, ut in caſu allato de martyrio.

Dico, *ſi non occurreret cogitatio de peccato*; neque enim puto aliter poſſe excuſari defectum pœnitentiæ formalis.

Quæres, *an ille, qui ſic juſtificaretur per eximiam charitatem, teneretur poſtea pœnitere, & confiteri peccatum illud, ſi ſuperviveret.*

Reſp.affirmativè: nam tunc urgeret Dei præceptum de pœnitentia, & ceſſaret ratio acceptationis, ac diſpenſationis, & excuſatio.

CON-

CONCLUSIO III.

Deus de potentia absoluta posset remittere peccatum homini sine ullo motu pœnitentiæ ex parte ejus. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] qui postquam docuit necessitatem pœnitentiæ, addit: *Nec tamen intelligo, quod hic sit simpliciter necessitas, cujus contrarium includit contradictionem; quia ex quo non est idem essentialiter Deum remittere culpam, & punire eam ..... videtur, quod Deus posset unum separare ab altero*; ergo Deus de potentia absoluta posset remittere peccatum sine pœnitentia, sicut etiam sine gratia, ut diximus alibi.

Prob. 2. quæ sunt distincta, possunt separari; sed pœnitere, & justificari sunt realiter distincta; ergo possunt separari, & justificatio potest esse sine pœnitentia, & vicissim. Prob. min. 1. Angeli, & Adam fuerunt justificati sine pœnitentia. 2. Actus pœnitentiæ non est nisi dispositio ad gratiam, quatenus tollit obicem ejus, scil. affectum ad peccatum; sed Deus potest inducere formas sine dispositionibus, & maximè in moralibus, quæ pendent ab ejus libera ordinatione: unde pœnitentia est dispositio congruitatis, quæ movet Deum ad remittendam offensam, quod facit liberrimè. 3. quia cùm attritus justificatur in Sacramento, id non fit ex vi pœnitentiæ, quæ tunc non facit aliud, quàm tollere affectum peccati; ergo &c.

Confir. Non apparet contradictio, quod Deus velle possit dimittere offensam sibi ab homine factam independenter ab istius retractatione, & dolore, & illi etiam dormienti gratiam largiri, qua mundetur ejus anima ab omni macula peccati, & tandem gloriam, &c.

Confir. 2. Homo potest condonare offensam inimico, & hunc diligere, non obstante ejus inimicitia, hoc præcipitur in Euangelio; ergo & Deus id poterit.

Objic. 1. Hominem justificari est fieri de injusto justum, & de inimico amicum Dei; sed hoc fieri non potest sine aliqua pœnitentia in homine; ergo &c. Prob. min. Non potest fieri transitus de contrario in contrarium sine aliqua mutatione intrinseca ex parte transeuntis; sed sine pœnitentia homo sic transiret sine muta-

[1] *ibid. L. 9.*

tatione intrinseca; ergo &c. Prob.min. Semper eodem modo afficeretur erga peccatum; ergo &c.

Resp.neg.utramque min. & ant. nam duplici modo concipimus hominem cessare esse peccatorem, 1.transeundo à statu peccati ad non peccatum negativè; & diximus id fieri posse per puram Dei condonationem, & absque infusione gratiæ sanctificantis, & sic remaneret in puris naturalibus. 2. transeundo à statu peccati ad statum positivum gratiæ, & sanctitatis, quam Deus liberè infundit in animam peccatoris, ut faciat illum positivè sanctum: utrobique autem fit aliqua mutatio intrinseca; in primo aufertur reatus culpæ, & pęnæ per Dei condonationem puram, & liberam, & in 2. infunditur gratia, quæ causat illum transitum.

Inst. Peccatum illud remitteretur per simplicem non imputationem, & illud diceretur consistere in sola imputatione ad pęnam; sed hoc est hæreticum; ergo &c.

Resp.neg.maj. Nam remitteretur per positivam condonationem ex parte Dei, qua vellet remittere offensam, & dare gratiam, &c.

Objic.2. Peccatum remitti non potest, dum est in affectu peccatoris; sed durat in affectu peccatoris, quamdiu non retractatur per pęnitentiam; ergo sine aliqua pęnitentia peccatum remitti non potest.

Resp.1.neg.absolutè maj. Nam, ut dicebam, debeo amare inimicum, etiam durante inimicitia ejus; ergo non repugnat Deum sic nos diligere: & de facto *facit oriri solem suum super bonos, & malos*, inquit Christus.

Resp.2. Peccatum dici durare dupliciter, 1. quoad reatum culpæ, & pęnæ ex parte Dei, quatenus habet jus irascendi, & puniendi peccatorem, donec pęnituerit. 2. quoad affectum, quatenus censetur semper velle actum malum, quem semel voluit, donec retractaverit illam volitionem. Hoc posito, dist. min. durat ex parte Dei de via ordinaria, conc. necessariò, & de via extraordinaria, ita ut Deus non possit cedere juri illi suo irascendi, & puniendi, neg.min. nam Deus de potentia sua absoluta potest cedere illi juri, & dare gratiam, & amorem suum peccatori, licèt iste non cessaret peccare, & maximè quia per illam gratiam avertere potest cor ejus à peccato, & inclinare in bonum.

Objic.

Objic.3. Peccatum non potest tolli, quamdiu voluntas est aversa à Deo; sed post peccatum voluntas manet aversa à Deo, donec convertatur per pœnitentiam; ergo sine illa non potest remitti peccatum. Maj. patet: nam homo non potest esse justus, quamdiu est aversus à Deo. Prob. min. Recessus ab uno termino tolli non potest, nisi per cessationem motus recessionis, & per motum reversionis; ergo aversio à Deo, seu peccatum tolli non potest, nisi per motum contrarium, sc. per cessationem aversionis, & per conversionem ad Deum, denique per pœnitentiam.

Resp. dist. maj. quamdiu manet aversa positivè ex parte Dei, & hominis, conc. aversa negativè ex parte hominis, neg. maj. nam per condonationem ex parte Dei, & infusionem gratiæ cessat aversio activa, & positiva ex parte Dei, & passiva ex parte hominis, qui non est aversus, nisi negativè, cessante peccato actuali: imò voluntas fit conversa passivè in homine per receptionem gratiæ, & activè in Deo, qui amat, quem oderat, & gratia illa inclinat, & convertit animam ad Deum.

Objic.4. Ut tollatur peccatum, debet tolli aversio à regula rationis, aut legis, in qua consistit ratio formalis peccati; sed hæc aversio tolli non potest sine retractatione pœnitentiæ; ergo nec peccatum. Maj. patet: nam peccatum, præter rationem offensæ Dei, includit etiam recessum à regula rationis, aut legis. Prob. min. Nam si Deus posset sine pœnitentia tollere difformitatem peccati cum regula illa, posset facere, ut peccatum contra illam, v. gr. mendacium non esset peccatum; sed istud implicat; ergo &c.

Resp. dist. maj. debet tolli aversio positiva, prout facit hominem reum, & dignum odio Dei, conc. quoad denominationem extrinsecam petitam ex actu præterito, neg. maj. & dist. pariter min. Nam, ut dicebamus, transacto actu peccati, nihil positivum remanet de illo, nisi reatus culpæ, & pœnæ, & denominatio extrinseca moraliter durans ex illo actu. Reatus verò tollitur per remissionem divinam, cui nihil obest illa denominatio, sicut Magdalenæ jam nihil obest ad gloriam, quod dicatur fuisse peccatrix.

Inst. Si per impossibile non esset Deus, fur adhuc moraliter esset fur, & peccator, donec satisfecisset;

sed

ſed tunc non adeſſet condonatio Dei tollens peccatum, quia ſupponimus non eſſe Deum; ergo condonatio non tollit peccatum.

Reſp.diſt.maj. eſſet ſur quoad reatum, ſi nulla eſſet condonatio peccati,conc.ſi adeſſet condonatio ex parte offenſi, neg.maj. & conſ. nam condonatio non tollit denominationem extrinſecam manentem ex actu præterito, benè verò reatum, & maximè ex parte Dei, qui ex ſummo ſuo jure poteſt tollere omnem reatum.

Objic.5. Deus ſe ſolo non conſervat peccatum habituale; ergo nec ſe ſolo poteſt illud tollere ſine pœnitentia peccatoris: non enim poteſt deſtruere aliud, quàm illud, quod conſervat, & ſicut conſervat.

Reſ.neg.conſ.& diſt.ant.prob. Si illud ſit quid phyſicum,conc. ſi quid morale, neg.ant. Deus ſe ſolo non conſervat votum, & tamen ſe ſolo poteſt illud condonare; ita eſt de peccato quoad reatum.

Inſt. Deus ſe ſolo, & ſine nobis non poteſt tollere opus bonum; ergo nec malum.

Reſpon.neg.conſeq. & parit. quia deſtruere ſe ſolo bonum opus, repugnat Dei bonitati, non autem tollere malum.

Reſpon.2.neg.ant. Nam Deus de potentia abſoluta poſſet negare præmium, & nolle acceptare bonum opus in ordine ad præmium, ſicut & condonare malum quoad reatum culpæ, & pœnæ.

QUÆSTIO V.

De præcepto pænitentiæ. An detur aliquod præceptum obligans ad actum virtutis hujus, & quando obliget.

QUoad 1.par. hujus quæſiti nihil reſtat dicendum: nam ſatis probatum eſt eam eſſe de neceſſitate præcepti poſitivi divini, & naturalis, & iterum dicetur de neceſſitate confeſſionis. Reſtat videndum, quandonam obliget illud præceptum. Dixi *virtutis pænitentiæ:* nam de pœnitentiæ ſacramento dicemus ſuo loco.

Loquor de obligatione pœnitendi ex ipſius pœnitentiæ præcepto directè, & per ſe, non autem per

acci-

accidens, scilicet ex occasione implendi aliud præceptum, verbi gratia administrandi aliquod sacramentum, vel celebrandi: nam tunc illa obligatio pœnitendi venit ex illo præcepto, quod non debet impleri in statu peccati mortalis. Unde sensus proprius quæstionis hujus est, an sit aliquod tempus determinatum, in quo homo habens peccatum mortale, teneatur elicere actum pœnitentiæ de illo. Item qualis debeat esse ille actus, ita ut novo peccato se maculet, nisi pœniteat.

CONCLUSIO I.

P*Ræceptum pœnitentiæ obligat præcipuè instante periculo mortis, & in aliis certis temporibus vitæ, non tamen statim post commissum peccatum mortale.* Est communior quoad omnes partes.

Prob.1. ex Scoto. [1] *Quicumque primam gratiam amisit, tenetur de necessitate præcepti, & hoc illius: Diliges Dominum Deum tuum, &c. agere, quantum est in se, ad recuperationem; & etiam virtute illius præcepti: Diliges te ipsum*, &c. Et infra [2] supponit, quod *viator non potest completa deliberatione recordari peccatum suum commissum, quin detestetur, vel displiceat; alioqui peccat ad minus omittendo*, &c. Et infra. *Actu intelligens Deum, & nullo modo diligens Deum, peccat. Similiter actu cogitans peccatum, & sine omni displicentia, peccat.* Et loquens de præcepto confessionis, [3] dicit illud *urgere, quandocumque* (homo) *est in periculo mortis. Quilibet enim, dum imminet judicium damnationis, vel misericordiæ, debet se præparare ad misericordiam, quantum potest.* Hoc facit pro 1.par. pro 2. autem addit: [4] *Istud autem non tantùm est in infirmitate mortali, sed quando aggreditur actus arduos, in quibus sit verisimile, quod mors immineat, ut in bello mortali, vel naufragio*, &c. Hæc autem vera sunt, saltem de pœnitentia virtute: nam de sacramentali dicemus suo loco.

Prob.1.p. quia instante morte urgent præcepta charitatis in Deum, & proximum, & seipsum, sicut & justitiæ; ergo tunc debent tolli peccata, quæ sunt offen-

sæ

[1] *d.17.F.13.* [2] *d.55.q.3.O.22.*
[3] *d.49.q.4.N.* [4] *d.17.O.21.*

ſæ Dei, & reparari injuriæ ſingulis factæ, & ſaluti noſtræ conſulendum eſt per amotionem cauſę damnationis; ſed hæc fieri non poſſunt ſine pœnitentia; ergo tunc obligat ejus præceptum, vel numquam; quia ſi tunc omittatur, numquam aliàs poterit impleri, ſc. ſi mors accidat.

Confirm. ex dictis de obligatione præceptorum fidei, ſpei, & charitatis, & ſacramentorum: nam charitas non eſt vera, & perfecta, niſi moveat nos ad deteſtanda peccata, & offenſas Dei; ergo ſi præceptum charitatis obligat in articulo mortis, à fortiori præceptum pœnitentiæ in peccatore, qui regulariter non poteſt habere charitatem, quamdiu habet peccatum.

Prob. 2. p. ex dictis: nam 1. ex præcepto Eccleſiæ jubemur confiteri ſaltem ſemel in anno; item & quoties adminiſtranda ſunt ſacramenta pro habentibus peccatum mortale, ut ſcilicet ſancta ſanctè tractentur; ſed hæc fieri non poſſunt ſine pœnitentia virtute; ergo in his, & ſimilibus caſibus, qui ſæpiùs occurrunt, urget obligatio pœnitendi.

Prob. 3. p. quia nullibi conſtat de tali obligatione: nam licèt valdè congruum ſit quàm primum, poſtquam excidimus à gratia Dei, reconciliari eidem; tamen de hoc non apparet ullum præceptum poſitivum, aut naturale; ergo ad hoc non tenemur ſtatim. Prob. anteced. 1. de lege poſitiva divina: nam ſimpliciter Scriptura præcipit, & docet neceſſitatem pœnitentiæ, non determinando tempus; ergo &c. Prob. anteced. Præceptum pœnitentiæ colligimus ex his, & ſimilibus textibus, *Pœnitentiam agite*. Et, *Convertimini ad Dominum*, &c. ſed ibi nulla apparet determinatio temporis; ergo &c.

Prob. 2. de lege Eccleſiaſtica: nam potius infertur contrarium ex determinatione temporis, quo celebranda eſt confeſſio, ſc. ſemel in anno.

Prob. 3. de lege naturæ. Non enim tam ſtrictè obligatur homo ad facienda omnia, quæ ſibi ſunt ſalutaria, & removenda, quæ nocent, ut ſtatim, & ſingulis momentis peccet, quibus ea differt ſibi procurare, vel amovere; ergo lex naturæ non obligat ad ſtatim pœnitendum. Prob. ant. Si hoc juberet lex naturæ, vel ex motivo charitatis, aut juſtitiæ; ſed neutrum

trum dici potest; ergo &c. Prob.min. quia talia præcepta essent positiva; sed hæc præcepta non obligant ad semper, sed pro certis circumstantiis; ergo &c. Et certè justitia ipsa non obligat ad citò resarciendam offensam, nisi pars læsa patiatur grave damnum ex dilatione satisfactionis.

Confir. quia ex praxi Ecclesiæ non solet examinare pœnitentes de retardatione pœnitentiæ, nec ipsi peccatores solent de hoc se accusare; sed utrumque, vel alterutrum fieri deberet, si teneremur statim pœnitere post peccatum; ergo non tenemur. Prob.min. nam tot peccata numero distincta committeremus contra illud præceptum, quot momenta præterirent sine pœnitentia.

Objic.1.cont.1.par. In lege nova sufficit sacramentum pœnitentiæ instante morte; ergo frustra præciperetur hæc virtus. Prob. ant.nam per sacramentum sufficienter providetur saluti nostræ.

Resp.neg.conf. nam hæc virtus necessariò includitur in illo sacramento.

Inst. Si ad salutem procurãdam urgeret præceptum virtutis hujus, hæc deberet esse contritio perfecta: nam attritio non justificat extra sacramentum;sed conseq.est falsum, & gratis asseritur, quia nullibi constat de tali præcepto; ergo &c.

Resp.neg.min. nam quæ ostendunt necessitatem justificationis in homine, probant necessitatem contritionis perfectæ; quia sine illa non possumus justificari.

Objic.1.cont.3.par.Numquam licet peccatum committere, vel in eo complacere; ergo nec in eo permanere; ergo toties peccamus, quot momentis differimus pœnitere post peccatum advertenter, quia toties complacemus in peccato.

Resp.dist.1.conf. permanere voluntatis actu positivo, conc. negativè, & per puram omissionem actus pœnitendi, neg. conf. nam hæc permanentia negativa per puram omissionem non est peccatum novum, aut distinctum, nisi cùm advertenter, & positivè volumus permanere in peccato, aut nolumus pœnitere.

Objic.2. Qui ægrotat corpore, tenetur ex charitate sui statim quærere remedia; ergo à fortiori peccator tenetur mederi animæ suæ.

Resp.neg.ant. unde sicut æger non peccat, si non quærat statim medicinam corporalem, sic nec peccator per hoc præcisè, quòd non quærit spiritualem.

Objic.3. Ex charitate debemus statim corripere fratrem peccantem, & ex justitia debemus statim satisfacere proximo læso; ergo & peccator debet statim se corrigere, & Deo satisfacere.

Resp.neg.ant.totum: nam sufficit corripere peccantem opportuno tempore, ne recidat, sed ut resurgat, & satisfacere, quando ex dilatione crescit læsio.

Objic.4. Differre pœnitentiam est nolle converti; sed nolle converti est per se peccatum; ergo & differre pœnitentiam.

Resp.dist.maj. est nolle negativè, seu non velle, con. nolle positivè, neg. maj. & min. nam simplex dilatio pœnitentiæ non importat ullam volitionem positivam circa peccati conservationem, nec positivam nolitionem conversionis.

Objic.5. Saltem Religiosus non excusatur à peccato, quando differt pœnitere; ergo saltem ille tenetur statim pœnitere post peccatum. Prob.ant. Nam ille semper debet tendere ad perfectionem; ergo & semper recedere à peccato.

Resp. neg.1. ant. & dist.2. debet tendere ex generali debito, & negativè, conc. & idem est de quolibet Christiano quoad mandata: debito speciali, & positivo, neg.ant. obligatio in Religioso tendendi ad perfectionem consistit in suarum regularum observantia, ita ut eas numquam transgrediatur, quod esset recedere à perfectione debita. Unde si regulæ non præcipiant, ut statim pœniteat post peccatum, nihil quoad hoc habet speciale inter Christianos.

Objic.6. Scriptura præcipit: [1] *Non tardes converti ad Dominum, & non differas de die in diem*. Item, [2] *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ*; ergo prohibetur dilatio pœnitentiæ; ergo tenemur statim pœnitere post peccatum.

Resp.dist.ant. dilatio nimia, & maximè cùm urgent occasiones graves, conc. præcisè, & absolutè, neg. ant. & cons. nam illi textus improbant dilationes longiores, ver. grat. in finem vitæ, & in circumstantiis, in

[1] *Eccle.5.* [2] *Rom.2.*

in quibus periclitatur salus, vel in quibus urgent alia præcepta, & obligationes, quæ non possunt impleri cum peccato mortali.

Inst. ex Patribus, qui improbant dilationes pœnitentiæ: nam inquit August. [1] *Pænitentia sera rarò est vera*. Et, ut loquitur Gregor. [2] *Peccatum, quod per pænitentiam citò non deletur, Deo permittente, suo pondere in aliud trahit*, &c. ergo statim pœnitendum est.

Resp. ut supra neg.cons. nam clarum est, quod illi Patres, & alii, qui sic loquuntur, intelligi debent de nimia dilatione, v.g. in finem vitæ.

CONCLUSIO II.

PEccant, *qui differunt pænitentiam in finem vitæ, imò & probabiliter illi, qui non pænitent, quando plenè advertunt se esse in peccato mortali*. Est communis.

Prob.1.ex Scoto, [3] quia *Si quis actu elicito determinat sibi numquam pænitere, nisi in extremis, illo actu elicito exponit se periculo tali* (salutis suæ) *& peccat mortaliter*. Et, ut dicebamus supra, [4] *Viator non potest completa deliberatione recordari peccatum suum commissum, quin detestetur, vel displiceat, alioqui peccat ad minus omittendo*; ergo peccator debet pœnitere, quando plenè advertit se esse in peccato mortali. Cogitatio autem *perfecta*, seu *plena*, & *deliberata* est illa cognitio à consilio cum matura discussione rei, cum circumstantiis ejus, ita ut cognoscatur, & perpendatur natura, qualitas, meritum, & conditio actus, vel rei. *Imperfecta* verò, & *indeliberata*, seu *non plena* est cogitatio, seu cognitio levis, accidentalis, & transitoria, sine consilio, vel examine de natura, qualitatibus, & circumstantiis actus, aut rei.

Prob.1.p. ex Patribus. Nam, ut dicebat August.[5] *Pœnitentia sera rarò est vera*. Et alibi, [6] *Pænitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma est; quæ autem à moriente petitur, timeo, ne & ipsa moriatur*. Item, *Satis alienus est à fide, qui ad pænitentiam agendam tem-*

[1] *ser.37.de temp.* [2] *hom.11.in Ezech.*
[3] *d.20.E.* [4] *d.45.q.3 O 22.*
[5] *ser.57.de temp.* [6] *ser.7.ad frat.*

pus senectutis expectat. S. Ambrosius [1] dubitat de tali pœnitentia. *Pœnitentiam petens in ultima necessitate ægritudinis suæ pœnitentiam accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus, quod petit, sed non præsumimus, quod benè petiit*. Idem dicit August. [2] Idem S. Cæsar. Arelaten. [3] *Age pœnitentiam, dum sanus es .... si sic agis, securus es .... qui egisti pœnitentiam tempore, quo peccare potuisti. Si autem tunc agere vis pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa*. Et S. Hieron. *Cùm ægritudine opprimeris, vix potes aliud cogitare, quàm quod sentis, & illuc rapitur intentio mentis, ubi est vis doloris*. Et sic de aliis.

Prob. 3. rationibus Doctoris probantis ferè impossibilem esse pœnitentiam in extremis. 1. ex infirmitatis, & periculi effectibus, qui animam ita vehementer occupant, ut vix aliud cogitare possit: nam infirmitas occupat dolore, & periculum timore. 2. quia plus movetur timore servili pœnarum, quàm amore filiali, & talis pœnitentia non disponit ad gratiam ex se, & sine sacramento. 3. ex vehementi, & obstinata inclinatione habitus contracti per totum vitæ cursum: nam inquit, *Difficile est tunc maximè contra istum habitum inclinari, detestando, quæ priùs erant delectabilia*. Et denique, qui differret pœnitentiam in finem vitæ, exponeret se evidenti periculo salutis; sed hoc est gravissimum peccatum; ergo & talis dilatio.

Prob. 4. aliis rationibus: nam 1. ut diximus alibi, sæpiùs ante mortem habendi sunt actus fidei, spei, & charitatis; ergo & pœnitentiæ. Nam charitas non potest esse perfecta, & vera, nisi nos moveat ad detestationem offensæ Dei. 2. Qui tamdiù differt pœnitentiam, est in periculo sæpius cadendi: nam, ut dicebat S. Gregor. *Peccatum, quod non citò deletur, suo pondere in aliud trahit*; & maximè quia qui vellet manere privatus gratia usque in finem vitæ, moveret Deum ad retrahenda auxilia gratiæ, sine quibus non vitatur diù peccatum. 3. Quia temerè præsumeret de gratia finali post transactam totam vitam in Dei contemptu, & inimicitia, inter tot pericula mortis improvisæ, quæ undique instant. 4. Quia violaret præceptum Ecclesiæ de annuali confessione, & communi-

munione. 5. Denique imprudentissimè differtur opus adeo necessarium ad salutem, & tanti momenti, quodque cum tanta applicatione, & maturitate judicii, & affectus fieri debet, in tempus, in quo ex infirmitatibus corporeis, ex habitibus in vitio contractis, debilitato intellectu, & voluntate, depravatisque affectibus difficillimum est; ergo multipliciter peccant, qui pœnitere differunt in finem vitæ suæ.

Confir.ex 2.par. Nam si verum est urgere præceptum pœnitentiæ, quoties occurrit plena cogitatio peccati commissi; à fortiori peccat, qui eam differt in finem vitæ.

Prob.ergo 2.p. Qui sic cogitat de peccato, sibi in eo complacet, saltem moraliter loquendo, vel de illo dolet, si complacet, de novo peccat, si dolet, habetur intentum; ergo &c. Prob.ant. Non potest de peccato sic cogitare indifferenter; ergo alterutrum facit. Prob.ant. Nam recta ratio dictat odiendum esse peccatum, quoties instat, & detestandum esse, si adest; ergo si non detestatur, nec pœniteat, peccat de novo.

Confir. Si in tali casu non teneremur detestari peccatum, numquam videremur teneri ex lege naturæ; sed conf.est absurdum; ergo &c. Prob. maj. Non esset major ratio de ullo alio tempore, & casu, quàm de isto: nam in isto possunt occurrere omnia motiva pœnitendi, quæ umquam aliàs haberi possunt; ergo si in isto casu non teneremur pœnitere ex dictamine rectæ rationis, seu legis naturæ, numquam aliàs teneremur.

Objic.1.cont.2.par. Illa pœnitentia esset perfecta, & justificans, aut imperfecta; sed neutrum dici potest; ergo nulla est talis obligatio. Prob.min. 1. non imperfecta, quia esset inutilis. 2. non perfecta, quia non tenemur justificari; ergo &c.

Resp. neg. min. & ant. 1. prob. Nam licèt attritio, quæ est contritio imperfecta respectu alterius, non sufficiat ad justificationem sine sacramento, non tamen est inutilis,sicut nec actus aliarum virtutum:neg. etiam ant.2.prob.nam ex charitate propria tenemur justificari, quando plenè advertimus nos esse in statu damnationis, non autem differre in finem vitæ.

Objic.2. Talis obligatio non constat ex ulla lege;ergo gratis asseritur. Prob. ant. 1. non ex lege divina,

quia non legitur in neutro testamento. 2. non Ecclesiastica: nam Ecclesia non judicat de purè internis, qualis est ista pœnitentia. 3. non naturali, quæ non sic obligat, nisi per præcepta negativa; ergo &c.

Resp. neg. ant. & prob. ejus quoad totum: nam Deus præcipit conversionem, & pœnitentiam post peccatum, ut diximus; & quando immittit tales cogitationes, satis indicat præcepta pœnitendi tunc urgere. Item de lege naturæ satis constat ex dictis. De Ecclesiastica verò constat ex præcepto annuæ confessionis, & ex cura, qua nos invitat ad examina frequentia conscientiæ, per quæ intendit nos excitare ad actus pœnitentiæ.

Inst. Quoties plenè cogitamus de Deo ut summo bono, non tenemur ad actus positivos amoris ejus; ergo nec ad actus pœnitentiæ, quoties sic cogitamus de peccato; est enim par utrimque ratio.

Resp. neg. ant. de quo in tract. de charitate, scil. nos teneri ad actus amoris Dei, quoties deliberatè cogitamus, aut nobis proponitur Deus, ut summè bonus.

CONCLUSIO III.

Tenemur etiam aliqualiter pœnitere de peccatis dimissis, quoties deliberatè cogitamus de illis. Sequitur ex dictis de objecto pœnitentiæ.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam cùm dixisset, quòd viator non potest recordari peccatum suum, quin detestetur, vel displiceat, addit, quod *perfecta dilectio, quæ semper impellit ad odiendum illud, quod est contra Deum, quod actu cognoscitur, vel cogitatur*, &c. ergo censet, quod charitas impellit justificatos ad odienda peccata, etiam dimissa, quoties de illis plenè cogitant. Idem colligitur ex S. Thoma [2] dicente, quòd *Pœnitentia debet durare usque in finem vitæ: semper enim debet displicere homini, quod peccaverit.* Et quia Beati non sunt capaces doloris, peccata præterita illis displicent sine omni tristitia; ergo à fortiori viatores.

Prob. 2. ex præcedenti: nam cùm justificatus recogitat maturè peccata præterita, vel de illis dolet, & displicet, & habetur intentum, vel in eis complacet, & peccat, nec illa respicere potest cum indifferentia: nam

[1] *d.45.q.3.O.22.* [3] *3.p.q.48.a.8.*

nam resisteret lumini rationis, & gratiæ, quæ non sic illuminat, nec ostendit homini peccata sua, nisi ut de illis doleat. Talibus exprobrat Deus. *Vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret.*

Confir. ex illorum mente, qui negant actus indifferentes, & omissiones puras liberas: nam nisi homo in talibus peccatis sibi displiceat, aut complaceat, erit indifferens, & purè omittens.

Prob.3 Quòd peccatum dimissum sit, non facit, quin semper ex objecto sit malum, & odibile; ergo & ut tale debet odiri.

Dixi, *aliqualiter pœnitere*; quia cùm sit dimissum, nec sit ulla necessitas ulterioris dimissionis, vel justificationis, sufficit tunc qualiscumque actus detestationis.

Objic.1. Non potest assignari motivum talis pœnitentiæ, saltem quoad necessitatem; ergo gratis asseritur.

Respon.neg. antec. Nam malitia peccati sufficienter movet ad illud odium; malum enim semper est odibile ex se sicut bonum semper est amabile, & maximè peccatum, quod est offensa Dei, cujus misericordia in dimittendo auget motivum pœnitendi, saltem ex gratitudine.

Objic.2. Innocens non tenetur pœnitere de peccato cognito; ergo nec justificatus, quia evasit innocens, aut par innocenti.

Resp:neg.conf. & rationem ejus: nam sufficit, quòd fuerit reus, ut doleat fuisse.

Objic.3. Esset onus gravissimum homini, si deberet semper dolere de malis præteritis, quoties illorum recordatur; ergo &c.

Respond. neg. anteced. imò id maxima est occasio meritorum: non est onus, quòd iteranda sit comestio, urgente fame.

DISPUTATIO II.

De actibus virtutis pænitentiæ.

HActenus examinata est natura hujus virtutis, jam ad actus ejus descendimus, ex quibus magis adhuc elucescet natura ejus, quippe habitus specificantur ab objectis, mediis, & actibus suis.

QUÆSTIO I.

Qui sint actus pænitentiæ virtutis.

ACtus pœnitentiæ *eliciti* sunt præcipuè *vindicta*, seu *punitio* peccati, *odium*, seu *detestatio* ejusdem, & hæc dicitur *contritio*, seu detestatio perfecta ex motivo puri amoris Dei super omnia dilecti: vel *attritio*, seu detestatio minus perfecta, scil. ex motivo timoris pœnarum, vel turpitudinis peccati: item *confessio*, & *satisfactio*. Actus autem imperati sunt illi omnes quarumcumque virtutum, qui possunt imperari à pœnitentia in punitionem peccati.

Certum est autem 1. quòd sicut habitus pœnitentiæ residet formaliter, & immediatè in voluntate, ita & actus ejus eliciti, & imperati: licèt enim prærequiratur actus intellectus dictantis, & ostendentis peccata, modum, medium, & finem, ac regulas pœnitendi, tamen ipsi actus formales pœnitendi sunt à voluntate, alioqui non essent in se laudabiles, quia non liberi.

2. Certum est, quòd illi actus pœnitentiæ eliciti in aliquibus specie differunt, in aliis non differunt in objectis, & finibus proximis: nam volitio puniendi peccatum, & confessio ejus habent diversos immediatos fines formaliter; sed ultimatè intendunt justificationem, & habent pro objecto etiam ultimo honestatem hujus virtutis, per quam distinguitur ab aliis; ergo actus eliciti pœnitentiæ in aliquibus differunt specie, in aliis non differunt. Prob. ant. *Punitio* respicit immediatè vindictam, *odium* respicit malitiam, & habet pro fine destructionem peccati, *confessio*,

fessio respicit manifestationem ejus, & erubescentiam ex illo; ergo &c.

Odium autem est actus, quo voluntas, resilit ab objecto disconvenienti, aut quasi disconvenienti, sicut *amor* est actus, quo fertur in objectum, ut conveniens. *Detestatio* aliquando sumitur pro odio, & displicentia, sed propriè significat actum voluntatis, quo respicit peccatum præteritum cum tristitia, & dolore quodam cum aliquali desiderio, ut non fuisset. *Dolor* verò est afflictio, & inquietudo ejusdem voluntatis sequens ad illud odium, & detestationem pro peccato commisso, quod consideratur, ut maximum malum, & sæpè tantus est, ut transeat ex anima in appetitus sensitivos; & inde veniunt lacrymæ, suspiria, singultus, &c. *Displicentia* etiam coincidit cum odio, detestatione, & dolore, & est passio potiùs quàm actus elicitus. Sub odio, & detestatone continentur *contritio*, & *attritio*, qui sunt actus principales pœnitentis. Sed de his infra.

CONCLUSIO I.

Dolor, seu tristitia non sunt propriè actus pœnitentiæ, sed effectus actuum ejus, per quos imperantur.

Prob. 1. ex Scoto. *Dico, quòd & si tristitia sit passio, tamen imperare eam est actus; &, sicut dictum est prius, tristitia non est actus virtutis pœnitentiæ, etiam quomodocumque accipiendo pœnitentiam; sed pœnitentiæ virtutis primo modo acceptæ est effectus remotus*; ergo ex Scoto tristitia non est actus pœnitentiæ elicitus, neque dolor, sed ille, per quem imperatur illa tristitia, seu dolor.

Prob. 2. nam tristitia propriè non est velle, nec nolle; ergo non est actus voluntatis; ergo nec pœnitentiæ. Prob. ant. 1. non est velle, quia velle est de bono, quod non causat tristitiam, nec dolorem, sed gaudium. 2. non est nolle, sed passio nascens ex illo; est enim *de his, quæ nobis nolentibus accidunt*, ait August. ergo &c.

Confir. nam tristitia est pœna, quæ intenditur in pœnitentia; ergo est potiùs finis, quàm actus pœnitentiæ elicitus.

Prob.2.p. nam sicut actus, quibus causantur gaudium, & lætitia, dicuntur etiam gaudium, & lætitia, ita & illi, quibus causantur dolor, & mœror, & tristitia, dicuntur eodem sensu mœror, & dolor ab effectibus suis. Sic contritio dicitur *dolor, & detestatio animi de peccato commisso*, ex Trident. [1]

Objic. 1. Dolor est actus vitalis; ergo est verus actus pœnitentiæ. Prob. ant. nam dolor sentit, odit, fugit, &c. ergo est vitalis.

Resp. neg. ant. utrumque: nam dolor non sentit, nec odit, sed sentitur, & oditur.

Objic. 2. Dolor, & tristitia sunt voluntaria, alioqui non essent meritoria; ergo sunt actus voluntatis.

Respon. dist. ant. voluntaria ex imperio voluntatis, conc. in se formaliter, neg. ant. ut patet ex dictis de passionibus.

CONCLUSIO II.

VElle vindicare, seu punire peccatum est proprius actus pœnitentiæ virtutis. Est Scotistarum.

Prob. 1. ex Scoto sæpius cit. [2] dicente, *Pœnitentiam esse punientiam, seu pœnæ tenentiam*, & quidem actualem.

Prob. 2. ex dictis de objecto formali pœnitentiæ: nam ille actus est primarius, & principalis, per quem respicitur immediatè objectum formale virtutis; sed talis est volitio vindictæ, & punitionis peccati; ergo est primarius actus pœnitentiæ.

Prob. 3. Nam ex illo velle sequuntur omnes alii actus, & effectus pœnitentiæ, ergo &c. Prob. antec. nam quia volo punire peccatum meum, considero peccati malitiam, & gravitatem, tristor de illius commissione, statuo non peccare de cætero, confiteor illud, satisfacio pro illo, accepto pœnam, &c. ergo &c.

Objic. 1. Actus proprius unius virtutis non elicitur ab aliis; sed volitio vindictæ peccati elicitur ab aliis virtutibus, imò & ab incapacibus pœnitentiæ; ergo illud velle non est proprius actus pœnitentiæ. Prob. min. Singulæ virtutes volunt punire vitia sibi contraria, & Deus vult punire peccata; sed aliæ vir-

[1] *sess. 14. c. 4.* [2] *d. 14. q. 1. V.*

virtutes non sunt pœnitentiæ, & pœnitentia repugnat Deo; ergo &c.

Resp. neg. 1. min. & dist. 2. maj. volunt punire tam in volente, quàm in aliis, con. in ipso volente præcisè, neg. maj. & conf. singulæ virtutes odiunt vitia sibi opposita, ubicumque sint ex motivo propriæ honestatis, & Deus vult punire peccata aliena, cùm ipsi repugnet peccatum; pœnitentia verò directè, & per se vult punire peccata ipsius pœnitentis, & in ipso: hoc illi proprium est.

Objic. 2. Actus principalis, & proprius pœnitentiæ debet respicere directè objectum ejus; sed velle punire non respicit directè objectum pœnitentiæ; ergo &c. Prob. maj: objectum pœnitentiæ est peccatum; sed illud velle non respicit peccatum, nisi indirectè; respicit directè pœnam ejus; ergo &c.

Resp. neg 1. min. & dist. 2. maj. peccatum est objectum materiale, con. formale, neg. maj. sic distincta min. nam pœnitentia respicit peccatum ut punibile, & sic pro formali respicit punibilitatem, & pœnam.

Inst. Pœnitentia peccatum velle non potest sub ratione pœnæ; ergo &c. Prob. ant. si pœna esset volita, jam non esset pœna, quia non esset contra inclinationem voluntatis; imò nec potest eam velle, quia est sibi contraria, & mala.

Resp. dist. 2. ant. non potest velle secundum affectionem commodi, conc. secundum affectionem justitiæ, neg. ant. & conf. idem dico ad prob. secundum affectionem commodi pœna est malum voluntati, sed secundum affectionem justitiæ est illi bonum; & sub hoc respectu amatur à pœnitentia. *Peccator de peccato doleat*, quia illud est simpliciter malum, *& de dolore gaudeat*, quia iste dolor est illi salutaris, & bonus.

Inst. 2. illud velle est posterius odio peccati; ergo non est primarius actus pœnitentiæ. Ant. prob. ideò pœnitemus de peccato, quia odimus illud, & volumus illud destruere; ergo velle punire supponit odium peccati, ex quo nascitur.

Resp. neg. utrumque ant. imò peccatum, quod priùs placebat, volumus punire, & inde illud odimus, & applicamus media ad illud delendum.

Inst. 3. Primus actus virtutis est ille, quo attingitur

objectum ejus formale; sed tale est odium peccati; ergo &c. Prob. min. objectum formale pœnitentiæ est delebilitas peccati; sed hæc directè, & primò attingitur per odium; ergo &c.

Resp. neg. 1. min. & dist. 2. attingitur per odium ut medium *quo* delebilitatis, conc. ut primum agens, & imperans deletionem, neg. min. & cons. nam volitio vindicandi est primus motus contra peccatum, & imperat odium, quod est prima pœna, & primum medium talis destructionis, & primus effectus ejusdem volitionis vindicativæ.

CONCLUSIO III.

O*Dium, & detestatio, & displicentia peccati sunt veri actus pœnitentiæ*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ex utroque actu definit pœnitentiam, dicens: *Pœnitere est detestari, et odire peccatum à se commissum*; ergo &c.

Prob. 2. ex Scrip. [2] *Iniquitatem odio habui, et abominatus sum*. Et, *Omnem viam iniquitatis odio habui*.

Prob. 3. ex Concil. Trid. [3] nam de pœnitentibus, & necessitate pœnitentiæ dicit, quod *perversitate abjecta, et emendata, tantam Dei offensionem cum peccati odio, et pio animi dolore detestantur.* ... Et contritionem, quam dicit præcipuum actum penitentis, definit *dolorem, et detestationem de peccato commisso*, &c. Et declarat eam continere *veteris vitæ odium*, &c.

Prob. 4. nam odium, & detestatio peccati respiciunt directè objectum, & finem pœnitentiæ, & nascuntur ex syncera volitione puniendi peccatum, & sunt tenentiæ pœnarum ejus, & primæ punitiones.

Objic. 1. nullus actus virtutis est de re impossibili; sed odium peccati commissi est de re impossibili; ergo &c. Prob. min. impossibile est peccatum non esse commissum, supposito quod fuerit; ergo &c.

Resp. neg. min. & cons. prob. nam existentia ipsa peccati est odibilis, & non solùm ut præsens, sed etiam ut præterita; & licèt non possim jam facere, ne fuerit, tamen debeo dolere, quod fuerit, &, si possibile esset, vellem non fuisse.

Inst.

[1] *Ibid. S. 3.* [2] *Ps. 118.* [3] *Sess. 14. c. 1. et 4.*

Inst. illud odium est efficax, vel inefficax. 1. non efficax, quia esset de impossibili. 2. non inefficax, quia non sufficeret ad remissionem peccati, nec placeret Deo, qui abominatur tepidos; ergo &c.

Resp. quòd in affectu esset efficax, quatenùs operatur veram tristitiam de peccato commisso,& syncerum propositum non peccandi de cetero, & satisfaciendi; esset autem inefficax respectu existentiæ peccati, quatenùs non potest velle efficaciter ne extiterit; hoc enim est impossibile; sed vellet non consensisse in illud; & retractat consensum illi datum, & detestatur, quantum potest.

Objic.2. odium illud respicit peccatum, ut offensam Dei, vel ut aversivum à Deo, vel ut impeditivum gloriæ, vel ut inductivum gehennæ; sed sub nullo ex his respectibus est actus pœnitentiæ, sicut nec peccatum est objectum ejus; ergo odium peccati non est actus pœnitentiæ. Prob. min. nam sub 1. & 2. respectu est actus charitatis: sub 3. est actus spei: & sub 4. est actus amoris concupiscentiæ, qua odimus nociva ex amore nostri, vel ex timore servili, qui non est virtus.

Resp. dist. maj. prout imperatur ab aliis virtutibus, con. prout est ex pœnitentia, neg. maj. nam hæc respicit peccatum ut malum punibile. Potest quidem imperari ab illis aliis virtutibus simul, aut seorsim, sed non est à pœnitentia, nisi sub hoc respectu.

Objic.3. Detestatio non respicit pœnam ut objectum, neque ut effectum, nec est actus voluntatis, sed intellectus; ergo non est actus pœnitentiæ. Prob. ant. nam detestatio est actus judicii, quo improbatur aliquid ut malum, & inhonestum; ergo non respicit pœnam, nec est in voluntate; respicit indecentiam, quam condemnat intellectus.

Resp. dist. ant. detestatio præsuppositivè, & directivè est ab intellectu, con. formaliter, & elicitivè, neg. ant. & cons. detestatio, qua improbamus, & dolemus de peccato commisso, con. cōs. supponit quidem judicium de malitia, & punibilitate peccati, ostendens voluntati, quod peccatum est malum, quod non debuit committi, sed debet puniri, & reparari; sed voluntas sic edocta illud odit, & detestatur, & vult punire in peccatore.

Inst. Omnis actus pœnitentiæ debet esse cum tristitia, & dolore; sed detestatio est sine dolore, & tristitia, imò sæpè est cum lætitia; ergo &c.

Resp. dist. min. detestatio per modum judicii, & in intellectu, con. detestatio affectiva, & in voluntate, neg. min. Non enim possum detestari malum per me commissum, quin de illius commissione doleam, nisi sim depravatissimæ, & perditissimæ voluntatis.

Objic. 4. Displicentia est communis omni virtuti, & habitui, etiam vitioso: nam cuilibet displicent objecta contraria; ergo non est actus proprius pęnitentiæ.

Resp. dist. ant. & rationem ejus, displicentia generaliter, & ex motivis specialibus virtutum, & habituum, conc. ex motivo speciali justitiæ, ac vindictæ peccati commissi, neg. ant. nam sub hoc motivo propria est soli pęnitentiæ.

Objic. 5. displicentia ex Scoto est passio, sicut & dolor, ac tristitia; ergo non est actus pęnitentiæ, sed tantùm effectus ejus.

Resp. dist. ant. displicentia passivè ut effectus actus voluntatis, con. quatenùs est aversio, & improbatio, qua voluntas retractat, & improbat peccatum commissum, neg. ant. nam hæc est actus voluntatis, quo sibi imponit dolorem, & tristitiam in pęnam peccati sui.

Quæres, *An illi actus sint ita proprii virtuti pęnitentiæ, ut non possint esse ab aliis virtutibus.*

Resp. eos posse esse ab aliis virtutibus ex propriis suis motivis, & tunc pertinent ad illas, & non ad pęnitentiam. Aliquando etiam possunt ab illis eisdem imperari ex motivo pęnitentiæ, aut elici à pœnitentia ex motivo illarum, & tunc participant bonitatem ab utrisque, sc. ab imperante, & ab eliciente.

Prob. ex Scoto. *Quandoque ex charitate, sive ex contemplatione Dei statim inest quædam detestatio peccati, et sequitur tristitia maxima, nullo adhuc posito actu justitiæ respectu illius tristitiæ: quandoque autem primo inest actus justitiæ intensus in se, et quandoque sequitur tristitia, quandoque non.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An actus pœnitentiæ sint supernaturales in substantia.

LOquimur de pœnitentia Christiana, quæ peccatorem aliquo modo disponit ad gratiam justificationis proximè, aut remotè: nam de alia non curamus. Quærimus ergo, an illi actus pœnitentiæ, sc. odium peccati, detestatio, displicentia, & quos diximus ab ea elici posse, sint supernaturales in substantia.

Diximus autem supernaturalitatem dici respectu causæ efficientis, quando effectus superat virtutem naturalem agentium creatorum, dicitur supernaturalis in substantia, vel accidentaliter, & quoad modum. Hoc supposito,

CONCLUSIO.

ACtus pœnitentiæ christianæ, qui disponunt aliquo modo ad gratiam justificantem, sunt supernaturales ab auxilio gratiæ excitantis, et adjuvantis, non quidem quoad substantiam, et per se, sed per accidens, et quoad modum. Est de fide quoad 1. p. & Scotistarum quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto dicente: [1] *Concedo ante perceptionem dignam pœnitentiæ oportet suscitari, vel simpliciter* (per infusionem gratiæ sanctificantis, si contritio sit perfecta) *et tunc per pœnitentiæ sacramentum non deletur peccatum, sed gratia, quæ influit, augetur, vel suscitari secundum quid, sc. ut habeat aliqualem displicentiam de peccatis, et propositum cavendi de cætero*. Nam per suscitationem inchoatam, & secundum quid intelligit suscitationem per gratias actuales excitantes, & adjuvantes ad detestandum peccata, ut attritio sufficiat cum sacramento ad recipiendam gratiam sanctificantem, *per quam attritio fit contritio, et tunc* (homo) *suscitatur simpliciter per sacramentum*; ergo tantùm abest, ut Scotus velit, quòd per attritionem purè naturalem peccator disponatur ad gratiam justificantem, cùm nequidem supernaturalis elicita

sc. ex

[1] *d.14.q.4.H.10.*

sc. ex gratia actuali, quam vocat *suscitantem secundum quid*, non sufficit sine sacramento.

Confir. ex eo, quod docet: [1] *Opus esse non hominis, sed Dei, fructuosam pœnitentiam inspirare*. Et aliàs dixerat, quòd *asserere actum ex puris naturalibus esse meritorium, appropinquat errori Pelagii*. Item, *Hoc, quo homo meritoriè agit, non posest esse pura natura, quia tunc ex solis naturalibus posset meritoriè agere, quod videtur error Pelagii*. Vides quàm longè absit Scotus ab errore Pelagii, quem toties damnat: & quòd prætendit actus pœnitentiæ, quibus disponimur ad gratiam sanctificantem, esse debere supernaturales ex parte gratiæ actualis, qua *peccator suscitatur secundum quid*.

Prob. 2. ex Script. docente conversionem peccatoris ad pœnitentiam esse donum Dei, & effectum gratiæ. Ideò dicebat Jeremias: [2] *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam*. Ergo (inquit Hieron.) [3] *id ipsum, quod agimus pœnitentiam, nisi Dei nitamur auxilio, implere non possumus*. Et D. Paulus, [4] *Nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant à diaboli laqueis*. Et, *Quis hoc dat* (ait Chrysost.) *nisi qui respexit Petrum negantem, et fecit flentem*? Idem patet ex aliis locis Scripturæ citatis pro sustinenda necessitate gratiæ.

Prob. 3. ex Concil. [5] nam in Palæstino contra Pelagium dicitur, *ipsam pœnitentiam esse donum Dei, dixit Apostolus, ubi ait; nequando Deus det illis pœnitentiam*, &c. Et Trident. definit, [6] *Si quis dixerit sine Spiritus S. inspiratione, et adjutorio ejus hominem credere, sperare, aut pœnitere, sicut oportet, ut ei gratia justificationis conferatur, anath. sit*. Idem fuerat definitum in Arausic. II. nam ex his sequitur nullum actum naturalem pœnitentiæ disponere sufficienter ad gratiam justificantem.

Reliquæ probationes petendæ sunt ex dictis de necessitate gratiæ.

Prob. 2. p. 1. etiam ex dictis de actibus fidei, scil. actus naturales, & supernaturales credendi præcisè non differre quoad substantiam, sed quoad modum: nam eadem est ratio, & quidem à fortiori de actibus pœni-

[1] *d.20.A.2.1.d.17.MM.* [2] *Jerem.31.* [3] *Ibid.* [4] *2. Tim.* [5] *act.12.* [6] *Sess.6.can.3.*

nitentiæ naturalis, & supernaturalis, nec vacat ea repetere.

Confir. ex Trid.cit. nam cùm dicit *hominem non posse pœnitere, sicut oportet, ut ei gratia conferatur sine Spiritus S. auxilio*, satis indicat posse haberi actus pęnitentiæ, sicut & spei, & fidei ex principiis naturalibus, qui non sufficiant ad justificationis gratiam; ergo ex Concil. Trident. actus naturales, & supernaturales pęnitentiæ non differunt quoad substantiam, sed tantùm quoad modum.

Et hoc à fortiori dicimus de pęnitentia: nam fides, spes, & charitas sunt habitus per se infusi, & supernaturales in substantia; & sic major est supernaturalitas istorum, quàm actuum pęnitentiæ, quæ non est per se infusa.

Objic.1. con.1. p. quidquid est in pęnitentia, potest fieri naturaliter; ergo non requirit auxilium supernaturale. Prob. ant. potest cognosci malitia, & punibilitas peccati, & voluntas potest illud odisse, & velle punire, etiam naturaliter: nam in illo objecto nihil habent supernaturale; ergo uterque actus est naturalis.

Resp. dist. utrumque ant. potest fieri naturaliter aliquo modo, & imperfectè, & insufficienter, conc. perfectè, & sufficienter, neg. ant. Nam ad eam cognitionem debet concurrere fides, & ad illud velle influere debet gratia excitans, & adjuvans voluntatem, alioqui actus erunt imperfecti, & insufficientes ad gratiam justificationis obtinendam.

Inst. tota entitas actus intrinsecè est naturalis; ergo sufficit sine illo auxilio.

Resp. dist. ant. tota entitas ex parte intellectus, & voluntatis, con. ex parte fidei, & gratiæ excitantis, & juvantis, neg. ant. & cons. nam ex his principiis habet supernaturalitatem, quia superat vires naturales harum facultatum.

Objic. 2. ex Scoto: [1] *Peccator ex naturalibus cum communi influentia potest considerare peccatum commissum, ut offensivum Dei, et ut contra legem divinam, et aversivum à Deo..... et sub multis talibus rationibus; et voluntas sub illis, aut aliqua illarum, potest peccatum sic cognitum detestari: et ille motus potest*

[1] *d.14. q.2. N.*

test continuari, & intendi ante infusionem gratiæ .... Iste autem motus dicitur attritio, & est dispositio, sive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, quæ sequitur in ultimo instanti durationis attritionis; ergo ex Scoto pœnitentia purè naturalis, & ex generali concursu Dei sufficit ad gratiam justificationis. Hæc verba, ut dixi, dederunt multis occasionem calumniandi Scotum, quasi consenserit Pelagianis, aut Semipelagianis volentibus hominem ex suis viribus naturalibus disponere se ad primam gratiam, sed pessimè.

Resp. neg. conf. nam, ut notavimus aliàs, Scotus numquam voluit excludere necessitatem influxus fidei, nec gratiæ supernaturalis actualis ad omnia opera, quibus homo disponitur ad gratiam justificantem. Nam per vocem *ex naturalibus* intelligit potentias intellectus, & voluntatis. Per *influentiam communem* intelligit gratias actuales, per quas Deus solet concurrere ad alios actus bonos, quibus peccatores solent se disponere ad gratiam habitualem. Et vocat illum *influxum communem*; quia illæ gratiæ auxiliatrices, & actuales sunt communes justis, & peccatoribus.

Distinguit autem *attritionem à contritione*, more Theologorum sui temporis, qui *attritionem* vocabant omnem pœnitentiam informem, seu quæ præcedit justificationem: contritionem verò omnem pœnitentiam formatam, seu quæ conjungitur statui gratiæ sanctificantis. Vide Scotistas nostros, maximè Cardinalem nostrum Brancatum, disp.6. à n.125. Mastrium d.6. à n.71. & alios.

Inst. Scotus nullibi loquitur de auxilio supernaturali, ut necessario ad opera dispositiva ad gratiam, sed expressè dicit hæc fieri posse *ex naturalibus cum influentia communi;* ergo responsio non est ad ejus mentem. Prob. ant. nullus umquam Theologus per hæc verba, *ex naturalibus*, & *per influentiam communem* intellexit concursum gratiæ actualis supernaturalis, sed influxum generalem, quo Deus concurrit ad omnes effectus causarum secundarum, ut causa prima universalis; ergo gratis sic explicatur de concursu per gratias supernaturales actuales contra communem sensum terminorum.

Resp. neg. ant. nam quoties loquitur de tali auxi-

lio,

lio, semper monet cavendum ab errore Pelagii; & nullum meritum haberi posse *ex puris naturalibus*, nisi fortè *de congruo*; & maximè in 1. ubi dicit, [1] *quòd illud, quo voluntas meritoriè agit, non potest esse pura natura, quia tunc ex solis naturalibus posset meritoriè agere, quod videtur error Pelagii*. Et infra: *Non creditur Deus ita disposuisse, quòd naturam puram, vel actum ejus sic acceptet* (ut meritorium) *quia actum ex puris naturalibus esse meritorium, appropinquat errori Pelagii*.

Ergo cùm Scotus dicit, quod *peccator ex puris naturalibus cum communi influentia*, &c. non intendit excludere ex parte Dei omnem concursum gratiæ, ac principii supernaturalis, sed solius gratiæ habitualis, seu charitatis, ut patet ex tota illa quæstione 2. vel 3. dist.17. sicut & ex intento q. 2.d.14. in 4. nam ista excludit solam illam gratiam, quæ format *contritionem*, non autem illas, quæ concurrunt ad *attritionem*: nam quando excludit concursum omnis gratiæ supernaturalis ab actibus nostris in sensu Pelagii, dicit eos elici *ex puris naturalibus*, quod *sapit errorem Pelagii*, inquit; cum verò dicit nude, *ex naturalibus*, excludit solius gratiæ habitualis influxum, non autem gratiæ actualis.

Idem est de *influentia communi*. Nam luce clarius est eum per hæc verba non excludere nisi influxum gratiæ habitualis, quæ format contritionem, juxta sensum communem Theologorum sui temporis, qui, ut videbimus, nomine *contritionis* intelligebant pœnitentiam formatam charitate habituali, & sanctificante. Attritionem verò dicebant omnem pœnitentiam, quæ præcedit gratiæ sanctificantis infusionem, licèt non fiat sine concursu gratiæ actualis supernaturalis excitantis, & juvantis, quæ sunt influentiæ communes utrique actui, sc. contritioni, & attritioni, sicut & pœnitentibus justificatis, & justificandis. Hæc paulò fusiùs notasse juvabit ad intelligentiam sanam doctrinæ Scoti.

Objic.1. con.2. p. ex Concil. Trid. cit. & Milevit.II. Ad veram pœnitentiam requiritur lumen gratiæ, quo videamus, & auxilium, quo possimus pœnitere; sed id fieri nequit, nisi actus illi pœnitentiæ sint superna-

tura-

[1] 1.*d*.17.*q*.2.*DD*.*q*.3.*n*.20.

turales in substantia; ergo &c.

Resp. neg. min. nam licèt illi concursus sint supernaturales in se, non semper faciunt, ut effectus sint semper supernaturales in substantia, sed quoad aliquem modum, v. g. ut sint quales oportet esse ad justificationis gratiam obtinendam, ut ait Trident.

Inst. Pœnitentia Christiana est habitus per se infusus æquè, ac fides, & spes; ergo & actus ejus sunt supernaturales in substantia, sicut fidei, & spei.

Resp. 1. neg. ant. nam, ut diximus, pœnitentia non est habitus per se infusus, sicut fides, & spes.

Resp. 2. neg. conf. nam, ut diximus, supernaturalitas habituum fidei, spei, & charitatis non facit, ut actus earum sint semper supernaturales in substantia.

Objic. 2. Actus per se disponens ad gratiam justificantem est supernaturalis in substantia; sed omnes actus pœnitentiæ disponunt ad illam gratiam; ergo, &c. Prob. maj. dispositio, & forma sunt ejusdem ordinis: alioqui effectus superaret causam suam, sc. forma, seu gratia est ordinis supernaturalis: dispositiones verò, sc. actus pœnitentiæ essent naturales in substantia; ergo &c.

Resp. neg. maj. & ant. prob. & rationem ejus. Nam dispositiones ad generationem sunt accidentia, & forma est substantialis: sufficit ergo, ut isti actus sint supernaturales quoad modum; & isti actus non sunt causa physica gratiæ, sed tantùm moralis, & quidem de congruo; nec immediatè disponunt ad gratiam sine sacramento, vel sine charitate, ut in contritione perfecta.

Inst. non implicat illos actus esse supernaturales in substantia; ergo ita est: nam idem dicendum de his actibus, ac de actibus fidei.

Resp. neg. conf. utramque: nam diximus actus ipsos fidei, & spei non esse supernaturales in substantia, benè verò habitus earum.

Objic. 3. Ad remissionem peccati commissi requiritur sufficiens retractatio ejus; sed ad hoc requiritur actus supernaturalis in substantia; ergo &c. Probat. min. peccatum avertit à Deo ut fine, etiam supernaturali; ergo pœnitentia, qua illa aversio retractatur, debet respicere Deum ut finem supernaturalem; sed nul-

nullus actus naturalis in substantia potest sic respicere Deum; ergo &c.

Resp. neg. min. & subs. nam, ut dicebamus, actus fidei, spei, & charitatis sic respiciunt Deum, & tamen sunt naturales in substantia.

Inst. Illi actus pœnitentiæ, sicut & illarum virtutum sunt initia salutis: ergo non sunt naturales in substantia. Prob. cons. Initia salutis non sunt à nobis, neque ex naturæ viribus; hoc enim damnatur in Semipelagianis; sed actus naturales sunt à nobis; ergo.

Resp. neg. cons. & min. nam ut non sint ex nobis in sensu Pelagii, sufficit influxus necessarius gratiæ excitantis, & juvantis. Nam Pelagius negabat influxum omnis gratiæ supernaturalis ad opera salutis, & Semipelagiani influxum illum ad initia salutis.

Dixi in conclusione, *qui disponat aliquo modo*. Et, *actus pœnitentiæ christianæ*. Nam dari possunt actus pœnitentiæ purè naturalis, qualis potuit esse in paganis. Et de ista non loquimur, sed de illa, quæ est in usu apud Christianos, ut reconcilientur Deo, quem peccata nostra faciunt nobis inimicum. Item non loquor de actu perfectæ contritionis, qui disponit perfectè, & proximè ad justificationem, sed de his, qui disponunt de congruo, & mediatè.

QUÆSTIO III.

Quale, & quantum debeat esse odium pœnitentiæ de peccato.

MUlta quæri possunt de odio, quo pœnitentia respicit peccatum, v. g. an debeat esse efficax. 2. An de singulis peccatis distinctè. An sufficiat omnia odisse in universali, seu an sufficiat universale, & simplex. 3. An formale, & explicitum. An sufficiat virtuale, & implicitum. 4. An summum, id. de peccato super alia omnia mala. 5. An exigat aliquam determinatam intensionem gradualem. 6. An sit æquale de omnibus, &c. Quæ hìc breviter definimus.

CON-

CONCLUSIO I.

Efficacia requisita in odio peccati consistit in hoc, quod, si fieri posset, nollet peccasse, & si peccatum non fuisset, non fieret, nec illud commissum vult amplius conservare, sed delere omni meliori modo. Debet esse communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Velle punire peccatum *est velle imperativum, seu efficax conjungens causas proximas ipsius punitionis passivæ. Et 2. nolle peccasse, vel displicere* (de peccato commisso) quod nolle, *est causa proxima pœnæ*, &c. In his ergo consistit efficacia affectiva pœnitentiæ, quatenùs nollet peccasse, & vult peccatum commissum destruere, puniendo illud in se.

Prob. 2. nam illa efficacitas non potest aliter explicari, & sufficit ad destructionem peccati; ergo in his consistit. Prob. ant. non potest dari velle, aut nolle absolutum circa existentiam, quo nolit absolutè illud non fuisse; hoc enim est impossibile; ergo non potest aliter haberi, quàm conditionatè, quo sc. vellet se non peccasse, aut nollet peccasse, & quod non velit ampliùs peccare, sed punire, & destruere id, quod commisit.

Objic. 1. volitio efficax facit, ut eligantur, & applicentur media ad finem volitum; sed nulla possunt eligi, vel applicari media, ut peccatum non fuerit; ergo nec haberi odium ejus efficax. Prob. min. nam homo sapiens non habet velle efficax de impossibili, quo applicet media ad illud.

Resp. dist. maj. ut eligantur, & applicentur media eo modo, quo haberi potest finis, conc. absolutè, & simpliciter, neg. maj. & cons. nam ad odium efficax peccati, aut alterius mali sufficit, ut eligantur media aliqua, & applicentur ad illud delendum, & reparandum; non enim intendit facere, ut non extiterit peccatum, sed ut displiceat consensus illi datus, & retractetur, & reparetur eo modo, quo est reparabile, sc. per punitionem, & satisfactionem pro præterito, & cautionem pro futuro.

Inst. ex Scoto odium peccati non est efficax, nequidem in damnatis; ergo neque in viatoribus.

Resp.

[1] *d. 14. q. 1. R. 14.*

Resp. neg. conf. nam, ut diximus, odium peccati in damnatis non est actus virtutis, sed desperationis, & furoris, & potiùs oderunt Deum, quàm ejus offensam.

Objic. 2. odium peccati tendit in non fuisse peccati; sed illa intentio non potest esse efficax, quia est de impossibili; ergo efficacitas vel nulla est, vel non benè sic explicatur.

Resp. dist. maj. tendit effectivè, & conditionatè, conc. maj. & neg. min. effectivè, & absolutè, neg. maj. & conf. nam quoad hæc verè est efficax, & benè explicata.

Inst. In tali odio pœnitens non cogitat de ulla conditione; ergo, si est efficax, efficacia est absoluta.

Resp. dist. ant. non cogitat explicitè, & formaliter, conc. saltem semper virtualiter, & implicitè, neg. ant. nam illud odium æquivalet huic actui explicito: *Odi peccatum à me commissum, & vellem illud non fuisse, si possem facere, ut non fuisset; & doleo de consensu illi dato, & si non fecissem, jam non facerem, nec in futurum faciam, & factum in me vindicabo pro viribus, ac reparabo.* Non est possibilis major efficacia talis odii.

Objic. 3. velle non conservare peccatum commissum, non medetur præterito; ergo nec illi medetur odium, nec est actus veræ pœnitentiæ. Prob. ant. tum quia odium pœnitentiale non destruit peccatum, nisi moraliter, & meritoriè, tum quia attritio est odium veræ pœnitentiæ, & non destruit peccatum per se; ergo &c.

Resp. neg. conf. quia non est de ratione pœnitentiæ, & actuum ejus, ut per se, & formaliter destruat peccatum, sed quod sit cessatio physica, & præsens peccandi, & quod puniat peccatorem pro præterito, & sic moveat Deum ad illud condonandum.

CONCLUSIO II.

AD veram pœnitentiam requiritur, & sufficit odium universale omnium peccatorum, sc. debet respicere omnia vel *in particulari*, vel *in universali*.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] quòd *pœnitere est detesta-*

[1] 2. 14. q. 1. S. 15.

testari, vel odire peccatum à se commissum .... & istud potest intelligi de nolle, vel detestari, vel displicentiam habere de hoc peccato sub propria ratione, vel in generali simul de quocumque peccato à se commisso; ergo Scotus admittit in pœnitentia odium vel de singulis peccatis in specie, vel singulari, & odium universale de omnibus indistinctè.

Prob. 2. quia Pœnitentia, ut disponat ad remissionem peccati, debet respicere omnia peccata commissa; ergo in hoc sensu debet esse odium universale respiciens omnia, nullo excepto. Prob. ant. nam ex dictis de peccatis, unum mortale non potest remitti sine alio: &, ut loquitur Doctor, homo non potest reconciliari Deo, manens inimicus; sed manet inimicus, quamdiù est in uno peccato mortali, & istud est incompatibile cum gratia sanctificante, per quam remittitur regulariter omne peccatum; ergo ut pœnitentia disponat ad remissionis gratiam, debet respicere omnia peccata commissa; ergo in hoc sensu odium debet esse universale.

Prob. 2. p. quia in illo actu, quo quis videns se reum multorum peccatorum numero, vel specie diversorum odit, & detestatur omnia simul, & unico actu, habet omnia requisita ad veram pœnitentiam: ergo tale odium universale sufficit. Prob. ant. nam neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, aut Patribus, ad veram pœnitentiam exigitur, ut de singulis peccatis singuli actus contritionis habeantur, modò contritio respiciat omnia, nullum excludens, vel omittens; ergo &c.

Confir. nam quando plura credibilia proponuntur, v. g. totum symbolum, non requiritur, ut ad singulos articulos eliciantur totidem assensus distincti, sed sufficit, ut uno actu assentiamur omnibus; idem est de objectis aliarum virtutum; ergo ita est de pœnitentia quoad peccata; sufficit, ut cognitis omnibus per exactam discussionem, de omnibus uno actu doleamus, & talis est praxis confessariorum, ut postquam pœnitens singula confessus est, uno actu de omnibus simul doleat, sicut & de omnibns simul unico actu absolvit sacerdos.

Objic. 1. Odium peccati, ut sic, & sub aliqua ratione generica, v. g. offensæ Dei: ut si diceres, *detestor offen-*

fensam Dei, non sufficit ad remissionem; ergo nec odium universale. Prob. conf. tale odium tam contineret omnia peccata, quàm istud, quo dicimus, *detestor omnia peccata à me commissa*: nam omnia continentur sub ratione offensæ Dei, sicut sub genere omnes species, & sub specie omnia individua; ergo, &c.

Resp. dist. conf. & dist. 2. ant. tam continet confusè, & indistinctè, con. distinctè, & quantùm requiritur ad pœnitentiam remissivam peccatorum, neg. ant. & conf. nam licet odium peccati ut sic, sub ratione generica offensæ Dei, sit actus bonus, non tamen sufficit ad justificationem, & remissionem omnium, quia omnia, & singula debent cognosci, quantùm fieri potest, & clavibus Ecclesiæ subjici, & odiri ut commissa.

Inst. individua continentur sub specie, & genere; ergo sufficit odium peccati in genere, licèt non cogitetur de illis in specie, vel individuo.

Resp. dist. ant. continentur logicè, aut metaphysicè, con. physicè, & moraliter, ut censeantur sufficienter retractata, neg. ant. & conf. nam ut retractentur sufficienter pœnitentia debet esse voluntaria de omnibus, & ad hoc debent singula cognosci, quantum fieri potest; quia singula demerentur aliquam pœnam, & exigunt satisfactionem, quod fieri non posset per odium de peccato ut sic, v. gr. de offensa Dei.

Objic. 1. con. 2. p. Peccata eo modo sunt pœnitenda, quo fuerunt commissa; sed commissa sunt sigillatim; ergo & detestanda sunt sigillatim.

Resp. dist. maj. eo modo quoad affectum, & retractationem, con. totidem actibus, neg. maj. & conf. nam post centum actus aversionis à Deo possum per unicum actum eos odisse, & converti ad Deum, & iste omnibus illis æquivalebit.

Inst. singula habent singularem malitiam, & odibilitatem; ergo singulatim sunt odienda. Prob. conf. unicus actus odii non posset respondere malitiæ singulorum, alioqui deberet pro centum peccatis esse centuplo intensior, quàm actus odii pro uno.

Resp. neg. utramque conf. nec enim vis pœnitentiæ attenditur penes illam partitionem gradualem unius

ad unum, & trium ad tria, ſicut amor in centum homines non debet eſſe præcisè intenſior amore in unum, alioqui non poſſet amari Deus, qui eſt infinitus, ſed ſufficit, ut charitas reſpiciat omnes. Ita eſt de odio peccatorum; ſufficit,ut reſpiciat omnia, modò ſit majus appretiativè de pluribus, quàm de unico.

Objic.2. ad veram, & ſufficientem pœnitentiam debent ſingula cognoſci cum ſua gravitate, & malitia; ſed hoc non eſſet verum, niſi & ſingula deberent odiri: ergo requiritur odium ſingulorum. Probat. min. nam dum pœnitens ſingula recogitat, de illis vel dolet, vel complacet; ſi complacet, de novo peccat, ſi dolet, habetur intentum; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ad prob. dico, quod bonum eſſet, ut de ſingulis cogitans doleret; ſed ſufficit, quod, ſingulis cognitis, de omnibus ſimul doleat; cùm autem ſingula recogitat, fieri poteſt, ut nihil formaliter, & explicitè decernat, ſed ſe habeat merè negativè, donec ſingula recognoverit, & tunc omnia deteſtatur, ut dicebamus de articulis ſymboli.

CONCLUSIO III.

Ad veram, & fructuoſam pœnitentiam odium peccati debet eſſe formale, quantum fieri poteſt; ſufficeret tamen virtuale. Sequitur ex dictis de neceſſitate pœnitentiæ. Diximus enim ſufficere virtualem.

Prob.1. ex Scoto cit. [1] ubi definit, *Pœnitere eſſe deteſtari, vel odire peccatum à ſe commiſſum .... & iſtud intelligi.... de diſplicentia formali, vel virtuali. Et eſt diſplicentia virtualis quicumque actus voluntatis virtualiter includens illam diſplicentiam, ſicut quodammodo cauſa includit effectum, licèt effectus in ſe non cauſetur*, &c. Habes in Scoto concluſionem, & ejus explicationem: & eam probat ſolidè, ut jam diximus.

Alias probationes, & objectionum ſolutiones vide ibi; nec placet eas repetere.

CON-

[1] *diſp.10.q.7.*

CONCLUSIO IV.

Odium peccati in pœnitentia debet esse super omne malum pœnæ, saltem virtualiter, & appretiativè.

Ut assertionem intelligas, repete, quæ diximus de charitate, quid sit Deum summè diligere: nam per opposita peccatum summè odiri potest tot modis, quibus Deus potest summè diligi, 1. sc. *objectivè*, quando ei optamus majora bona, quàm ulli creaturæ. 2. *intensivè*, quando cum majori conatu, & fervore actus. 3. *appretiativè*, quando illum pluris æstimamus, quàm quidquam aliud, & parati sumus potiùs omnia dimittere, quàm illi displicere. Ita est de odio peccati. Erit summum *objectivè*, si ei optamus omnimodam annihilationem præ omnibus aliis malis. 2. *intensivè*, si majori acrimonia, & ardore illud detestamur, quàm ullum aliud malum. 3. *appretiative*, & *virtualiter*, quando illud æstimamus odibile, & fugibile præ omnibus malis, ita ut parati simus, & sic dispositi, ex vi talis odii, omnia mala pœnæ, & fortunæ potiùs ferre, quàm consentire ulli peccato, licèt forte de facto, & quoad ardorem, & conatum voluntatis fortius sit odium alicujus pœnæ, v. g. mortis. His præmissis

Prob. 1. conclusio ex Scoto, [1] quatenùs amorem Dei in charitate non exigit esse summum intensivè, sed tantùm appretiativè: nam per opposita eadem est ratio de odio peccati. Ut autem notat scholiastes, Doctor vult quidem amari Deum intensivè, & extensivè, id. teneriùs, & fortiùs, seu firmius, sed non dicit *majore amore graduali eum esse amandum, sed solùm majore affectu, ad quem sufficit majoritas appretiativa, seu affectus magis exclusivus oppositi*; ergo ita dicendum de odio peccati, prout opponitur amori Dei, & prout est offensa Dei: nam sub his respectibus est summum aliquod malum; ergo & summè odibile.

Insignes tamen Scotistæ, & nominatim Faber, & Hiquæus tenent contrarium, & hoc de mente Scoti. Nam, inquit ille, *quantùm ad intensionem, verissimum*

[1] 3. d. 27. K. 16.

mum est, Scotum illam exigere, & hoc ut confessum, & verum ab omnibus supponit; & fatetur eum id non probare. Hiquæus verò dicit, quòd *non docet eam in terminis, sed intelligi debet inter cæteras circumstantias, quas dicit requiri ad esse morale hujus actus;* & quod eam insinuat hìc q.4. fin. & d.17. & sequitur ex dictis in 3. d.27.a.3. & dist.29. q.1.2. & 3. Ego autem fateor, me hoc nescisse videre in Scoto. Ideò malui cum aliis nobilibus Scotistis, ut sunt Emin. Brancatus, Mastrius, & Frassen, qui contrarium melius colligunt ex Doctore, ut patet legenti.

Prob.2. quoad 1. p. actus debet proportionari dignitati objecti tam quoad odium, si sit malum, quàm quoad amorem, si sit bonum; sed peccatum, prout respicitur à pœnitentia christiana, imò & naturali, est summum malum; ergo summè debet odiri. Probat. min. ex dictis tr. de peccato: nam est aversivum à Deo summo bono, est offensa ejus, privat ejus amicitia, & summo bono, sc. beatitudine; ergo &c.

Confir. nam quantus debet esse amor Dei, tantum debet esse odium eorum, quæ nos avertunt à Deo, ut est peccatum; sed amor Dei debet esse summus, saltem virtualiter, & appretiativè, quatenùs eum plus amamus, quàm alia omnia bona simul, aut seorsim; ergo odium peccati, prout nos avertit à Deo, debet esse summum, saltem virtualiter, & appretiativè, ita ut simus parati ex vi talis odii, potiùs vitare Dei offensam, & peccatum, quàm omnia alia mala pœnæ.

Confir. ex Seraphico Doctore. [1] *Hoc est diligere Deum super omnia, quòd pro nullo damno, vel commodo velis offendere Deum. Sic intelligendum de displicentia contritionis. Unde dico, quòd peccatum debet tantùm displicere rationi, quòd nullo pacto, nullo commodo, vel incommodo velit in ipsum consentire, vel consensisse,* &c.

Prob.2.p.1. de intensione graduali. Quia non alia requiritur intensio gradualis in odio peccati ex pœnitentia, vel charitate, quàm in amore Dei; sed quoad intensionem gradualem amor Dei non debet esse summus; ergo nec odium peccati. Min. patet ex tr. de charitate.

Prob.2.

[1] 4.d.16.p.1.a.2.q.1.

Prob.2. ex Patribus. Nam inquit Chrysost. [1] relatus in Can. *Talis: Deus quantulamcumque, & quolibet brevi tempore non despicit pœnitentiam; suscipit etiam ipsam, nec patitur, quamvis exiguæ conversionis perdere mercedem*. Nam inquit Glossa, *diligit Deus bonum, quod in peccante plantavit*. Et S. Leo. [2] *Nec misericordiæ mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur moras vera conversio*, sc. modò conversio sit vera, modò pœnitentis odium de peccato sit syncerum, sufficit, licèt remissum, modò tamen non tepidum. Et Cœlestinus Papa, [3] *vera conversio mente potiùs, quàm tempore metienda est, dicente Propheta: Si conversus fueris, salvus eris*.

Confir.1. ex Script. quæ aliud non requirit, quàm veram, & synceram conversionem, quæ fit per odium peccati. [4] *In quacumque hora ingemuerit peccator*, &c. Et Zacharias: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; ergo nihil præscribit de intentione quoad accidentia; sufficit substantialis. Intensio autem est accidentalis actui.

Confir 2. quia non est imponendum grave onus sine gravi fundamento ex Scriptura, vel Conciliis, aut Patribus; sed ex illis non colligitur necessitas talis intensionis gradualis in pœnitentia, & odio peccati; ergo &c.

Confir.3. Si hoc esset necessarium, innumeris scrupulis subjiceremur, & vexaremur circa illam magnitudinem intensivam. E contra tam confessarii, quàm pœnitentes non solent inquirere de ardore odii, vel contritionis, sed solùm de illius synceritate, seu veritate.

Confir.4. Si requireretur summa intensio gradualis, omnes contritiones pœnitentium deberent esse æquales, sc. omnes deberent esse in summo gradu perfectionis, & intensæ ut octo; sed conf. est falsum; ergo &c. Prob. min. ex Script. nam Davidis dolor, & pœnitentia de morte Absalonis legitur fuisse major, quàm de adulterio, & homicidio. Pœnitentia Petri, & Magdalenæ fuit sine dubio intensior, & ferventior,

[1] *de pœnit.d.3.* [2] *Ep.91.*
[3] *Ep. ad Episc. Gall.*
[4] *Ezech.18. & 33.*

quam innumerorum pœnitentium, qui tamen veniam consecuti sunt: & sic de aliis; ergo, &c.

Objic. 1. con. 1. p. homines communiter magis oderũt mala pœnæ, quàm culpæ, & tamen putantur sufficienter pœnitentes, & confessarii non curant; ergo non debet magis odiri peccatum, quàm alia mala. Prob. ant. experientia: nam pro illis magis commoventur, exclamant, flent, dolent, &c. non autem pro peccatis; ergo &c.

Resp. dist. 1. ant. & 2. conf. magis sensibiliter, & quoad affectionem commodi, conc. magis rationabiliter, & quoad affectionem justitiæ, & appretiativè, neg. ant. & conf. alioqui imperfectissima esset pœnitentia, & non justa.

Inst. pœnitentes, ut se disponant ad gratiam, non faciunt attentionem ad alia mala, ut videant, an suum odium sit majus de peccato, quàm de illis, & ut sit sufficiens; ergo illa majoritas odii non est necessaria in pœnitentibus.

Resp. dist. ant. non advertunt per comparationem explicitam, & formalem, conc. per virtualem, & implicitam, neg. ant. imò nec videtur suadenda illa comparatio explicita: nam ex infirmitate humana sumus sensibiliores ad mala pœnæ, & ex sensibilitate illa magis, quam ex ratione ponderaretur dolor pœnitentiæ: & licèt in parte superiori, & rationali pœnitens esset verè paratus ad ferenda illa mala, quàm consentire ulli peccato mortali, tamen in appetitu inferiori experiretur majus odium illorum, quàm peccati, & hoc ex affectu commodi.

Objic. 2. Si odium illud deberet esse ullo modo majus, quam pœnarum, homo deberet præferre pœnam damnationis ipsi peccato, & istud magis odisse; sed conf. est falsum, & absurdum; ergo &c.

Resp. neg. maj. nam pœna illa includit essentialiter peccatum.

Resp. 2. dist. maj. Si pœna illa consideretur physicè, & ut pœna præcisè ab omni connexione peccati, & odii Dei tam passivi, quàm activi, conc. maj. & neg. min. absolutè, & qualis est de facto, neg. maj. & conf. nam de facto pœna illa est cum odio Dei passivo, & activo, & cum peccato, & repugnat cum charitate.

Objic. 1. con. 2. p. Script. præcipit conversionem ex toto

toto corde: sed non est ex toto corde, nisi sit intensissima, & ex toto conatu, & viribus voluntatis; ergo, &c. Prob. ant. [1] *Convertimini ex toto corde vestro in jejunio, & fletu, & scindite corda vestra*, &c. Item, [2] *Invenies Dominum .... si quæsieris ex toto corde, et ex tota tribulatione animæ tuæ*. Item, [3] *Si pœnitudine cordis reversus fueris ad Dominum in toto corde tuo, et tota anima tua*, &c. ergo odium peccati debet esse summum intensivè: alioqui enim non est *ex toto corde*, neque *ex tota anima*.

Resp. dist. 1. ant. & 2. cons. *ex toto corde*, ita ut in nulla parte, in nullo affectu cordis hæreat peccatum; sed totis affectibus redeat ad Deum, con. ex tota contentione virium, neg. ant. & cons. vult Deus, ut peccatum expellatur ex toto corde, ita ut in nulla parte, in nullo affectu remaneat, sed ejiciatur per omnes affectus, & ex omnibus affectibus. Optimum esset, si hoc fieret summo, & toto conatu virium: sed hoc Deus non exigit ab infirmitate nostra.

Objic. 2. SS. Patres exigunt summum dolorem cordis; sed non est summus nisi intensivè; ergo &c. Prob. maj. ex S. Cypr. [4] *Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. . . . pœnitentia crimine minor non sit*, &c. Et Ambros. [5] *quanta, putas, et qualis necessaria pœnitentia, quæ aut æquet, aut certè superet crimina .... secundum conscientiæ molem adhibenda est pœnitentiæ magnitudo .... grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem .... fortius dolendum, quia peccatum est fortius*. Et Concilium Trident. [6] *Ad innocentiæ novitatem, et integritatem non pervenitur per sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, et laboribus*, &c. ergo odium peccati debet esse intensissimum, & summum.

Resp. dist. maj. & 2. cons. summum appretiativè, conc. intensivè, neg. maj. & min. Aliam enim magnitudinem Patres, & Concilia non exigunt, quàm appretiativè summam, saltem de necessitate: nam congruentissimè exigunt etiam intensivam, & quidem ad uberiorem gratiam.

Inst. ex Catechismo Rom. [7] *Contritio debet esse*

[1] *Joel*. 2. [2] *Deut*. 4. [3] *Ibid*. 30.
[4] *tr. de lapf.* [5] *ad Virg. lapf*. 8.
[6] *Sess*. 14. *c*. 4. [7] *n*. 36.

non solùm maxima, sed vehementissima; sed non potest esse vehementissima, nisi sit intensissima; ergo odium, seu contritio debet esse summa intensivè, & non solùm appretiativè.

Resp. neg. min. nam per vehementiam intelligit efficaciam, *quæ*, ut ipse author Catechismi loquitur, *excludat omnem ignaviam, et socordiam* .... Ideò addit, *omnibus rebus Dei amorem anteponendum esse, ita ut nec vitę quidem conservandæ causa peccare liceat.* Ecce in quo ponit vim, & magnitudinem amoris summi ex præcepto charitatis.

Inst. 2. Appretiatio peccati super alia mala per odium non salvatur sine intensione magna ejus: ergo odium semper debet esse intensissimum. Probat. ant. cùm jubemur diligere Deum *ex toto corde*, & *ex totis viribus*, non satisfacimus per amorem remissum; ergo idem est, cùm jubemur converti ad Deum ex toto corde, non satisfacimus per odium peccati remissum.

Resp. neg. utrumque ant. ut patet ex dictis de charitate.

Inst. 3. odium summum appretiativè tantùm non est efficax, nisi sit intensissimum; ergo nec sufficiens. Prob. ant. si sit remissum, nihil habet supra simplicem, & inefficacem displicentiam; ergo non est efficax.

Resp. neg. pariter utrumque ant. non enim loquimur de odio ita remisso, ut non sit efficax, sed volumus tale, ut ex vi ejus velimus punire in nobis peccatum commissum, & confiteri, & satisfacere, & ab illo prorsùs abstinere, ad quod non sufficit simplex, & tepida displicentia peccati, sed debet esse syncera, constans, & efficax, licèt non intensissima gradualiter, & ut octo.

Objic. 3. ut odium peccati disponat ad justificationem, debet elici, aut imperari à charitate in Deum; sed hæc charitas debet esse summè intensa; ergo & illud odium. Prob. min. nam amor charitatis debet esse summus; ergo &c.

Resp. transf. maj. nam hìc præscindimus ab odio contritionis, & attritionis, quæ non justificat extra sacramentum, & neg. min. & conf. prob. nam præceptum charitatis non præcipit superioritatem intensivam, ut sæpe diximus; sufficit appretiativa.

Inst.

Inst. majoritas appretiativa, sive intensiva non potest dare amori Dei, nec odio peccati fortitudinem, & efficaciam contra resistentiam concupiscentiæ; ergo tam in charitate, quàm in pœnitentia requiritur maxima intensio amoris Dei, & odii peccati. Prob. ant. sine tali fortitudine charitas non potest præferre Deum creaturis; ergo nec odire peccatum etiam appretiativè super omnia.

Resp. neg. utrumque ant. nam licèt amor concupiscentiæ, quo ferimur in bonum sensibile per affectionem commodi, sit fere semper intensior, quàm amor Dei, & odium peccati; ex affectu justitiæ tamen iste amor, & istud odium, in occasionibus vitandi peccatum, prævalet contra concupiscentiam, si volumus cooperari auxilio gratiæ, & sequi dictamen rationis.

Objic 4. Præceptum charitatis præcipit non solùm substantiam amoris Dei, & odii peccati, sed etiam modum utriusque, & maximè intensionem: nam præcipit dilectionem *ex toto corde*, & *ex totis viribus*, & sic de odio peccati; ergo uterque actus debet esse intensissimus.

Resp. dist. ant. aliqualem intensionem, ut sit amor Dei, & odium peccati summum appretiativè, & syncerum, & efficax, conc. ut sit gradualiter intensior, quàm alii actus, neg. ant. nam ut sæpè diximus, præceptum non aliud intendit.

Objic. 5. amor appretiativè summus est etiam summus intensivè: & ita est de odio; sed odium peccati per nos est summum appretiativè; ergo & intensivè. Probat. maj. tanto conatu dolemus de bono amisso, quanto amamus illud; ergo ex maxima appretiatione nascitur maximus amor, & ex summa appretiatione malitiæ peccati debet nasci summum odium.

Resp. neg. maj. nam licèt fieri possit, ut de amissione rei summè amatæ summè doleamus, id tamen non semper, nec ordinarie accidit: sic sensibilior, & intensior est dolor in patre, aut matre de morte filii, quàm de peccato, & offensa Dei, quamvis iste sit major appretiativè; quia nascitur præcisè, non ex amore, sed ex æstimatione, quæ semper est major de Deo, quàm de filio, quem nemo sanæ mentis vellet præferre Deo.

Igitur, ut odium peccati sit verus, & bonus actus

pœnitentiæ Christianæ, requiritur, & sufficit, ut sit aliqualiter intensus, licèt non in summo gradu.

CONCLUSIO V.

O*Dium peccati ex pœnitentia non exigit determinatam durationem ad remissionem culpæ.*

Prob.1. ex Scoto, [1] qui licèt doceat attritionem debere durare aliquandiu, ut fiat contritio, non tamen determinat ullam mensuram illi durationi, sed illam relinquit arbitrio divino. *In termino, quem Deus præfixit, debere esse terminum illius motus attritionis, quam usque tunc vult continuari*, &c.... *infunditur gratia*. Imò putat, quod eodem momento, quo elicitur contritio, infunditur gratia, nec illa præcedit istam, nisi per instans naturæ. [2] *Actus, qui est contritio, eodem instanti temporis præcedit natura deletionem, nec est inconveniens dispositionem proximam simul esse cum forma, ad quam disponit*; ergo ex Scoto pœnitentiæ actus non exigit determinatam durationem ad obtinendam gratiam remissionis peccati.

Prob.2. ex Script. & PP. nam inquit Isaias: [3] *Ad vocem clamoris tui statim ut audierit, respondebit tibi* (Deus). Et Ezechias. [4] *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit*. Et cùm Deus dicit: *Convertimini ad me*, promittit sine mora, *& ego convertar ad vos*. Et in Apocalypsi: [5] *Ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi januam, intrabo*. Et David eodem momento, quo dixit: *Peccavi Domino*, audivit, *Dominus transtulit peccatum tuum*. Idem patet de latrone, qui statim audit, *Hodie mecum eris in Paradiso*; ergo ex Script. pœnitentia non exigit moram durationis ante gratiam remissionis.

Confir. ex SS. Patribus: nam, ut dicebamus ex Chrysost. Deus *quantulamcumque, & quolibet brevi tempore non despicit pœnitentiam*. Et Cœlestinus I. *Vera conversio mente potiùs, quàm tempore metienda est*. Et Julius I. *Dominus non solùm temporis, sed etiam momenti inspector est, sicut Latro unius momenti pœnitentia meruit esse in paradiso*. Et ut addit Cypri-an.

[1] *Ibid.N.14.* [2] *Ibid.Q.17.* [3] *Isa.30.* [4] *Ezech.33.* [5] *Apoc.3.*

an. *Cujus impietas in momento induit pietatem*. Et August. *non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris*. Et S. Leo: *Apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conversio*. Et sic de aliis.

Prob.3. nam hoc ipso momento, quo actus virtutis est elicitus, habet suam essentiam, & bonitatem; ergo & meritum. Prob. ant. contritio unius momenti habet eandem essentiam cum contritione unius diei. Idem est de actu charitatis; ergo & de odio peccati.

Confir. nam peccatum, quod ex pleno consensu elicitur, habet suum esse, & expellit gratiam; ergo idem est de odio peccati debitè, & plenè formato.

Dixi, *non exigit*. Non enim nego, quin plus habeat meriti, secundum quod diutiùs durat; ideò consulendum peccatoribus, ut pro peccatis semper, & usque in finem vitæ doleant, etiam pro peccatis dimissis, quoties in mentem redeunt, monente Augustino: [1] *Semper doleat, semper coram Domino, ante quem peccavit, erubescat, & dolorem cum vita finiat*.

Dixi 2. *ad remissionem culpæ*. Nam ad remissionem pœnæ requiritur satisfactio, quæ diutiùs durare debet secundum peccatorum gravitatem, & multitudinem. De hoc aliàs.

Objic.1. Actus peccati diutiùs durat; ergo & pœnitentiæ: debet enim proportionari peccato. Prob. ant. nam actus ille vix unquam citò transit.

Resp. dist. ant. durat per quandam perseverantiam voluntatis, con. quoad effectum expellendi gratiam, neg. ant. nam eodem instanti, quo peccatum formatum est, expellit gratiam; sed voluntas potest diù in ejus affectu perseverare, saltem habitu.

Objic.2. Si statim gratia sequeretur actum odii, posset homo esse certus de sua gratia; sed conf. est falsum, & contra nos; ergo &c. Prob. maj. tam certus esset de gratia recuperata, quàm de sua pœnitentia, & odio peccati sui; sed de hoc certus esset physicè; ergo & de gratia.

Resp. neg. 1. maj. & dist. 2. quàm certus esset de odio sui peccati cum omnibus conditionibus requisitis ad gratiam, con. maj. & neg. min. quàm certus esset de entitate physica, & materiali odii, neg. maj. & conseq. nam ad certitudinem gratiæ recuperatæ debet

[1] *de fal. pæn. 13.*

esse certus de omnibus requisitis ad illam tam moraliter, & formaliter, quàm materialiter, & physicè, quod fieri nequit sine speciali revelatione. Denique hoc argumentum fieri potest contra omnes.

Objic. 3. Concilium Tridentinum [1] requirit in contritione perfecta, ut justificet, *magnos fletus, & labores*; sed isti non possunt esse magni sine longiori duratione; ergo &c.

Resp. neg. min. nam illa magnitudo consistit in vehementia doloris, & affectus, & illa potest haberi in momento. Item aliud est, quòd fletus unius momenti non sufficiat ad novitatem vitæ, de qua loquitur Concilium; aliud quòd non sufficiat ad remissionem culpæ, positis cęteris requisitis; istud admittimus, & non negat Concilium, sed illud non dicimus, quia ad novitatem illam debent dediſci, & destrui pravi habitus, & contrahi boni, quæ non fiunt, nisi cum tempore.

Objic. 4. odium peccati est dispositio ad gratiam; sed dispositiones gradatim fiunt, & successivè; ergo odium illud debet durare.

Resp. dist. min. dispositiones physicæ, conc. morales, neg. min. nam sicut odium peccati operatur remissionem, & gratiam moraliter, & per modum meriti congrui; eodem instanti, quo existit in facto esse, debet operari coram Deo.

DISPUTATIO III.

De contritione, & attritione.

HIS duobus actibus pœnitentiæ specialem damus disputationem, quia principales sunt, & de illis majores hodie sunt difficultates, & controversiæ inter Theologos. Breviter tamen de illis hìc agemus, quia fusissimè, & quasi superabundanter diximus de illis in duobus libris de *sufficienti attritione*. Lingua vernacula quippè in toto libro probavimus ex Theologicis principiis illam sufficientiam, & solvimus objectiones contritionariorum. Et in toto 2. habes Apologiam SS. Patrum, & Theologorum omnium sæculorum Eccle-siæ,

[1] *Sess. 14. c. 4.*

siæ, quos in contrarium citant iidem contritionarii. Pauca inde seligemus, quæ sufficiant studentibus nostris.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit contritio.

CONtritio dicitur à verbo *contero*, quod significat rei duræ fractionem in partes minutas, & aliquando etiam magnam calamitatem, ex qua graviter affligimur. *Contritio, & infelicitas in viis eorum*, &c. Sed in materia pœnitentiæ sumitur pro actu, quo ob peccatum commissum cor durum emollitur, & quasi confringitur. Dicitur etiam *compunctio*, à cordis punctione quadam ex conscientia peccati commissi.

Principalis divisio contritionis est in *perfectam*, quæ dicitur simpliciter *contritio*, & *imperfectam*, quæ dicitur *attritio*. Illa dicitur, per quam cor peccatoris perfectè frangitur, scinditur, & humiliatur: *Cor contritum, & humiliatum*. Et, *scindite corda vestra*, sicut cùm res dura pulverizatur. Hæc verò dicitur, cùm minùs perfectè humiliatur, & scinditur quasi in partes crassiores, sc. per eam dolemus quidem de peccato verè, & synceré, sed ex motivo ignobiliori, quàm *contritio*. Quippè hæc dolet de peccato, ut est offensa Dei, ex summo, ac puro ejus amore, *attritio* verò dolet de peccato propter ejus turpitudinem, vel propter pœnas, quibus per illud subjicimur. Denique *contritio* venit ex affectione justitiæ, *attritio* verò magis communiter ex affectione commodi. Agimus 1. de contritione in genere; an sit actus pœnitentiæ, & quid illa sit.

CONCLUSIO I.

COntritio est actus pœnitentiæ, & describitur odium, seu detestatio causans dolorem de peccato commisso cum proposito non peccandi ampliùs.

Prob. 1. ex Scoto [1] docente: *Charitatem posse imperare actum voluntatis peccati vindicativum, & è converso ex actu vindicandi peccatum, potest imperare actum*

[1] d.14.q.2.G.9.

ctum amoris Dei in se, ex quo sequitur nolitio, vel displicentia de aliquo peccato commisso; ergo charitas potest uti pœnitentia, & vicissim; ergo ex Scoto displicentia de peccato commisso est actus pœnitentiæ imperatus à charitate, vel imperans charitatem; talis enim displicentia, seu peccati vindicta est proprius actus pœnitentiæ, & contritio. Denique actus idem, qui ante infusionem gratiæ est *attritio*, per eam infusionem fit *contritio*; sed attritio est actus pœnitentiæ; ergo & contritio.

Prob. 2. ex Script. & Patribus, apud quos pœnitentia, & contritio pro eodem sumuntur, ut cùm dicitur: [1] *In spiritu contrito, & humiliato*. Et, [2] *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*. Et, *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*, id est, inquit August. *humiliatos, corde confitentes, seipsos punientes*. Et Bernard. *Optimum unguentum contritio, quod ex recordatione peccatorum conficitur*. Et sic de aliis.

Prob. 3. ex Concil. Trid. in quo sic definitur contritio in communi. *Contritio, quæ primum locum obtinet inter actus pœnitentis, est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero;* ergo contritio est verè actus pœnitentiæ, & benè sic describitur. Habes utramque partem conclusionis, sc. contritionem esse actum pœnitentiæ, & sic rectè describi.

Prob. 4. quia talis contritio est verè tentio pęnæ peccati; ergo & vera pœnitentia. Prob. ant. per illam contritionem tenetur tristitia, displicentia, & dolor de peccato commisso, ut patet ex ipsa definitione.

Prob. 2. p. ex eodem Concilio, & communi sensu Theologorum, qui contritionem sic explicant, prout convenit perfectæ, & imperfectæ, & prout differt ab actibus aliarum virtutum. Dicitur 1. *odium peccati, & detestatio*, quod ponitur loco generis. Nam odium peccati præcisè est commune omni virtuti: nulla enim est, quæ non oderit peccatum oppositum bonitati objecti. 2. *dolor de peccato commisso*, per quod jam incipit differre ab aliis virtutibus, quæ non respiciunt peccatum ut præteritum magis, quàm præsens, aut futurum, neque ut commissum magis, quàm ut

[1] *Judith*. 8. [2] *Ps*. 50.

ut committendum. Soli pœnitentiæ proprium est illud respicere ut præteritum, & commissum, ut puniat illud in ipso peccatore. 3. *Cum proposito nō peccandi de cętero.* Id enim essentiale est omni veræ pœnitentiæ, ut diximus, & maximè huic actui, qui est illi propriissimus juxta Scripturam dicentem: [1] *Projicite à vobis omnes iniquitates vestras.* Et, *Derelinquat impius viam suam*, &c. Et, ut ait August. [2] *Multi assiduè se dicunt peccatores, & tamen eos adhuc delectat peccare, professio est, non emendatio, accusatur anima, & non sanatur.* Et S. Gregor. [3] *Pœnitentia est perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare*, &c.

Objic. 1. con. 1. p. actus contritionis est ex fine charitatis; ergo est actus charitatis, non pœnitentiæ: nam actus morales specificantur ex fine. Prob. ant. contritio intendit reconciliationem, & amicitiam cum Deo per odium offensæ ejus; sed hæc pertinent ad charitatem; ergo &c.

Resp. dist. ant. & maj. ex fine intrinseco, vel extrinseco, conc. extrinseco semper, neg. ant. & maj. nam contritio ut sic intendit immediatè punitionem peccati commissi, quantum est ex se, cùm autem conjungitur charitati, intendit præterea reconciliationem cum Deo; sed hoc non est de intrinseca ratione contritionis ut sic, de qua loquimur.

Objic. 2. contritio est odium peccati, prout est offensa Dei; sed tale odium venit ex charitate, sc. ex amore ejus, quo amatur bonum, & gloria ejus; ergo est actus charitatis. Prob. min. omne odium mali venit ex amore boni contrarii; ergo omne odium peccati venit ex amore Dei.

Resp. dist. maj. contritio perfecta, & simpliciter, conc. contritio in sua ratione generica, neg. maj. & cons. nam sub hac ratione præcisè odit peccatum propter suam malitiam, & punibilitatem, præscindendo ab offensa Dei.

Inst. volitio illa puniendi peccatum respicit intrinsecè placationem Dei offensi per illud; sed ille finis pertinet ad charitatem; ergo respicit peccatum ut offensam Dei.

Resp.

[1] *Ezech.* 18. [2] *ser.* 7. *de temp.*
[3] *ho.* 34. *in Evang.*

Resp. dist. maj. ut supra. Volitio illa in sua ratione specifica, & ut contritio perfecta, & simpliciter, con. ex ratione sua generica, & præscindendo à perfecta, & imperfecta, neg. maj. & conf. nam loquimur de contritione ut sic, quæ respicit peccatum ut vindicabile in ipso peccante, quod pertinet ad solam pœnitentiam formaliter, &c.

CONCLUSIO II.

Contritio perfecta, prout ab attritione distinguitur, est detestatio, seu odium peccati commissi propter Deum summè dilectum, seu odium peccati ex motivo charitatis, saltem virtualiter. Est communior contra aliquos volentes ad hanc contritionem sufficere motivum cujuslibet virtutis: 2. p. plurimos habet adversarios.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui tenet cum August. quòd pœnitentia non potest esse vera, id. fructuosa *quantum ad finem pœnitentiæ attingendum sine charitate*; & quòd *sine amore Dei nullus consequitur veniam*; sed nos hic loquimur de contritione justificante extra sacramentum; ergo &c.

Prob. 2. ex Concil. Trid. quod postquam definivit contritionem in communi, addit: *Etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare prius, quàm hoc sacramentum actu suscipiatur*; ergo censet contritionem, qua remittitur peccatum extra sacramentum in re includere charitatem, seu amorem Dei super omnia.

Probari solet 3. ex Script. & Patribus: nam dicitur: [2] *Qui non diligit, manet in morte.* Et Apostolus, [3] *Si charitatem non habuero, nihil sum .... nihil mihi prodest.* Et August. [4] *Sine amore nemo unquam gratiam invenit, aut veniam consecutus est.* Et alibi, *Pœnitentiam veram non facit nisi odium peccati, et amor Dei.* Sed hi textus non videntur ad rem, ut notat Cardin. Brancatus, [5] & ut infra videbimus de attritionis sufficientia. Ideò

Prob. 4.

[1] *Ibid. Y. 2.* [2] *1. Jo. 3.*
[3] *1. cor. 13.* [4] *de ver. pœnit.*
[5] *9. et 17. ser. 7. temp.*

Prob.4. ex eodem Concil. nam pœnitentia, quæ dolet de peccato ex aliis motivis, quàm amoris Dei, dicitur attritio; ergo contritio, ut sit perfecta, debet imperari ex amore Dei. Prob. ant. nam contritio dicitur *imperfecta, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, et penarum metu communiter concipitur.* Turpitudo autem peccati consistit in oppositione, quam habet cum honestate aliarum virtutum; ergo ex Concilii mente motivum cujusvis virtutis moralis non sufficit ad perfectam contritionem.

Confir. peccatum includit aversionem à Deo, & habet oppositionem quandam generalem cum charitate; ergo non potest remitti sine aliqua conversione in Deum per aliquam charitatem, saltem extra sacramentum.

Dices: hoc probaret attritionem, etiam cum sacramento, non sufficere ad justificationem.

Contra: nam ex eodem Concilio, ut attritio justificet in sacramento, sufficit, ut odiat peccatum, & voluntatem peccandi excludat ex quovis motivo honesto; sed ad hoc facit odium peccati ex quovis motivo virtutis, & inhonestatis peccati; ergo &c. Cur autem hæc sufficiat in sacramento, & non extra, petitur ex Dei voluntate, qua vim hanc tribuere placuit sacramento ex meritis Christi, quæ per illud nobis applicantur, & per hanc indulgentiam voluit nobis reddere suaviorem legem Euangelicam maximè intuitu confessionis, quæ aliunde dura videretur, & hanc duritiem vult hac misericordia molliri.

Prob.2.p. de charitate virtuali, quod sufficiat 1. ex Scoto cit. nam inquit: *Charitas potest imperare actum pænitentiæ, et uti actu penitentiæ, et vicissim penitentia potest uti charitate: nam sicut causa continet virtualiter effectum, sic actus pænitentiæ, quo imperatur charitas, etiam virtualiter continet charitatem*; sicut & ipsa charitas continet virtualiter pœnitentiam, ut diximus; ergo actus pœnitentiæ, quæ contineat virtualiter charitatem, est vera, & perfecta contritio.

Prob.2. ex Script. & Patribus: nam in pœnitentia perfectiori non faciunt mentionem de formali charitate. *Convertimini, et agite penitentiam*. Item,

Si

Si impius egerit pœnitentiam, &c. Et sic de aliis quoad effectum pœnitentiæ: nam illi tribuunt remissionem peccatorum æquè, ac charitati.

Confir. ex Trid. cit. nam licèt justificationem extra sacramentum tribuat contritioni perfectæ ex charitate, tamen illam definit sine mentione charitatis formalis, ut vidimus; ergo sufficit, quod in contritione contineatur saltem virtualiter, ut magis patebit ex sequenti conclusione.

Confir. 2. nam considerando peccatum ut offensam Dei, potest haberi syncerum ejus odium, & firma volitio illud vindicandi, non formato ullo actu explicito amoris Dei, à quo imperetur formaliter, sed tantùm virtualiter; sc. prout odium illud procedit ex consideratione offensæ Dei; ergo &c.

Confir. nam ex dictis ad ipsam pœnitentiam sufficit odium peccati virtuale, quod continetur in amore formali Dei; ergo & in pœnitentia ad contritionem contineri potest virtualiter Dei amor, & hoc sufficiet. Nam ut dicebamus ex Scoto, pœnitentia potest imperare actum charitatis; ergo hunc continet virtualiter, ut causa effectum.

Objic. 1. con. 1. p. ex Script. in contritione nulla fit mentio charitatis, seu amoris Dei; ergo gratis dicitur eam debere elici ex amore Dei super omnia. Prob. ant. ex locis mox citatis pro 2. p. item, *Dixi, confitebor injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*. Et de facto ubi dixerat, *peccavi Domino*, statim audivit, *Dominus transtulit peccatum tuum*; sed in his, & similibus nulla fit mentio amoris Dei; ergo &c.

Resp. dist. ant. & min. nulla fit mentio formalis, & explicita, con. virtualis, & implicita, nego ant. & min. nam in illa conversione, & pœnitentia impii, & confessione Davidis continetur implicitè, & virtualiter amor Dei; ideò addit Propheta conditionem, *si custodierit mandata*, quod fieri nequit sine charitate: & David dicit, *peccavi Domino*; sc. offendi Deum; de quo dolet, & alibi dicit, *iniquitatem odio habui, legem autem tuam dilexi*.

Objic. 2. si non posset contritio esse sine charitate, tam esset actus charitatis, quàm pœnitentiæ; sed hoc est contra nos; ergo & illud

Resp.

Resp. nego maj. nam elicitivè est actus pœnitentiæ, licèt imperetur à charitate, velut à fine extrinseco; aut comitante, sicut posset pœnitentia imperare actum charitatis, ut diximus.

Objic. 1. con. 2. p. contritio perfecta justificat extra sacramentum; sed hoc non potest facere sine charitate formali; ergo nec potest esse contritio sine illa. maj. patet ex Conc. Trident. & supponitur ex dicendis. Prob. min. 1. ex eodem Concilio, quod requirit [1] *ut diligere Deum, incipiant velut justitiæ fontem*. Ex August. [2] etiam cit. *pœnitentiam veram non facit nisi odium peccati, & amor Dei*. Item, *sine amore nemo unquam gratiam invenit*; sed hęc non possunt rectè intelligi, nisi de amore formali; ergo &c.

Resp. nego utramque min. tum quia initium illud dilectionis non est vera charitas, nec facit perfectam contritionem justificantem extra sacramentum; tum quia Augustino sufficeret amor virtualis; tum quia loquitur de contritione perfecta regulariter, & non in rigore scholastico, & in aliquo casu extraordinario.

Inst. Concilium [3] apertè docet contritionem, quę justificat extra sacramentum, debere esse charitate perfectam; sed non potest esse talis sine charitate formali; ergo &c. Major patet in textu.

Resp. nego min. absolutè; nam licèt regulariter adsit charitas formalis in tali contritione; tamen Concilium non negat, quin illa perfectio ex charitate virtuali, & implicita sufficiat.

Inst. 2. ex Scriptura, nemo justificatur sine charitate; ergo vel contritio perfecta non justificat per se, vel includit necessariò charitatem formalem. Prob. ant. dicit enim Joannes: *qui non diligit, manet in morte*, sc. peccati. Et Apostolus: *sine charitate nihil sum*, &c. ergo &c.

Resp. dist. ant. sine charitate actuali, aut habituali explicita, vel virtuali, & implicita, con. sine formali, & explicita, nego ant. & conf. prob. nam Scriptura loquitur de charitate habituali, aut actuali formali, aut virtuali: & maximè cùm urgent pręcepta ejus; vel de habituali, sine qua sumus in peccato.

Objic.

[1] *ss.6. c.6.* [2] *ser.7. temp.* [3] *ss.14. c.4.*

Objic. 2. perfecta contritio, ut justificet, debet esse vera conversio ad Deum: sed conversio non potest esse vera sine formali charitate; ergo &c. Prob. min. avertimur à Deo per formalem conversionem ad creaturam, quæ est formale peccati; ergo non convertimur verè sine formali amore Dei.

Resp. neg. min. & ant. imò sicut peccatum non est formale odium Dei, sed implicitum, & indirectum, saltem ordinariè: ita est in pœnitentia, & conversione, in qua sufficit implicitus amor Dei. Avertimur à Deo per simplicem inobedientiam, in qua non est formale odium; sic convertimur per obedientiam, & odium peccati, prout est offensa Dei.

Inst. sine amore formali non potest pœnitens reconciliari Deo; ergo requiritur amor formalis in contritione justificante. Probatur ant. ex August. cit.

Resp. neg. ant. & cons. prob. nam ad hoc sufficit amor virtualis; nec alium requirit Augustinus, saltem necessariò: volumus enim formalem, quantùm fieri potest.

Objic. 3. Scotus docet, per pœnitentiam non dari gratiã, *nisi sit totaliter circumstantionata circumstantiis moralibus debitis*: sed non potest esse sic circumstantionata sine amore Dei formali, in hoc enim est circumstantia principalis, sc. circumstantia finis ultimi; ergo, &c.

Resp. neg. ant. id enim non erat intentum Scoti, alioqui diceret veram pœnitentiam non posse esse informem, & infructuosam, quia omnis actus virtutis debet esse integrè circumstantionatus. At in mente Scoti idem actus pœnitentiæ, qui est formatus ex gratia, potest esse informis: ut patet ibidem, loquitur ergo de circumstantiis spectantibus ad finem specialem singularum virtutum, & non excludit intentionem finis ultimi implicitam, & virtualem, qualis est amor implicitus, & virtualis in contritione, de qua loquimur.

Porrò supponimus perfectam hanc contritionem, prout distinguitur ab attritione esse per se recõciliativam cum Deo, & remissivam peccati. De quo infra.

Quæres, *An contritio consistat potiùs in dolore, quàm in odio peccati.*

Resp,

Resp. dolorem propriè esse passionem causatam ex odio, & detestatione peccati commissi, & non est in potestate pœnitentis. Ideò definimus contritionem per odium, & detestationem potiùs, quàm per dolorem, Hoc sensu dolor non potest esse de essentia contritionis, quæ est actus liber voluntatis.

Si verò sumatur pro actu displicentiæ de peccato commisso, ut sumitur à multis, sic satis coincidit cum odio, & detestatione, & pertinet ad essentiam contritionis, nec in hoc immorandum, cùm sit lis de nomine.

Idem, & eodem modo dicendum de tristitia, quæ etiam sumi potest activè, & passivè, sc. pro passione appetitus sensitivi: Et hæc quidem aliquando sequitur ex detestatione ferventi, sed non semper, ut docet Scotus cit. [1] Quidam enim sunt faciliores, quidam duriores ad tristandum, & hi etiam cum maxima detestatione peccati non sentiunt tristitiam, nec dolorē.

QUÆSTIO II.

De conditionibus perfectæ contritionis.

JAm diximus de odio peccati commissi, quod est actus principalis pœnitentiæ, & per consequens contritionis; constat, quod debet esse 1. de omnibus peccatis singulatim, aut generaliter. 2. debet esse formale, quantùm fieri potest, licet sufficere possit virtuale contentum in amore Dei. 3. summum, saltem appretiativè, licet sit remissum intensivè, & gradualiter. 4. non requirit determinatam durationem. Hæc autem dicta sint etiam pro contritione, etiam perfecta, quæ consistit essentialiter in tali odio, & ideò exigit easdem conditiones.

Constat etiam ex quæstione præcedenti, quòd hæc contritio debet elici, aut imperari à charitate, saltem implicita, & virtuali.

Restant aliqua examinanda de tristitia, & dolore sensitivo; an sc. odium peccati in contritione debeat causare dolorem, & tristitiam in sensibus, v. g. gemitus, suspiria, lacrymas, & similes affectus, & signa externa doloris interni. An includat necessariò pro-

po-

[1] *Ibid. S.*18.

positum non peccandi ampliùs? Et quale istud esse debeat. An propositum confitendi? Denique an exigat statum gratiæ?

CONCLUSIO I.

C*Ontritio vera non requirit necessariò dolorem, seu tristitiam sensibilem, benè verò spiritualem*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam *licet tristitia sit passio, tamen imperare eam est actus .... tristitia nec est actus virtutis pœnitentiæ, sed effectus remotus*. Et superiùs dixerat, quòd *intellectus quandoque conformatur parti sensitivæ in nobis, ita & appetitus intellectus appetitui sensitivo, quantum est ad faciliter condelectari, & tristari. Cujus ergo appetitus sensitivus non est natus tristari, vel dolere, ejus voluntas non faciliter tristatur. Ex hoc sequitur, quod aliquis habet maximum actum pœnitentiæ primo modo, & tamen nullum effectum, vel modicum*, sc. nullam tristitiam, vel modicam; ergo ex Scoto pœnitentia potest sine dolore, & tristitia esse.

Prob. 2. ex Concil. Trident. in quo definitur contritio, animi dolor, ac detestatio: nam cùm dicit *animi dolorem*, satis ostendit eam non exigere dolorem sensitivum, sed spiritualem, & hoc commune est utrique, scilicet perfectæ, & imperfectæ.

Prob. 3. ex Script. quæ non requirit nisi pœnitentiam, & conversionem ex corde; sed hæc non important dolorem sensibilem, sed spiritualem; ergo, &c. Prob. antec. *convertimini, & agite pœnitentiam*, &c.

Confir. nam licet aliquando Scriptura, & Patres loquantur de lacrymis, & gemitibus, numquam tamen significarunt se loqui de aliis, quàm de gemitibus, & lacrymis cordis.

Confir. 2. nam ut dicebamus ex Scoto, dolor, & tristitia sensibiles sunt passiones, quæ resultant quidem, vel imperantur ex odio, ac detestatione animi, sed non semper, & hoc fit naturaliter sine dependentia voluntatis; ergo non sunt in potestate no-

[1] *d. 14. q. 2. S. T. V. a. n. 18.*

nostra ; ergo nec de necessitate contritionis, quia hæc debet esse voluntaria.

Prob. specialiter de tristitia. Nam Concilia, nec Patres in explicatione, & conditionibus contritionis non loquuntur de tristitia ut necessaria, ut patebit legenti ; ergo &c.

Objic.1. contritio est compunctio, sic vocatur in Scriptura, & Patribus; sed compunctio non est sine dolore sensibili, est enim passio afflictiva, qua pungimur, & affligimur ; ergo & contritio. Prob. ant. [1] *potasti nos vino compunctionis*. Et, *compunctum corde mortificare* : &, *dedit ei spiritum compunctionis*, &c. Nam ibi est sermo de pœnitentia.

Resp. dist. maj. est compunctio activa, seu actus displicentiæ, ac detestationis mali commissi, con. compunctio passiva, seu passio doloris sensibilis, neg. maj. nam contritio est tantùm actus, quo detestamur peccatum commissum, ex qua detestatione sequitur quidam dolor in anima, qui aliquando transit in sensum, sed non semper.

Inst. gaudere, & lætari est mera passio ; ergo & dolere, ac tristari ; ergo cùm contritio dicitur dolor, & tristitia, significatur eam esse passionem. Ant. patet ex communi usu loquendi : cùm enim dico, *doleo*, significo, me aliquid pati, & cruciari ; sicut cùm dico, *gaudeo*, significo me sentire solatium, non autem me agere.

Resp. neg. ant. absolutè, & prob. ejus ; nam sæpe *gaudeo* significat actum approbationis rei factæ, aut præsentis : sicut & *doleo* significat me illam reprobare, & detestari. Fateor etiam sæpiùs significari passiones ex illis actibus sequentes, quod etiam sæpè accidit in pœnitentia, in qua de peccato dolemus, & de dolore gaudemus ; sed istud gaudium reflexum est potiùs actio, quàm passio.

Objic.2. Deus exigit in pœnitentibus conversionem [2] *in jejunio, & fletu*. Item, [3] *plangam, & ululabo, & faciam planctum*. Item, [4] *filia populi mei accingere cilicio in luctum unigeniti, fac tibi planctum amarum* ; sed hæc indicant passiones sensibiles ; ergo &c.

Resp.

[1] *Ps.* 54. & 198. [2] *Joel.* 2. [3] *Mich.* 1.
[4] *Ezech.* 1.

Resp. neg. min. nam licèt in his, & similibus textibus videantur exigi passiones, & signa externa doloris, & luctus, & aliquando justè exigantur in peccatoribus publicis, & in exemplum; tamen ordinariè, & in sensu vero Scripturæ, & Patrum significant dolores internos cordium, non sensuum.

Igitur concedimus, quod ordinariè quidem, & in viris perfectis, quibus cor tenerum est, contritio causat dolorem, & tristitiam in appetitu sensitivo, maximè ex dono Dei, quod dicitur *lacrymarum*; sed hoc non est necessarium ad veram, & perfectam contritionem.

CONCLUSIO II.

Contritio perfecta non procedit necessariò ex gratia, & charitate habituali; sed ad eam disponit, eamque præcedit vel tempore, vel natura. Est communior contra authorē [1] *libri de contritione necessaria*. Qui vult, quod contritio sit, [2] *quasi sequela, seu effectus primæ gratiæ, quæ reddit nos gratos Deo*. v.c.8.§.2. de attrit. sufficienti. Est etiam contra Lutherum, & alios hæreticos, docentes gratiam infundi non intuitu contritionis, sed solius fidei.

Prob. 1. ex Scoto [3] quatenùs juxta modum loquendi Theologorum sui temporis videtur docere pœnitentiam omnem, quæ præcedit infusionem gratiæ, dici attritionem, illam verò, quæ est cum infusione gratiæ, dici contritionem, tamen agnoscit aliquam attritionem, seu detestationem peccati, *quæ est perfectè circumstantionata circūstantiis moralibus debitis*, & quod iste motus detestationis dicitur *attritio, & est dispositio, sive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, quæ sequitur in ultimo instanti alicujus temporis*, &c. Unde *actus, qui est contritio, in eodē instanti temporis præcedit natura deletionē, licet ut contritio, id. ut formatus sequatur deletionem ordine naturæ*; ergo ex Scoto contritio, de qua loquimur, id. pœnitentia perfecta, quæ disponit ad gratiam justificationis, non procedit necessariò ex gratia, & charitate habituali.

Prob.

[1] *pag.36.* [2] *pag.119.*
[3] *d.14.q.2.N.25.*

Prob. 2. ex Concil. Trident. [1] quod ponit pœnitentiam, & initium dilectionis Dei inter dispositiones ad gratiam justificationis, & addit, quod *hanc dispositionem sequitur justificatio .... per voluntariam gratiæ susceptionem*. Et infra docet, quod contritionis motus fuit necessarius quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum; ergo ex Concilio, contritio præcedit saltem natura infusionem gratiæ habitualis, sicut causa præcedit effectum. Et infra docet, quod præter influxum charitatis in contritione perfecta requiritur votum sacramenti, ut infundatur gratia sanctificans; ergo hæc non præcedit, sed sequitur actum veræ contritionis.

Prob. 3. nam ex omnium Theologorum hujus temporis sensu per contritionẽ perfectam intelligitur illa, quæ per se disponit ad gratiam habitualem: sed omnis dispositio præcedit tempore, aut saltem natura formam, ad quam disponit; ergo &c.

Confir. ex Script. & Patribus sæpe cit. nam ubique prærequirunt pœnitentiam, seu contritionem ante remissionem peccati, & infusionem gratiæ; ergo hęc non præcedit necessariò contritionem, sed eam sequitur.

Dixi autem, *non præcedit necessariò*. Nam sæpè justiores eliciunt actus perfectissimæ contritionis, quę tunc procedit ex gratia habituali, quam habent, & est meritoria de condigno ulterioris gratiæ. Loquimur autem de contritione præparante ad justificationem, seu ad primam gratiam.

Objic. 1. Contritio, ex Scoto, [2] est actus concomitans gratiæ, seu formatus gratia; ergo gratia est causa contritionis, & illam præcedit necessariò. Prob. ant. *idem motus, qui priùs fuerat attritio, in illo instanti fit contritio, quia in illo instanti fit concomitans gratiæ.*

Resp. dist. antec. actus concomitans, seu formatus gratia, ad quam disponit, & ut forma comitatur dispositiones proximas suas, conc. concomitans, ut posterior gratia, neg. antec. & conf. prob. nam Scotus loquitur de prima concomitantia, non de secunda, ut patet ex ipso textu. Nam inquit, *actus, qui est contritio, præcedit natura deletionem in eodem*

[1] *ss. 6. c. 6. et 7.* [2] *Ibid. Q. 16.*

instanti temporis. Sub diverso igitur respectu contritio præcedit, & sequitur gratiam, præcedit, ut causa dispositiva: sequitur, ut actus informatus, & sanctus.

Inst. nisi gratia præcederet, homo præpararet se ad gratiam ex puris naturalibus sine auxilio gratiæ: sed hoc est erroneum, & pelagianum; ergo &c. Prob. maj. nam illa contritio, ut præcedens, esset purè naturalis.

Resp. neg. maj. & dist. ant. sine auxilio gratiæ habitualis: con. gratiæ actualis, aut excitantis, & adjuvantis: neg. ant. nec enim prætendit Ecclesia, quod ad veram contritionem disponentem ad gratiam justificantem prærequiratur hæc gratia: nec in hoc errabant pelagiani, sed vult Ecclesia, quod ad talem pœnitentiam necessaria sit gratia excitans, & adjuvans supernaturalis.

Objic. 2. ex Script. & Patribus [1] docemur peccata non dimitti nisi per charitatẽ; ergo charitas præcedit in nobis remissionem peccatorum, & causas ejus; ergo & contritionem. Prob. ant. nam *charitas operit multitudinem peccatorum*. Et Magdalenæ, *dimittuntur peccata multa, quoniam dilexit multum*. Et August. *qui separatur à Deo* (per peccatum) *dilectione redit in Deũ*. Et Conc. Arausi. docet nos non posse diligere Deũ, nec pœnitere ex amore Dei sine ipso amore Dei, sed *donũ Dei esse diligere Deũ, quia ipse dedit nobis, ut eũ diligeremus*. Et denique, *cùm amat nos, infundendo gratiam, nihil aliud intendit, quàm ut ipsum diligamus*; ergo infusio charitatis, & gratiæ præcedit actum contritionis, & illam format.

Resp. dist. ant. per charitatem, ut per causam formalem: con. ut causam dispositivam: neg. ant. & sic intelligendi sunt textus Scripturæ, & Patrum: & maximè loquuntur de charitate actuali; ex qua imperatur contritio, ut contigit Magdalenæ. Idem intendit Concilium Arausicanum, & August. nam pœnitentia, seu contritio imperata ex charitate longè efficacior est, & perfectior.

CON-

[1] *de mor. Eccl.* 12.

CONCLUSIO III.

Contritio debet esse cum proposito formali non peccandi de cætero: in aliquo tamen casu sufficere posset virtuale, & implicitum. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] nequidem per sacramentum remitti peccatum; *nisi peccator habeat aliqualem displicentiam de peccatis, & propositum cavendi de cætero, & velit recipere sacramentum.* Et sic non solùm in contritione perfecta, sed etiam in attritione exigit illud propositum. Pro 2. parte videtur facere, quod docet, *si motus detestationis sit tantummodo carens aliqua circumstantia debita ex inconsideratione intellectus, vel omissione voluntatis, quantùm ad illam circumstantiam, tunc dubium est, si disponat sufficienter ad justitiam.* Et alibi, [2] *quotiescumque dignè pœnitet, obligat se, saltem voto, ad non peccandum in posterum: quia sine tali proposito non est digna penitentia;* ergo regulariter propositum istud debet esse formale, & explicitum; nisi inadvertentia excuset, & tunc posset sufficere virtuale, & implicitum.

Prob. 2. ex Triden. [3] nam in ipsa definitione contritionis ponit illud *propositum non peccandi de cætero.* Et declarat, contritionem hanc non solùm continere *cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem,* &c. sed vitę novę propositum non potest esse sine proposito non peccandi ampliùs; ergo &c. Idem docuerat Concil. Florent. sub Eugenio IV. [4]

Prob. 3. ex Script. & Patribus; [5] nam illa jubet; *projicite à vobis iniquitates vestras.* Item, [6] *auferte malũ cogitationũ vestrarũ, quiescite agere perversè.* Itẽ, *deponite veterẽ hominem.* Sed non projiciuntur iniquitates, nec quiescitur agere perversè; nec deponitur vetus homo, nec inducitur novus sine proposito firmo non peccandi; ergo &c. Idem docent SS. Patres, unde Gregor. definit pœnitentiam *præterita mala plangere, & plangenda iterum non admittere,* &c.

E 2 Prob.

[1] *Ibid. q. 4. H 9. q. 2. N. 15.* [2] *d. 22. q. 1. M. & d. 17.*
[3] *ſſ. 14. c. 14.* [4] *Decret. Eug. n.*
[5] *Isa. 2.* [6] *Ephe. 4.*

Prob. denique: nam odium veteris vitæ, & peccati non est perfectum sine proposito fugiendi peccata ejus; idem est de conversione ad Deum, scilicet non est perfecta, nec vera sine proposito illi deinceps constanter adhærendi, & numquam ab eo divertendi; ergo &c.

Prob. 2. par. nam Concilium eodem modo loquitur de hoc proposito, & de odio peccati: sed potest suppleri detestatio, & odium peccati per actum amoris; ergo & propositum istud per detestationem ferventem, & perfectam ex motivo formali charitatis; maximè si pœnitens non cogitet de futuro, sive ex inadvertentia, sive ex defectu temporis. Prob. conf. eadem ratio obligat ad cavendum peccatum in futurum, & dolendum, ac detestandum præteritum; obligat, quantùm est de se, ad vitanda futura, & id proponeret pœnitens, & promitteret eodem modo, & affectu, si cogitaret.

Confir. nam si quis de repente aggressus ab hoste, vel morbo correptus peccata sua ex toto corde, & ex syncero motivo charitatis detestaretur, non cogitans, nec habens tempus cogitandi de futuro, & in eo statu moreretur, damnaretur defectu talis propositi formalis de non peccando in posterum; sed hoc est falsum, & inconveniens, & durum; ergo dari potest casus, in quo propositum virtuale, & implicitum sufficiat ad perfectam contritionem.

Confir. 2. ex Script. in qua legitur pœnitentia efficax, & fructuosa sine tali proposito explicito, & formali. Sic dicente David, *peccavi Domino*; statim audivit: *Dominus transtulit peccatum tuum*. In his verbis nulla fit mentio explicita de promissione non peccandi ampliùs, & tamen *in his tribus syllabis*, peccavi, *flamma sacrificii coram Domino ascendit in Cœlum*: ait August. [1]

Probat. 2. nam dolor de peccatis commissis propter offensam Dei summè dilecti virtualiter continet propositum numquam eum offendendi; ergo nisi voluntariè omittatur ille actus, sufficiet ille dolor ad veram contritionem. Prob. conf. nam ex natura rei, & quantùm est ex se, dolor ille, qui respi-

[1[*ho.41. temp.*

respicit peccata præterita, eodem affectu odii, & fugæ respiceret futura, si de illis cogitaretur: Nam illud odium, ex illo motivo, est indifferens ad futura, & præterita; separat enim absolutè cor ab affectu peccati, & illud unit Deo per amorem summum; ergo &c.

Dixi autem, *ex inadvertentia*, nam si pœnitens advertat, & cogitet de futuro, pœnitentia ejus non erit perfecta, nisi proponat emendationem; sed videbitur tacitè dispositus ad peccandum, cùm venerit occasio; nec ad hoc habere se debet negativè; sicut qui agnoscens se reum quatuor peccatorum, detestaretur tria, & nihil diceret de quarto, censeretur adhuc illud amare.

Objic.con.1.p. nulla lex divina, aut naturalis præcipit tale propositum; ergo non debet asseri: nullum enim onus debet imponi sine aliqua lege naturali, aut positiva. Prob.ant. & 1. de positiva divina, quia nullibi legitur. 2. de naturali, quia id peteretur ex natura detestationis, vel offensæ Dei: sed neutrum dici potest; ergo &c. Prob. min.1. non ex natura detestationis; nam hæc nihil aliud petit nisi dolorem de peccato commisso, & amorem Dei offensi per illud: sed ad hoc non facit illud propositum formale: quia Deus non fuit offensus per peccatum possibile, aut futurum, sed per præteritum; ergo &c. 2. non ratione offensæ Dei; nam Deus non exigit dolorem, nec satisfactionem pro futuris, nec est pro illis offensus; ergo nec contritio respicit futura, nec Deus exigit, ut illa respiciat.

Resp.neg. ant. & 1.min. quoad utramque partem: nam, ut patet ex fundamentis conclusionis, Scriptura, & Concilia præcipiunt illud propositum, & natura ipsius pœnitentiæ, & peccati hoc requirit: si enim peccata commissa obligant ad pœnitentiam ex lege tam positiva divina, quàm naturali; ita & ad vitanda futura: id recta ratio dictat, maximè cùm pœnitens cogitat de illis.

Objic.1.con.2. si propositum virtuale sufficeret, Concilia non deberent illud expressè præcipere; superflueret ejus mentio: sed conf. est falsum; ergo & ant.prob.maj. sufficeret præcipere detestationem peccati, vel amorem Dei, quia utrumque contineret

implicitè, & virtualiter illud propositum, & hoc sufficeret ad remissionem peccati; ergo frustra sic præciperetur.

Resp. neg. maj. & cons. prob. nam Concilia loquuntur expresse de hoc proposito, sicut de aliis multis, ut meliùs doceant fideles de iis, quæ regulariter fieri debent ad litteram, & explicitè, ut in hac quæstione, quod fateri debent adversarii, qui fatentur votum sacramenti posse suppleri, & contineri virtualiter in contritione. Et tamen Concilium illud expressè præcipit; ergo ita est de hoc proposito, licèt illud præcipiat expressis verbis.

Inst. ut sufficeret propositum virtuale, deberet contineri virtualiter in ipsa detestatione peccati, vel in amore Dei; sed neutrum dici potest; ergo &c. Prob. min. illud propositum est decretum voluntatis, quo statuit non ampliùs peccare: & si continetur virtualiter in illa detestatione, vel amore, debet necessariò sequi ex illis; sed istud decretum non ita sequitur ex illis actibus; ergo &c.

Resp. neg. utramque min. nam hoc ipso, quod amo Deum summè, & quod summè detestor omnem ejus offensam, censeor illum amare sine limitatione temporis, & similiter odisse peccatum pro semper: motiva enim tam amoris illius, quàm detestationis urgent pro semper.

Inst. 2. vota confitendi, & satisfaciendi, quæ præcipiuntur, debent esse formalia: nec sufficiunt virtualia; ergo & istud propositum, quod eodem modo præcipitur. Probat. anteced. quia Concilium declarat per contritionem, *sine voto recipiendi sacramentum, & præstandi reliqua*, hominem non reconciliari.

Resp. neg. 1. ant. & 2. cons. nam ut diximus de baptismo, & iterum dicemus de hoc sacramento, sufficere potest votum virtuale, si sic continetur in aliquo alio actu formali ejus, & quando non adesset talis actus, adhuc id dici deberet de hoc proposito, quia magis naturaliter continetur in odio perfecto peccati, & amore Dei, nisi ex contemptu, & voluntariè negligatur.

Objic. 2. finis principalis pœnitentiæ est emendatio vitæ; ergo hæc debet principaliter intendi; sed non pot-

potest sic intendi sine proposito formali; ergo &c. Prob. subs. quia hæc intentio non continetur virtualiter in aliis actibus pœnitentiæ; quia isti sunt aliquo modo posteriores, & quasi media electa ex illa intentione. ergo &c.

Resp.neg.maj. nam finis principalis, & immediatus pœnitentiæ est punitio, & deletio peccati præteriti, saltem hæc intenditur æquè primò, ac illa emendatio, & sic neutra est prior.

Inst. finis principalis pœnitentiæ est recessus à malo, & conversio ad bonum oppositum; sed neutrum esse potest sine proposito formali non peccandi; ergo istud debet adesse formaliter, & explicitè.

Resp.neg.min. nam sicut recessus à termino à quo, est accessus ad terminum ad quem, maximè in iis, quę non admittunt medium, & indifferentiam, sic detestatio perfecta peccati præteriti includit accessum, & conversionem ad bonum oppositum, non tam pro præterito, pro quo non est possibilis, sed maximè pro præsenti, & futuro, & iste accessus sequitur ex illa detestatione naturaliter, nisi adsit voluntas contraria explicita, vel interpretativa.

Instab. Contritio perfecta includit amorem Dei super omnia; sed hic amor nequit esse perfectus sine proposito formali de isto non offendendo; ergo &c.

Respond. 1. dist. maj. amorem formalem, aut virtualem, con. formalem semper, neg. maj. ut patet ex dictis.

Resp. 2. neg.min. nam etiam illud propositum non offendendi Deum summè amatum continetur, & sequitur ex illo amore, ut effectus ex causa sua morali.

Porrò hæc pars conclusionis de sufficientia propositi virtualis non peccandi ampliùs vera est præcipuè in contritione perfecta, quia meliùs continetur in affectu, & motivo charitatis, quæ in ea includitur; non autem in attritione, si est sine omni motivo charitatis. Ideò Concilium videtur specialiter cavere, ut attritio ex metu gehennæ, vel ex consideratione turpitudinis peccati *voluntatem peccandi excludat.* Certè contritio non est fructuosa nec in sacramento, neque extra illud, nisi voluntatem illam excludat per propositum illud non ampliùs peccandi,

quod regulariter debet esse explicitum, quantùm fieri potest, alioqui pœnitentia erit imperfecta, & inefficax, nisi ignorantia, vel inadvertentia, vel urgentia temporis excuset, in quo casu perfectio odii, & doloris de peccato, vel amoris Dei supplebit ejus defectum.

CONCLUSIO IV.

UT *contritio quantumvis perfecta justificet extra sacramentum, necessarium est votum explicitum, et formale confitendi: per accidens tamen sufficere posset implicitum, et virtuale*. Est etiam communior.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod illa contritio habet propositum, seu promissionem confessionis secuturæ, & sic non deletur peccatum sine proposito confitendi.*

Prob. 2. ex Concil. Trident. cit. [2] dum declarat, quod, *et si contritionem hanc charitatem perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priùsquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominùs reconciliationem ipsi contritioni, sine sacramenti voto, quod in ea includitur, non esse adscribendam*. Et antea docuerat de peccatis post baptismum, sc. eorum [3] *pœnitentiam continere non modo cessationem à peccatis, et eorum detestationem, aut cor contritum, et humiliatum, verum etiam eorumdem confessionem, saltem in voto, et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem*; ergo in contritione etiam perfectissima requiritur propositum confitendi, & quidem explicitum, quantùm fieri potest: nam idem est de hoc actu, ac de aliis, qui debent pariter esse expliciti regulariter.

Prob. 3. ex eodem Scoto: nam si peccata post baptismum commissa possent remitti sine sacramento isto, saltem in voto, & per solam contritionem, frustra illud fuisset institutum: nam sufficeret de peccato dolere ex amore Dei sine ulla mentione sacramenti.

Prob.

[1] *d.17.X.30.* [2] *ss.14.c.4.*
[3] *ss.6.c.14.*

Prob. 2. p. nam possibiles sunt aliqui casus, in quibus pœnitens excusatetur ab hoc actu explicito, & suppleretur per alios in contritione contentos, aut comitantes, v. g. defectu advertentiæ, aut instructionis, aut ex ignorantia inculpabili; ergo &c. Prob. ant. nam congruit divinæ misericordiæ, ut attenta infirmitate nostra, facienti, quod in se est, non deneget gratiam: sed in prædictis casibus homo faceret, quod in se est, ex auxilio gratiæ, & ex fide, & ex aliis principiis requisitis; ergo &c.

Objic. 1. con. 1. par. non constat ex Scriptura de necessitate talis propositi, nec fuit necessarium in legibus naturæ, & Moysi, ut patet, nec invenitur in novo testamento; ergo gratis asseritur. Prob. conf. quia non debent sine gravi necessitate imponi onera nova fidelibus, & contritio non debet habere hodie minorem efficaciam, quàm olim, cùm sit eadem; ergo &c.

Resp. neg. 1. ant. & 2. conf. nam sufficit, quòd Ecclesia semper agnoverit eam necessitatem, sic edocta à Christo per Apostolos. Imò & id colligitur ex institutione hujus sacramenti, ex qua patet, quòd in lege Euangelica Deus noluit aliter peccata remittere, quàm per illud in re, vel in voto.

Inst. sine tali voto contritio non desinit esse contritio, & eadem, quæ fuit in veteri lege; ergo eandem habet efficaciam. Prob. conf. nam *idem manens idem semper natum est facere idem*.

Resp. dist. ant. est contritio quoad aliqua, con. quoad omnia, neg. ant. nam istud votum est pars illius, & id non erat ante legem Euangelicam, & ante institutionem hujus sacramenti.

Objic. con. 2. par. Concilium dicit votum sacramenti includi in contritione perfecta: sed illa inclusio non est purè virtualis; ergo debet esse explicita. Prob. min. si implicitè solum contineretur, id esset vel in odio peccati, vel amore Dei, vel in proposito generali servandi præcepta; sed in his non continetur sufficienter; ergo &c. Prob. min. 1. odium idem est in attritione; sed ista non sufficit sine sacramento; ergo &c. 2. Amor Dei erat idem in contritione Patriarcharum, & Judæorum, in quo non continebatur illud votum 3. Propositum generale

rale servandi mandata, aut non peccandi non magis respicit confessionem, quàm quodvis aliud mandatum, verb. grat. quàm præceptum non furandi, &c.

Resp. dist. 1. min. non debet esse purè virtualis regulariter, & quantùm fieri potest: con. absolutè, & simpliciter, ita ut numquam sufficiat: neg. min. & ad 2. dico illud votum contineri in proposito, & dispositione pœnitentis faciendi omnia requisita ad gratiam consequendam; inter quæ adest votum confitendi.

QUÆSTIO III.

De attritione; an, & quid sit.

JAm diximus attritionem esse alium actum pœnitentiæ, & aliam speciem contritionis, quæ dicitur imperfecta, non in sua specie, sed respectu præcedentis, quatenùs non includit actus tam nobiles, nec proximè disponit ad gratiam sanctificantem.

Porrò dari talem attritionem fatentur omnes, & constat ex Concil. Trident. & omnium Theologorum consensu. Quippe antiquiores Scholastici sic vocabant omnem pœnitentiam, quæ præcedit gratiæ sanctificantis infusionem, ut notavimus. Restat videre, quid illa sit secundum se, & in se.

CONCLUSIO.

ATtritio est actus virtutis pœnitentiæ, quo detestamur peccatum intuitu ejus turpitudinis, vel pœnarum, quibus subjacet, aut ex alio motivo honesto, in fra Deum.

Prob. posset ex Scoto, qui pœnitenti suggerit plura motiva, quorum aliqua causare possunt contritionem perfectam, alia imperfectam, seu attritionem. Primi generis sunt, si consideretur peccatum, *ut offensivum Dei, & aversivum à Deo.* 2. generis, sit consideretur, *ut impeditivum præmii, & inductivum supplicii, aut contra legem Dei;* sed ut verum fatear, in Sco-

Scoti mente, [1] illa motiva non faciunt nisi attritionem, donec infundatur gratia sanctificans, per quam illa attritio formetur, & fiat contritio. Et idem est de aliis Theologis sui temporis.

Prob. 1. ex Concil. Trid. dicente, [2] *illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quia vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur*, &c. Et infra definiens hujus actus utilitatem docet eam elici *ponderando gravitatem, fœditatem, multitudinem* (peccatorum) *amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum*; ergo hic habes totam conclusionem, sc. existentiam, & essentiam hujus pœnitentiæ: nam Concilium vocat eam nomine *contritionis*, licèt dicat eam imperfectam respectu alterius speciei, licèt in sua specie sit perfecta.

Prob. 3. nam sic benè explicatur natura hujus pœnitentiæ per genus, & differentiam juxta sensum Ecclesiæ, ut patet ex singulis particulis.

Dicitur 1. *actus pœnitentiæ virtutis*. Nam habet idem objectum, & finem cum pœnitentia virtute; sc. respicit peccatum ut punibile, & destruibile. 2. *quo detestamur peccatum commissum*, & hoc iterum ponitur loco generis, per quod convenit cum perfecta contritione, quæ est altera species ejusdem virtutis. 3. Cætera ponuntur loco differentiæ, per quam distinguitur à contritione.

Con. nam al'æ definitiones attritionis, quas afferunt Theologi, vel coincidunt cum ista, vel eam supponunt, ut cum dicitur *actus pœnitentiæ imperfectior*, vel minùs benè assignantur: nam actus veræ virtutis, ut virtus est, debet esse quid perfectum, quia virtus est *dispositio perfecti ad optimum*; ergo Attritio, ut actus pœnitentiæ, debet esse perfecta in sua specie, prout distincta à contritione. 2. Quia licèt dicatur imperfecta comparativè ad contritionem; hoc venit ex principiis, seu motivis ejus intrinsecis, quæ sunt ignobiliora, & sic meliùs definitur per illa.

Confir. 2. contra eos, qui illam definiunt à posteriori, seu ab effectu, dicentes eam esse actum, qui non disponit proximè ad justificationem extra sacramentum: nam non solent benè definiri naturæ re-

[1] d. 14. q. 2. N. 15. [2] ss. 14. c. 4.

rum ab effectibus, si possint explicari per constitutiva intrinseca, & essentialia. Quod autem non sufficiat sine sacramento, venit ab entitate ejus, quæ in se debet considerari, priùsquam in effectibus, ut scias, quare non sic sufficiat, ut contritio.

Confir. 3. contra illos, qui dicunt eam esse dolorem remissum de peccatis, vel parum durantem: nam, ut patet ex dictis, intensio gradualis, nec duratio non sunt conditiones essentiales pœnitentiæ. Item dolor de pecato ex timore pœnarum potest, imo solet esse intensior, & diuturnior, quàm ex amore Dei, nec tamen evadet contritio per ullam talem intensionem, aut durationem.

Confir. 4. contra eos, qui dicunt eam dolorem naturalem de peccato: nam ut attritio sufficiat cum sacramento ad gratiam, debet esse ex principiis supernaturalibus fidei, & spei, & gratiæ excitantis, ac juvantis, ut definit Concilium. [1]

Objic. 1. odium peccati non magis pertinet ad pœnitentiam, quàm ad alias virtutes; ergo vel non benè definitur attritio ex illo motivo, vel non est actus pœnitentiæ. Prob. ant. singulæ virtutes detestantur peccata sibi opposita propter eorum deformitatem, seu turpitudinem, quia hæc nihil aliud est, quàm privatio honestatis, quæ est in actibus virtutum; ergo, &c.

Resp. ex dictis, neg. 1. ant. & dist. 2. propter turpitudinem ex fine sibi proprio, con. ex fine puniendi talem turpitudinem in ipso peccante, neg. 2. ant. & conf. prob. nam motivum istud est proprium soli attritioni pœnitentiali.

Objic. 2. timor servilis non pertinet ad virtutem: sed dolor peccati ex metu pœnarum est ex timore servili; ergo non est actus pœnitentiæ virtutis.

Resp. neg. maj. & patebit per quæstionem sequentem.

QUÆ-

[1] *ss. 6.*

QUÆSTIO IV.

An, & per quid differant contritio, & attritio.

IN multis conveniunt hi duo actus. 1. uterque est dolor, & detestatio de peccato commisso. 2. uterque includit, vel annexum habet propositum non peccandi amplius. 3. uterque est secundum Deum, seu cum aliquo respectu ad Deum ut finem, vel objectum, & convertit ad Deum sub diverso respectu; loquor enim de contritione, & attritione christiana. 4. uterque est supernaturalis. 5. uterque tendit ad obtinendam remissionem peccati per sacramentum in re, vel in voto.

Differunt etiam in multis. 1. ex principiis: nam contritio procedit ex charitate imperativè, aut elicitivè simul, & à pœnitentia; attritio ex pœnitentia, & ex spe veniæ, & timore pœnæ, vel odio, & horrore infamiæ ob turpitudinem peccati. 2. ex effectibus: nam contritio disponit proximè ad gratiam remissionis etiam extra sacramentum actu susceptum; attritio verò non nisi in sacramento. 3. ex motivis; illa movetur ex summo amore charitatis in Deum, ista ex amore concupiscentiæ, ne sc. pœnitens privetur gloria, & ne puniatur pœnis inferni. Quærimus ergo, an propter ista differant essentialiter, & quænam sit earum differentia propria, & essentialis.

CONCLUSIO I.

Contritio, & attritio differunt essentialiter. Est communior.

Hanc non probo ex Scoto, [1] quia, ut sæpe diximus, videtur docere eundem actum, qui est attritio, fieri contritionem, adveniente gratia. Nam, *si manet idem motus contra peccatum in esse naturæ, & moris, qui priùs fuit attritio, in illo instanti fit contritio.* Et sic attritio, & contritio non videntur distingui intrinsecè, ex mente Theologorum illius temporis, sed nunc aliter loquuntur. Sed tamen Doctor [2] aliam differentiam videtur admittere inter illos actus, cùm dicit,

[1] *Ibid. M. & O. 15. & 16.* [2] *d. 16. q. 1. E. 6. d. 17. q. 1. E.*

dicit, quòd *absolutio non est utilis, nisi praecedat in confitente contritio, vel attritio*; & quod *in confitente necessaria est contritio, vel attritio*; nam sic indicat adesse aliquam differentiam intrinsecam inter illas, & quod ante sacramentum, & ante infusionem gratiae jam differunt.

Prob. 1. habent motiva formalia essentialiter diversa; ergo sunt actus pariter diversi: actus enim specificantur à motivis. Prob. ant. attritio concipitur ex motivo turpitudinis peccati, vel timoris gehennae, contritio verò ex motivo amoris Dei super omnia, & in se; sed haec sunt essentialiter diversa; ergo &c.

Objic. si differrent essentialiter, numquam attritio fieri posset contritio; sed hoc est falsum, & contra Scotum, & antiquos Theologos: ergo &c.

Resp. dist. maj. non posset fieri contritio quoad essentiam, & rationem specificam, conc. quoad effectum, & in sensu Scoti, & aliorum, neg. maj. & min. nam Scotus, nec alii Theologi numquam docuerunt actum poenitentiae, quem hodie dicimus attritionem, posse fieri contritionem in eodem sensu sine sui mutatione essentiali; sed tantùm quoad effectum, & quoad extrinseca, ut diximus, quatenùs per adventum gratiae in sacramento attritio informatur, & fit contritio quantùm ad hoc.

CONCLUSIO II.

Contritionis, et attritionis differentia essentialis non petitur ex majori, vel minori intensione, vel duratione; nec 2. ex naturalitate, et supernaturalitate; nec 3. ex extensione odii ad mala culpae, aut paenae; nec 4. ex proposito non peccandi, vel defectu ejus; nec 5. ex gratia informante.

Prob. 1. tota conclusio ex Concilio Trident. cit. [1] quod nullam ex his differentiis assignat inter istos actus, sed unicè illos distinguit ex motivis charitatis, quo perficitur contritio, & turpitudinis peccati, vel timoris poenarum, ex quo elicitur attritio; ergo non differunt essentialiter ex illis aliis capitibus.

Dico, *essentialiter*. Non enim negamus, quin aliquo modo differant, v. gr. accidentaliter, aut à poste-

[1] Sess. 14. c. 4.

sterioti ex aliquot ex illis capitibus, sed loquimur de differentia intrinseca, & essentiali.

Prob. 1. p. ex dictis supra de odio peccati, scil. quod ad sufficientiam non requiratur in eo ulla determinata intensio, vel duratio; ergo hinc non possunt differre essentialiter.

Prob. 2. nam detestatio peccati ex timore pœnæ potest esse maxima, & durare per dies integros, & tamen numquam evadet contritio perfecta, nec justificabit sine sacramento; & vicissim actus pœnitentiæ ex motivo veræ charitatis, licèt in gradu remisso, & parum durans, erit contritio perfecta, & justificabit cum voto solo sacramenti; ergo differentia essentialis illorum actuum non petitur ex intensione graduali, neque ex duratione præcisè.

Prob. 2. p. 1. Attritio non potest disponere ad gratiam, nequidem cum sacramento, nisi sit supernaturalis, sc. ex fide, & spe, & auxilio gratiæ actualis, & supernaturalis; ergo utraque ejus differentia à contritione non venit ex supernaturalitate: nam utraque debet esse supernaturalis. Prob. ant. ex Concilio Trid. [1] quod definit hominem *non posse pœnitere, sicut oportet, ut ei gratia justificationis conferatur sine Spiritus S. adjutorio, et justificatione*, alioqui erraretur cum Pelagio.

Prob. 3. p. de extensione, quasi verò contritio extendatur ad omnia peccata, non autem attritio, aut ista non doleat de peccato super omnia alia mala, aut doleat propter pœnam, & non propter culpam; sed in his potius conveniunt; ergo earum differentia non venit inde. Prob. min. nam ex dictis de odio, istud debet necessariò extendi ad omnia peccata commissa, saltem in universali, & odisse peccatum super omnia alia mala; est enim de peccato, quod est offensa Dei, & contra legem Dei, ex quo fit, ut sit summum malum, saltem appretiativè, ut dictum est.

Prob. 4. p. de proposito: nam patet ex eodem Concilio, [2] quòd illud propositum est essentiale contritioni in genere, seu prout est genus ad perfectam, & imperfectam; & in specie attritio debet *excludere voluntatem peccandi*; ergo hæc debet includere propositum non peccandi ampliùs, æquè ac contritio.

Con-

[1] *Sess. 6. can. 3.* [2] *Sess. 14. c. 4. d. 14. q. 4.*

Confir. ex Scoto: *Per pœnitentiæ sacramentum non deletur peccatum, nisi* (peccator) *habeat aliqualem displicentiam de peccatis, & propositum cavendi de cætero*, &c.

Prob. 5. p. de Gratia; nam quòd contritio perfecta causet gratiam extra sacramentum, & per se, non autem attritio, id venit vel ex parte Dei, & ex ejus mera voluntate, vel ex dispositione sufficienti, vel insufficienti ex parte hominis. 1. non ex parte Dei, quia non est acceptor personarum, ut æqualiter dispositis non det æquales gratias. Si ex dispositione, habetur intentum: nam sequitur, quod contritio sufficienter disponit ad gratiam per se, & extra sacramentum, non autem attritio: ergo inter se differunt per aliquid prius, & magis intrinsecum, quàm per solam gratiam, quæ est effectus contritionis.

Dico, *per solam gratiam*; non enim negamus, quin per hoc differant, sed hæc differentia est extrinseca, & à posteriori, & ab effectu, & sic recurrendum est ad causam priorem, qua fit, ut contritio causet gratiam per se, & extra sacramentum, non autem attritio; & hæc causa erit differentia earum intrinseca, & à priori.

Objic. con. 1. p. Non potest dici, cur attritio sit imperfecta, nisi quia est remissior, & contritio intensior, quia perfectio, & imperfectio non potest esse nisi gradualis; ergo sic differunt.

Resp. neg. ant. Nam illa differentia esset ad summum accidentalis; & quærimus essentialem. 2. attritio ex metu gehennæ potest esse intensior amore Dei.

Inst. differentia essentialis actuum petitur ex fine, & objectis; sed hæc sunt eadem in attritione, & contritione; ergo non differunt essentialiter, sed accidentaliter ex intensione, vel duratione.

Resp. dist. maj. ex motivis, vel objectis, con. objectis, & fine tantùm, neg. maj. & cons. nam hæc sunt diversa specie motiva, quod sufficit ad distinctionem specificam, ut patet de fide divina, & humana, quæ sunt de eisdem objecto, & fine, & ex solis motivis differunt.

Aliæ objectiones de intensione, & duratione solutæ sunt suprà.

Objic. 1.

Objic. 1. con. 2. p. ex Scot. sæpe cit. attritio fit ex influentia naturali; ergo & ipsa est naturalis: nam supernaturalitas venit maximè ex influxu gratiæ supernaturalis.

Resp. ut supra, neg. ant. Nam Scotus nomine *influentiæ communis* intelligit auxilia gratiæ actualis, quibus Deus concurrit ad alios actus virtutum, & sunt communia justis, & injustis, quamvis in se sint supernaturalia.

Objic. 2. auxilia gratiæ, quibus Deus concurrit ad actus attritionis, possunt esse diversa ab his, quibus concurrit ad actus contritionis; ergo hinc possunt differre. Probat. cons. nam differentia causarum arguit differentiam effectuum.

Resp. dist. conseq. possunt ex his distingui extrinsecè, conc. intrinsecè, neg. cons. nam causæ sunt extra essentiam actuum. Quærimus autem hic differentiam intrinsecam horum actuum, & differentiam, quam habent de facto, non autem de possibili, qualis esset ista.

Inst. contritio, & attritio dicunt ordinem intrinsecum ad speciales gratias, ex quibus fiunt; ergo differentia, quam inde habent, est intrinseca. Probat. ant. Deus præparat, & dat auxilia proportionata effectibus, quos inde prævidet secuturos; sed hi effectus differunt specie; ergo & illæ gratiæ sub respectu ad illos.

Resp. neg. ant. Nam ille respectus, & ordo est purè extrinsecus. Nam quod Deus velit concurrere per auxilia gratiæ ad contritionem ex motivo charitatis, & ad attritionem ex metu gehennæ, nihil facit ad diversitatem auxiliorum, vel actuum, sed tota diversitas venit ex illorum entitate intrinseca, & hæc venit ex illorum diversis motivis, & objectis.

Objic. 1. con. 2. p. Attritio est odium peccati propter pœnas; ergo magis odit pœnas, quàm ipsum peccatum: nam *propter quod unumquodque tale, & illud magis*; ergo talis actus non est bonus, quia non odit peccatum sufficienter, scilicet super omne aliud malum.

Resp. neg. conseq. & rationem ejus. Illud enim axioma non semper valet, maximè in moralibus, ubi prælatio mensuratur ex dignitate objectorum, non autem ex ordine, quo attinguntur. Qui odit mortem filii.

filii legitimi propter spurium, ne hic habeat hæreditatem, non magis odit hanc successionem, quàm mortem dicti legitimi. Sic qui amat patrem propter bona ab illo recepta, non tamen censetur plus amare bona illa, quàm patrem ipsum, & sic de aliis.

Objic.2. Proprium commodum pœnitentis est motivum, & finis attritionis, sc. negatio pœnæ: odium verò peccati est velut medium talis finis; ergo negatio pœnæ plus amatur, quàm negatio peccati: nam finis plus amatur, quàm media.

Resp. dist. ant. Est motivum immediatum, conc. motivum principale, & ultimatum, neg. ant. nam reconciliatio cum Deo est verus, & principalis finis omnis pœnitentiæ christianæ; timor verò pœnæ est quidam stimulus movens ad prosecutionem talis finis.

Objic. con.4. p. Concilium in attritione requirit solùm, ut voluntatem peccandi excludat; sed ad hoc non requiritur propositum positivum non peccandi, benè verò ad contritionem; ergo per hoc distinguuntur contritio, & attritio. Prob. min. nam ut excludat voluntatem peccandi, sufficit, quod non adsit talis voluntas; sed potest abesse sine tali proposito positivo; ergo &c.

Resp. neg. utramque min. nam cùm voluntas peccandi moraliter perseveret in peccatore, donec fuerit retractata per actum positivum contrarium; ideo tale propositum requiritur in utroque actu, sc. tam attritionis, quàm contritionis.

Inst. Illa voluntas satis excluditur per odium peccati, quod est in attritione; ergo non est necessarium illud propositum positivum in attritione.

Resp.1. neg. ant. nam odium præcisè respicit malum præteritum, aut præsens, aut futurum: at propositum respicit malum ut futurum.

Resp.2. Hoc argumentum nimis probare: nam sequeretur etiam propositum illud non requiri in contritione, quod falsum est ex Concilio Trident.

Objic.2. Qui inadvertenter omitteret illud propositum, adhuc esset attritus, non verò contritus; ergo per illud attritio, & contritio differunt, quia essentiale est contritioni, non autem attritioni.

Resp. 1. neg. ant. Nam vel utraque valeret, modò con-

contineretur in aliquo illarum actu virtualiter, vel neutra ex hoc defectu.

Resp. 2. neg. conf. Nam omissio inculpabilis alicujus circumstantiæ non mutat essentiam actus, & talis esset in casu objectionis: omissio propositi esset utrobique inculpabilis, & sic uterque actus valeret.

CONCLUSIO III.

Differentia attritionis à contritione non petitur ex defectu omnis amoris Dei in illa, neque ex respicientia mediata Dei in attritione, & immediata in contritione, sed essentialiter petitur ex parte motivorum utriusque, scil. motivum contritionis est amor Dei super omnia, & propter se: Attritionis verò est timor pœnarum, vel turpitudo peccati, aut quid simile infra Deum.

Prob. 1. ex Concil. Trid. cit. [1] in quo illa motiva singulis illis actibus assignantur. Nam dicit contritionem aliquando *contingere charitate perfectam*; & tunc reconciliare, *antequam sacramentum actu recipiatur*. Attritionem verò dicit *contritionem imperfectam, quia communiter concipitur vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu*. Et idem definit in Can. 5. ergo in his consistit essentialis differentia horum actuum.

Prob. 2. quoad 1. p. nam ex eodem Concilio [2] in attritione potest esse aliquod initium amoris Dei; nam justificandi per Sacramenta *diligere Deum incipiunt, velut omnis justitiæ fontem*; & tamen illud initium dilectionis non perficit contritionem, ita ut justificet hominem, antequam baptismus actu suscipiatur, ut patet in textu; ergo ex Concilio attritio non caret semper omni amore Dei; ergo per hoc non distinguitur à contritione.

Prob. 3. Fieri potest, ut quis ex auxilio gratiæ credat, speret, & amet Deum, & deinde considerans peccata sua, & pœnas inferni, quibus subjacet propter illa, potest ex hoc motivo illa detestari, nihil ampliùs cogitans de amore illo Dei; sed talis detestatio erit pura attritio, & non sine omni amore Dei; ergo attritio non caret omni amore Dei; ergo per hanc

[1] *Sess. 14. c. 4.* [2] *Sess. 6. c. 6.*

hanc carentiam non differt essentialiter à contritione.

Probat.2. p. eodem modo peccator potest respicere peccatum ut offensam Dei, & illud ut tale detestari propter pœnas inferni; sed illa detestatio erit pura attritio, licèt non sine respectu ad Deum; ergo hinc non distinguitur essentialiter à contritione.

Prob.2. in tantum contritio dicitur respicere Deum immediatè, quatenus odit peccatum ex ejus amore summo, & propter se ipsum, seu prout Deus ut summè, & propter se amatus est motivum illius odii; attritio verò non ita dicitur respicere Deum, quia motivum ejus odiendi peccatum est metus inferni, quo punit peccatum, vel turpitudo peccati; ergo tota ratio differentiæ petitur ex diversitate motivorum, sive illa Deum respiciant, sive non.

Confir. Nam nequidem contritio perfecta respicit Deum directè, sed peccatum directè respicit ut offensam Dei summè dilecti; ergo &c.

Confir.2. ex dictis. Non enim essentiale est contritioni, ut includat amorem Dei formalem, & explicitum, sufficit virtualis, & implicitus; ergo ille respectus Dei non debet esse formalis, & explicitus; ergo non facit differentiam essentialem istorum actuum. Nam etiam attritio debet respicere Deum, saltem virtualiter, & implicitè, & ultimatè, sc. ad placandum illum per odium, & vindictam peccati in pœnitente.

Confir. 3. Quia detestatio peccati propter Deum vindicem justum non est nisi attritio; sed hæc respicit Deum tam directè, quàm ipsa contritio per amorem; ergo attritio etiam respicit Deum.

Prob.3.p. ex Trid. cit. quod assignat tales differentias, & istæ sufficiunt; ergo frustra quæruntur aliæ.

Prob.2. Non enim possunt aliæ meliores differentiæ assignari, & istæ sufficiunt; ergo &c. Prob. ex dictis, ubi patet aliarum differentiarum insufficientia, nisi reducantur ad istas.

Prob. 3. Quia certum est differentiam actuum peti vel ex objectis, vel ex fine, vel ex motivis; sed in istis non potest peti ex objectis, neque ex fine, quia in his conveniunt; ergo restat, ut petatur ex motivis, quæ sunt essentialiter diversa.

Confir. Nam ad hæc motiva reducuntur alia omnia prin-

differentiæ istorum actuum, quæ ab Autho- [illegible]ntur, ut patet ex dictis; ergo &c.

[illegible] 1. con.1.p. Si attritio includeret aliquem amorem, non veniret ex timore: nam charitas pellit timorem; ergo attritio est sine omni charitate.

Resp. dist. ant. & rationem ejus. Si includeret amorem perfectæ charitatis, conc. si imperfectæ tantum, neg. ant. & rationem ejus: nam amor, quem admittimus in attritione, est initialis, & imperfectus; ideò non pellit omnem timorem.

Objic. con.2.p. Attritio detestatur peccatum propter pœnas; ergo respicit directè pœnas, & non Deum.

Resp. dist. ant. Propter pœnas, ut à Deo infligendas, &c. hoc est propter offensas sibi illatas per peccatum, conc. propter pœnas absolutè, & sine respectu ad Deum, neg. ant. nam pœnitentia christiana respicit peccatum ut punibile in ipso peccante; & ne puniatur à Deo, quia est læsivum juris divini, & hoc facit ad placandam justitiam Dei.

Objic. con.3.p. Consideratio pœnæ, ac turpitudinis peccati sunt motiva naturalia; sed talia motiva non faciunt ad pœnitentiam Christianam, nec disponunt ad gratiam supernaturalem; ergo non sunt idonea principia hujus differentiæ.

Resp. dist. maj. Si naturaliter cognoscantur, & operentur, con. si cognoscantur, & operentur ex principiis supernaturalibus, neg. maj. & cons. Nam cognoscuntur ex fide supernaturali, & operantur ex auxiliis gratiæ pariter supernaturalis excitantis, & juvantis voluntatem ad detestanda peccata, & credendas illas pœnas, & cognoscendam illam deformitatem peccati cum recta ratione, & lege divina.

Quæres, *quid sit illa turpitudo peccati, cujus intuitu detestamur illud per attritionem.*

Resp. eam consistere posse respectivè ad Deum, cujus est offensa, & irreverentia, & injuria, irreligiositas, ingratitudo, contemptus, &c. item in privatione gratiæ, & amicitiæ Dei, & juris ad gloriam; sed sub his turpitudinibus non tam est objectum attritionis, quàm contritionis. Principalis ergo turpitudo est privatio rectitudinis debitæ, in qua consistit ratio formalis peccati. Hinc sequitur macula in anima, quæ inde fit contemptibilis, &

odi-

odibilis, maculata, rea, denique moraliter deformis, & secundum has turpitudines, & maximè per deviationem à recta ratione, & à lege, sit objectum hujus attritionis, præscindendo à respectu, quem habet ad Deum ut offensum; quia, ut dixi, sub illo respectu videtur pertinere ad contritionem.

QUÆSTIO V.

An attritio ex timore pœnarum sit bona, & utilis.

Timorem diximus sumi pro passione orta ex apprehensione mali imminentis, & vitatu difficilis, vel pro actu odii, vel fugæ talis mali, aut etiam pro habitu inclinante ad tales actus. Hunc dividunt Theologi in *filialem*, *reverentialem*, & *mundanum*. 1. dicitur ille, quo quis abstinet à peccato, ut est offensa Dei summè boni, & amabilis, & amati. Talis est ille, *quem non pœnarum timor, non cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo, quo vel filius indulgentissimum Patrem, vel conjugem conjux timet offendere*: ait Cassian. [1] 2. nascitur ex nostræ vilitatis, & divinæ majestatis consideratione, qua fit, ut vereamur nimis familiariter cum illo agere. 3. est, quo quis abstinet, vel detestatur peccatum propter pœnas inferni, quibus solet puniri, & dicitur *servilis*; quia servi communiter abstinent à malo, & serviunt Dominis propter pœnas, quas timent. 4. verò est, ille, quo quis abstinet à peccato propter pœnas temporales, v.g. propter infamiam, aut supplicia temporalia, propter privationes honorum, & bonorum, quibus punitur inter homines.

Rursus timor *servilis* alius dicitur nudè *servilis*, & sine servilitate, quo syncerè oditur peccatum, & vitatur in se ex consideratione damnationis, qua punitur à Deo per illud offenso; alius *serviliter servilis*, quia sic pendet à servilitate, ut non faciat odire peccatum, sed pœnas illius, ita ut placeret peccatum, & vellet homo peccare, nisi pœna immineret, sc. *vivit in eo peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas*, ait August. *mundanum*, &

[1] *Collat. 1. c. 13.*

& *serviliter servilem* nemo approbat, quòd sciam. Quæstio procedit de purè servili, an sc. actus pœnitentis, quo detestamur peccatum propter pœnas, quibus punitur à Deo, & maximè propter æternas, sit bonus, & utilis ad salutem.

Est alia species *timoris*, qui dicitur *initialis*, quia respicit non solas pœnas peccati, sed & injustitiam ejus, & facit, ut detestemur peccatum tam propter offensam Dei, quàm propter pœnas, quibus punitur à Deo; & dicitur initialis, quia ex parte venit ex quodam initio dilectionis Dei, quem hìc incipimus amare; habet aliquid de servili, quia respicit pœnas, & aliquid de filiali, quia respicit injustitiam peccati erga Deum, quem offendit; & propter utramque illam rationem abstinemus à peccato, & dolemus de præteritis.

CONCLUSIO.

Attritio, seu pænitentia ex timore nudè servili, seu ex timore pænarum, quibus peccatum punitur à Deo, est bona, & salutaris. Est de fide contra Jansenium, qui pluribi docet: *nullum opus bonum, hoc est sine peccato, fieri ab homine posse, nisi ipsa justitia præcepti delectat animam.... Ipsa verò præcepti justitia delectari non est aliud, quàm opus bonum, hoc est sine peccato, ad finem, in quem referri vera sapientia præcipit, hoc est in Deum propter se dilectum referratur.* Idem docuerat antea Bajus, [1] dicens, quod *non est vera legis obedientia sine charitate.*

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui pœnitentiam approbat, in qua peccatum consideratur, *ut est contra legem divinam, ut impeditivum præmii, & inductivum supplicii.* Et detestationem peccati ex talibus motivis ponit inter dispositiones ad gratiam.

Prob. 2. ex Concil. Trid. [3] *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem confugimus ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut pejores facere peccatores, Anath. sit.* Certè si non est peccatum, nec pejores facit peccatores; ergo est bonus actus, & facit meliores, quia non facilè admittunt actus indifferentes.

Con-

[1] *Prop.16.* [2] *d.14.q.2.N.15.* [3] *Sess.6.can.8.*

Confir. ex eodem docente, [1] *Attritionem, quæ ex gehennæ metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum*. Et infra anathematizat dicentes [2] hunc *non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam*, &c.

Confir.2. ex Concil. Senon. an. 1528. in quo damnatur hæc propositio: *Non licet inducere homines per timorem ad pœnitentiam*. Nisi enim hæc pœnitentia esset bona, & utilis, non liceret ad eam inducere peccatores.

Confir.3. ex censura hujus propositionis per Alex. VIII. qua dicebatur, quod *attritio, quę gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, & supernaturalis*.

Prob.3. ex Script. quæ commendat hunc timorem, ut cùm dicit: [3] *Timor Domini principium salutis*. Et, *Timor Domini expellit peccatum*; quia disponit ad gratiam; & apud Isaiam. [4] *Concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum: salutes non fecimus in terra*. LXX. legunt, *A timore tuo Domine concepimus, & pęnitentię salutaris*, &c. & David orabat: [5] *Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui*. Et Concilium Trident. adducit exemplum Ninivitarum, qui *hoc timore utiliter concussi ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt*. Et denique Christus [6] illum timorem non suaderet, nisi bonus esset. *Timete eum, qui potest perdere corpus, & animam in gehennam*.

Prob.4. ex Patribus. Nam Clem. Alex. hunc timorem vocat fidei coadjutorem. S. Ambros. *Clavam animæ fluctuantis*. Tertull. [7] *fundamentum salutis*. Et S. August. [8] *Cum per timorem continet se à peccato, fit consuetudo justitiæ; & incipit, quod durum erat, amari, & dulce scit Deus, & jam incipit homo justè vivere*. Et alibi, *modò cùm dicis, gehennam timeo, æternùm puniri timeo, quid dicturus sum? male times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato*

[1] *Sess.14.c.4.* [2] *can.5.* [3] *Eccl.2.*
[4] *Isa.26.* [5] *Ps.118.* [6] *Matth.10.*
[7] *De cult.fæm.* [8] *ser.18.de ver.Ap.*

blato timore, subjecit timorem; & ait: nolite timere eos, qui occidunt corpus, sed eum timete, qui potest corpus, et animam occidere.... Ita dico vobis, eum timete. Cùm ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, dicturus sum ego, malè times? ergo ita non dicam; planè time; nihil meliùs times. Et alibi, [1] *Cùm timetur pœna, quam minatur, dicitur amari præmium, quod pollicetur, et sic per timorem pœnæ bona vita retinetur.* Quid utilius, quàm timor, quo deperditur habitus peccati, & contrahitur consuetudo, & habitus justitiæ? ergo ex Patribus bona, & salutaris est pœnitentia ex illo timore.

Prob. denique: nam actus spei, quo speramus Beatitudinem, & quidquid ex illo motivo facimus, bonum est, & utile; ergo & actus pœnitentiæ ex timore amittendi beatitudinem illam, & incurrendi æternam damnationem: nam hæc ad eandem virtutem pertinet spei.

Objic. 1. ex Script. Quod fit ex metu, non potest fieri ex charitate, nec est compatibile cum illa; sed quod opponitur charitati, non potest esse bonum; ergo nec pœnitentia ex illo timore. Maj. patet: [2] *Timor non est in charitate; hæc foras mittit timorem.*

Resp. dist. maj. quod fit ex timore mundano, carnali, & serviliter servili, con. ex timore simplici pœnarum, neg. maj. & cons. nam iste non opponitur charitati, sed ad illam disponit. Cedit quidem charitati; non ex contrarietate, sed sicut imperfectum cedit perfecto, qualis est charitas. *Timor non est in charitate, sc. perfecta; sed in qua charitate? non in inchoata: in qua ergo? Sed perfecta charitas foras mittit timorem,* ait August. [3] *Ergo incipiat timor; quia initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præparat charitati,* &c. *Sed ille venit, ut exeat,* &c.

Inst. Ille timor non excludit voluntatem peccandi; sed eam retinet virtualiter; ergo non est utilis. Prob. ant. ex August. [4] *Timor, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, carnalis est; vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas. Cùm verò pœna creditur futura, latenter vivit: vivit tamen. Mallet enim licere, et* dolet

[1] *ser. 24. de tem.* [2] *Jo. 4.*
[3] *Tr. 9. in Jo.* [4] *Ser. 15. Ps. 118.*

dolet non licere, quod lex vetat, &c: ergo ille timor non excludit, sed fovet voluntatem peccandi, ex August.

Resp. neg. ant. & conf. prob. Nam Augustinus loquitur de timore cum servilitate, non de isto, qui facit verè odire peccatum propter pœnas, quas illud post se trahit, & sic disponit ad illud odiendum ob nobiliora motiva.

Objic. 2. Qui odit peccatum propter pœnas, pervertit ordinem rerum; plus timet malum pœnæ, quàm culpæ; ergo illa attritio est perversa. Prob. ant. ex vulgari axiomate: *propter quod unumquodque tale, et illud magis*; sed tunc attritio odit peccatum propter pœnam; ergo magis odit pœnam.

R. sp. neg. ant. & dist. min. propter pœnam, ut motivum immediatum, con. ut finem ultimum, & principalem, neg. min. nec enim in hoc sensu valet axioma nec in moralibus, ut diximus: alioqui non liceret orare Deum pro sanitate corporali, aut aliis bonis temporalibus, quia hæc censerentur præferri spiritualibus, & supernaturalibus, quales sunt actus Religionis, & orationes, & finis ultimus, & principalis per hanc attritionem intentus est Deus per pœnitentiam placandus, ne puniat.

Inst. Sic attritus non cogitat de alio fine præter exemptionem pœnarum; ergo hæc est finis ejus principalis, & ultimus.

Resp. dist. ant. non cogitat actu formaliter, & explicitè, con. virtualiter, & implicitè, & quasi habitu, neg. ant. non enim speraret per illam vitare pœnas, nisi speraret placare Deum, & ei reconciliari, & vitare damnationem.

Objic. 3. talis attritio de se non detestatur omnia peccata; ergo non est utilis. Prob. ant. cùm magis odiat pœnas, quàm peccata, sic dispositus est homo per eam, ut vellet peccare, si posset vitare pœnas; ergo non odit peccata.

Resp. neg. utrumque ant. Imò sicut omnia peccata inducunt illas pœnas, ideo omnia detestatur. Et illa dispositio implicat in terminis, nisi homo desipiat. Quomodo enim posset velle peccare potiùs, quàm damnari, dum respicit damnationem connexam necessario cum peccato? Denique per attritionem ipsam

dolet,

dolet, quod maluerit peccare, quàm vitare reatum damnationis.

Objic. 4. Si non esset pœna talis, homo vellet peccare; sicut fur, nisi timeret crucem, vellet furari; ergo attritio non odit peccatum, sed solam pœnam. Prob. ant. ex August. qui adducit illud exemplum furis.

Resp. dist. ant. si sit timor serviliter servilis, con. si sine servilitate, sed nudè propter pœnas, neg. antec. nec de isto valet exemplum furis. Nam attritus ex fide novit se non posse latere, nec vitare pœnas. Deus enim tam videt, & respicit ad cor hominis, quàm ad manum ejus, tam punit voluntatem furandi, quàm furta. Hæc magis patebunt ex sequenti.

QUÆSTIO VI.

An simplex attritio ex metu gehennæ, aut turpitudinis peccati consideratione sit dispositio sufficiens ad justificationis gratiam obtinendam in Sacramento Pœnitentiæ.

HÆc quæstio est hodie famosissima, & in ea non tepidè disputant Theologi insignes, quorum alii absolutè volunt contritionem perfectam ex vera charitate, ut Doctor quidam Anonymus Author libri, *de la contrition necessaire pour la remission des pechez dans le sacrement de Penitence*. Et ante ipsum Joan. Lauroyus *de mente Concilii circa contritionem*. Christianus Lupus, & Fervaquez, Querasc. Episc. Castoriensis; & novissime P. Juenin. in commentario Histor. & dogmat. de Sacramentis, à pag. 544. & id docebat Jansenius.

Alii volunt saltem aliquod initium dilectionis Dei, ita ut non sufficiat attritio pura ex solo timore pœnarum; sed communior opinio stat pro hac attritione, modò sit supernaturalis.

Moneo autem in hac famosa controversia cavendum esse ab ullis censuris inter partes adversas, sub pœnis ab Alexandro VII. interminatis, an. 1667. Prohibet enim, ne disputantes, aut scribentes *audeant alicujus censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem ne-*

filii legitimi propter spurium, ne hic habeat hæreditatem, non magis odit hanc successionem, quàm mortem dicti legitimi. Sic qui amat patrem propter bona ab illo recepta, non tamen censetur plus amare bona illa, quàm patrem ipsum, & sic de aliis.

Objic.2. Proprium commodum pœnitentis est motivum, & finis attritionis, sc. negatio pœnæ: odium verò peccati est velut medium talis finis; ergo negatio pœnæ plus amatur, quàm negatio peccati: nam finis plus amatur, quàm media.

Resp. dist. ant. Est motivum immediatum, conc. motivum principale, & ultimatum, neg. ant. nam reconciliatio cum Deo est verus, & principalis finis omnis pœnitentiæ christianæ; timor verò pœnæ est quidam stimulus movens ad prosecutionem talis finis.

Objic. con.4. p. Concilium in attritione requirit solùm, ut voluntatem peccandi excludat; sed ad hoc non requiritur propositum positivum non peccandi, benè verò ad contritionem; ergo per hoc distinguuntur contritio, & attritio. Prob. min. nam ut excludat voluntatem peccandi, sufficit, quod non adsit talis voluntas; sed potest abesse sine tali proposito positivo; ergo &c.

Resp. neg. utramque min. nam cùm voluntas peccandi moraliter perseveret in peccatore, donec fuerit retractata per actum positivum contrarium; ideo tale propositum requiritur in utroque actu, sc. tam attritionis, quàm contritionis.

Inst. Illa voluntas satis excluditur per odium peccati, quod est in attritione; ergo non est necessarium illud propositum positivum in attritione.

Resp.1. neg. ant. nam odium præcisè respicit malum præteritum, aut præsens, aut futurum: at propositum respicit malum ut futurum.

Resp.2. Hoc argumentum nimis probare: nam sequeretur etiam propositum illud non requiri in contritione, quod falsum est ex Concilio Trident.

Objic.2. Qui inadvertenter omitteret illud propositum, adhuc esset attritus, non verò contritus; ergo per illud attritio, & contritio differunt, quia essentiale est contritioni, non autem attritioni.

Resp. 1. neg. ant. Nam vel utraque valeret, modò con-

contineretur in aliquo illarum actu virtualiter, vel neutra ex hoc defectu.

Resp. 2. neg. conf. Nam omissio inculpabilis alicujus circumstantiæ non mutat essentiam actus, & talis esset in casu objectionis: omissio propositi esset utrobique inculpabilis, & sic uterque actus valeret.

CONCLUSIO III.

Differentia attritionis à contritione non petitur ex defectu omnis amoris Dei in illa, neque ex respicientia mediata Dei in attritione, & immediata in contritione, sed essentialiter petitur ex parte motivorum utriusque, scil. motivum contritionis est amor Dei super omnia, & propter se: Attritionis verò est timor pœnarum, vel turpitudo peccati, aut quid simile infra Deum.

Prob. 1. ex Concil. Trid. cit. [1] in quo illa motiva singulis illis actibus assignantur. Nam dicit contritionem aliquando *contingere charitate perfectam*; & tunc reconciliare, *antequam sacramentum actu recipiatur*. Attritionem verò dicit *contritionem imperfectam, quia communiter concipitur vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu*. Et idem definit in Can. 5. ergo in his consistit essentialis differentia horum actuum.

Prob. 2. quoad 1. p. nam ex eodem Concilio [2] in attritione potest esse aliquod initium amoris Dei; nam justificandi per Sacramenta *diligere Deum incipiunt, velut omnis justitiæ fontem*; & tamen illud initium dilectionis non perficit contritionem, ita ut justificet hominem, antequam baptismus actu suscipiatur, ut patet in textu; ergo ex Concilio attritio non caret semper omni amore Dei; ergo per hoc non distinguitur à contritione.

Prob. 3. Fieri potest, ut quis ex auxilio gratiæ credat, speret, & amet Deum, & deinde considerans peccata sua, & pœnas inferni, quibus subjacet propter illa, potest ex hoc motivo illa detestari, nihil ampliùs cogitans de amore illo Dei; sed talis detestatio erit pura attritio, & non sine omni amore Dei; ergo attritio non caret omni amore Dei; ergo per hanc

[1] *Sess. 14. c. 4.* [2] *Sess. 6. c. 6.*

hanc carentiam non differt essentialiter à contritione.

Probat.2. p. eodem modo peccator potest respicere peccatum ut offensam Dei, & illud ut tale detestari propter pœnas inferni; sed illa detestatio erit pura attritio, licèt non sine respectu ad Deum; ergo hinc non distinguitur essentialiter à contritione.

Prob.2. in tantum contritio dicitur respicere Deum immediatè, quatenus odit peccatum ex ejus amore summo, & propter se ipsum, seu prout Deus ut summè, & propter se amatus est motivum illius odii; attritio verò non ita dicitur respicere Deum, quia motivum ejus odiendi peccatum est metus inferni, quo punit peccatum, vel turpitudo peccati; ergo tota ratio differentiæ petitur ex diversitate motivorum, sive illa Deum respiciant, sive non.

Confir. Nam nequidem contritio perfecta respicit Deum directè, sed peccatum directè respicit ut offensam Dei summè dilecti; ergo &c.

Confir.2. ex dictis. Non enim essentiale est contritioni, ut includat amorem Dei formalem, & explicitum, sufficit virtualis, & implicitus; ergo ille respectus Dei non debet esse formalis, & explicitus; ergo non facit differentiam essentialem istorum actuum. Nam etiam attritio debet respicere Deum, saltem virtualiter, & implicitè, & ultimatè, sc. ad placandum illum per odium, & vindictam peccati in pœnitente.

Confir. 3. Quia detestatio peccati propter Deum vindicem justum non est nisi attritio; sed hæc respicit Deum tam directè, quàm ipsa contritio per amorem; ergo attritio etiam respicit Deum.

Prob.3.p. ex Trid. cit. quod assignat tales differentias, & istæ sufficiunt; ergo frustra quæruntur aliæ.

Prob.2. Non enim possunt aliæ meliores differentiæ assignari, & istæ sufficiunt; ergo &c. Prob. ex dictis, ubi patet aliarum differentiarum insufficientia, nisi reducantur ad istas.

Prob.3. Quia certum est differentiam actuum peti vel ex objectis, vel ex fine, vel ex motivis; sed in istis non potest peti ex objectis, neque ex fine, quia in his conveniunt; ergo restat, ut petatur ex motivis, quæ sunt essentialiter diversa.

Confir. Nam ad hæc motiva reducuntur alia omnia prin-

principia differentiæ istorum actuum, quæ ab Authoribus afferuntur, ut patet ex dictis; ergo &c.

Objic.1.con.1.p. Si attritio includeret aliquem amorem, non veniret ex timore: nam charitas pellit timorem; ergo attritio est sine omni charitate.

Resp. dist. ant. & rationem ejus. Si includeret amorem perfectæ charitatis, conc. si imperfectæ tantum, neg. ant. & rationem ejus: nam amor, quem admittimus in attritione, est initialis, & imperfectus; ideò non pellit omnem timorem.

Objic.con.2.p. Attritio detestatur peccatum propter pœnas; ergo respicit directè pœnas, & non Deum.

Resp. dist. ant. Propter pœnas, ut à Deo infligendas, &c. hoc est propter offensas sibi illatas per peccatum, conc. propter pœnas absolutè, & sine respectu ad Deum, neg. ant. nam pœnitentia christiana respicit peccatum ut punibile in ipso peccante; & ne puniatur à Deo, quia est læsivum juris divini, & hoc facit ad placandam justitiam Dei.

Objic. con.3.p. Consideratio pœnæ, ac turpitudinis peccati sunt motiva naturalia; sed talia motiva non faciunt ad pœnitentiam Christianam, nec disponunt ad gratiam supernaturalem; ergo non sunt idonea principia hujus differentiæ.

Resp. dist. maj. Si naturaliter cognoscantur, & operentur, con. si cognoscantur, & operentur ex principiis supernaturalibus, neg. maj. & cons. Nam cognoscuntur ex fide supernaturali, & operantur ex auxiliis gratiæ pariter supernaturalis excitantis, & juvantis voluntatem ad detestanda peccata, & credendas illas pœnas, & cognoscendam illam deformitatem peccati cum recta ratione, & lege divina.

Quæres, *quid sit illa turpitudo peccati, cujus intuitu detestamur illud per attritionem.*

Resp. eam consistere posse respectivè ad Deum, cujus est offensa, & irreverentia, & injuria, irreligiositas, ingratitudo, contemptus, &c. item in privatione gratiæ, & amicitiæ Dei, & juris ad gloriam: sed sub his turpitudinibus non tam est objectum attritionis, quàm contritionis. Principalis ergo turpitudo est privatio rectitudinis debitæ, in qua consistit ratio formalis peccati. Hinc sequitur macula in anima, quæ inde fit contemptibilis, & odi-

odibilis, maculata, rea, denique moraliter deformis, & secundum has turpitudines, & maximè per deviationem à recta ratione, & à lege, sit objectum hujus attritionis, præscindendo à respectu, quem habet ad Deum ut offensum; quia, ut dixi, sub illo respectu videtur pertinere ad contritionem.

QUÆSTIO V.

An attritio ex timore pœnarum sit bona, & utilis.

Timorem diximus sumi pro passione orta ex apprehensione mali imminentis, & vitatu difficilis, vel pro actu odii, vel fugæ talis mali, aut etiam pro habitu inclinante ad tales actus. Hunc dividunt Theologi in *filialem*, *reverentialem*, & *mundanum*. 1. dicitur ille, quo quis abstinet à peccato, ut est offensa Dei summè boni, & amabilis, & amati. Talis est ille, *quem non pœnarum timor, non cupido præmiorum, sed amoris generat magnitudo, quo vel filius indulgentissimum Patrem, vel conjugem conjux timet offendere*: ait Cassian. [1] 2. nascitur ex nostræ vilitatis, & divinæ majestatis consideratione, qua fit, ut vereamur nimis familiariter cum illo agere. 3. est, quo quis abstinet, vel detestatur peccatum propter pœnas inferni, quibus solet puniri, & dicitur *servilis*; quia servi communiter abstinent à malo, & serviunt Dominis propter pœnas, quas timent. 4. verò est, ille, quo quis abstinet à peccato propter pœnas temporales, v.g. propter infamiam, aut supplicia temporalia, propter privationes honorum, & bonorum, quibus punitur inter homines.

Rursus timor *servilis* alius dicitur nudè *servilis*, & sine servilitate, quo syncerè oditur peccatum, & vitatur in se ex consideratione damnationis, qua punitur à Deo per illud offenso; alius *serviliter servilis*, quia sic pendet à servilitate, ut non faciat odire peccatum, sed pœnas illius, ita ut placeret peccatum, & vellet homo peccare, nisi pœna immineret, sc. *vivit in eo peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas*, ait August. *mundanum*, &

[1] *Collat.* 1. c. 13.

& *serviliter servilem* nemo approbat, quòd sciam. Quæstio procedit de purè servili, an sc. actus pœnitentis, quo detestamur peccatum propter pœnas, quibus punitur à Deo, & maximè propter æternas, sit bonus, & utilis ad salutem.

Est alia species *timoris*, qui dicitur *initialis*, quia respicit non solas pœnas peccati, sed & injustitiam ejus, & facit, ut detestemur peccatum tam propter offensam Dei, quàm propter pœnas, quibus punitur à Deo; & dicitur initialis, quia ex parte venit ex quodam initio dilectionis Dei, quem hìc incipimus amare; habet aliquid de servili, quia respicit pœnas, & aliquid de filiali, quia respicit injustitiam peccati erga Deum, quem offendit; & propter utramque illam rationem abstinemus à peccato, & dolemus de præteritis.

CONCLUSIO.

Attritio, seu pœnitentia ex timore nudè servili, seu ex timore pœnarum, quibus peccatum punitur à Deo, est bona, & salutaris. Est de fide contra Jansenium, qui pluribi docet: *nullum opus bonum, hoc est sine peccato, fieri ab homine posse, nisi ipsa justitia præcepti delectat animam.... Ipsa verò præcepti justitia delectari non est aliud, quàm opus bonum, hoc est sine peccato, ad finem, in quem referri vera sapientia præcipit, hoc est in Deum propter se dilectum referratur.* Idem docuerat antea Bajus, [1] dicens, quod *non est vera legis obedientia sine charitate.*

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui pœnitentiam approbat, in qua peccatum consideratur, *ut est contra legem divinam, ut impeditivum præmii, & inductivum supplicii.* Et detestationem peccati ex talibus motivis ponit inter dispositiones ad gratiam.

Prob. 2. ex Concil. Trid. [3] *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem confugimus ad misericordiam Dei, de peccatis dolendo, vel à peccato abstinemus, peccatum esse, aut pejores facere peccatores, Anath. sit.* Certè si non est peccatum, nec pejores facit peccatores; ergo est bonus actus, & facit meliores, quia non facilè admittunt actus indifferentes.

Con-

[1] *Prop.* 16. [2] *d.* 14. *q.* 2. *N.* 15. [3] *Sess.* 6. *can.* 8.

Confir. ex eodem docente, [1] *Attritionem, quæ ex gehennæ metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum.* Et infra anathematizat dicentes [2] hunc *non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam*, &c.

Confir. 2. ex Concil. Senon. an. 1528. in quo damnatur hæc propositio: *Non licet inducere homines per timorem ad pœnitentiam.* Nisi enim hæc pœnitentia esset bona, & utilis, non liceret ad eam inducere peccatores.

Confir. 3. ex censura hujus propositionis per Alex. VIII. qua dicebatur, quod *attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, & supernaturalis.*

Prob. 3. ex Script. quæ commendat hunc timorem, ut cùm dicit: [3] *Timor Domini principium salutis.* Et, *Timor Domini expellit peccatum;* quia disponit ad gratiam; & apud Isaiam. [4] *Concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum: salutes non fecimus in terra.* LXX. legunt, *A timore tuo Domine concepimus, & pœnitentiæ salutaris,* &c. & David orabat: [5] *Confige timore tuo carnes meas: à judiciis enim tuis timui.* Et Concilium Trident. adducit exemplum Ninivitarum, qui *hoc timore utiliter concussi ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt.* Et denique Christus [6] illum timorem non suaderet, nisi bonus esset. *Timete eum, qui potest perdere corpus, & animam in gehennam.*

Prob. 4. ex Patribus. Nam Clem. Alex. hunc timorem vocat fidei coadjutorem. S. Ambros. *Clavam animæ fluctuantis.* Tertull. [7] *fundamentum salutis.* Et S. August. [8] *Cum per timorem continet se à peccato, fit consuetudo justitiæ; & incipit, quod durum erat, amari, & dulcescit Deus, & jam incipit homo justè vivere.* Et alibi, *modò cùm dicis, gehennam timeo, æternùm puniri timeo, quid dicturus sum? male times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato*

[1] *Sess. 14. c. 4.* [2] *can. 5.* [3] *Eccl. 2.*
[4] *Isa. 26.* [5] *Ps. 118.* [6] *Matth. 10.*
[7] *De cult. fæm.* [8] *ser. 18. de ver. Ap.*

blato timore, subjecit timorem; & ait: nolite timere eos, qui occidunt corpus, sed eum timete, qui potest corpus, et animam occidere.... Ita dico vobis, eum timete. Cùm ergo Dominus timorem incusserit, & vehementer incusserit, dicturus sum ego, malè times? ergo ita non dicam; planè time; nihil meliùs times. Et alibi, [1] *Cùm timetur pœna, quam minatur, dicitur amari præmium, quod pollicetur, et sic per timorem pœnæ bona vita retinetur.* Quid utilius, quàm timor, quo deperditur habitus peccati, & contrahitur consuetudo, & habitus justitiæ? ergo ex Patribus bona, & salutaris est pœnitentia ex illo timore.

Prob. denique: nam actus spei, quo speramus Beatitudinem, & quidquid ex illo motivo facimus, bonum est, & utile; ergo & actus pœnitentiæ ex timore amittendi beatitudinem illam, & incurrendi æternam damnationem: nam hæc ad eandem virtutem pertinet spei.

Objic. 1. ex Script. Quod fit ex metu, non potest fieri ex charitate, nec est compatibile cum illa; sed quod opponitur charitati, non potest esse bonum; ergo nec pœnitentia ex illo timore. Maj. patet: [2] *Timor non est in charitate; hæc foras mittit timorem.*

Resp. dist. maj. quod fit ex timore mundano, carnali, & serviliter servili, con. ex timore simplici pœnarum, neg. maj. & cons. nam iste non opponitur charitati, sed ad illam disponit. Cedit quidem charitati; non ex contrarietate, sed sicut imperfectum cedit perfecto, qualis est charitas. *Timor non est in charitate, sc. perfecta; sed in qua charitate? non in inchoata: in qua ergo? Sed perfecta charitas foras mittit timorem,* ait August. [3] *Ergo incipiat timor; quia initium sapientiæ timor Domini. Timor quasi locum præparat charitati,* &c. *Sed ille venit, ut exeat,* &c.

Inst. Ille timor non excludit voluntatem peccandi; sed eam retinet virtualiter; ergo non est utilis. Prob. ant. ex August. [4] *Timor, quo non amatur justitia, sed timetur pena, servilis est, carnalis est; vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas. Cùm verò pœna creditur futura, latenter vivit: vivit tamen. Mallet enim licere, et*

[1] *Ser.24. de tem.* [2] *Jo.4.*
[3] *Tr.9. in Jo.* [4] *Ser.15. Ps.118.*

dolet non licere, quod lex vetat, &c: ergo ille timor non excludit, sed fovet voluntatem peccandi, ex August.

Resp. neg. ant. & conf. prob. Nam Augustinus loquitur de timore cum servilitate, non de isto, qui facit verè odire peccatum propter pœnas, quas illud post se trahit, & sic disponit ad illud odiendum ob nobiliora motiva.

Objic. 2. Qui odit peccatum propter pœnas, pervertit ordinem rerum; plus timet malum pœnæ, quàm culpæ; ergo illa attritio est perversa. Prob. ant. ex vulgari axiomate: *propter quod unumquodque tale, et illud magis*; sed tunc attritio odit peccatum propter pœnam; ergo magis odit pœnam.

Resp. neg. ant. & dist. min. propter pœnam, ut motivum immediatum, con. ut finem ultimum, & principalem, neg. min. nec enim in hoc sensu valet axioma nec in moralibus, ut diximus: alioqui non liceret orare Deum pro sanitate corporali, aut aliis bonis temporalibus, quia hæc censerentur præferri spiritualibus, & supernaturalibus, quales sunt actus Religionis, & orationes, & finis ultimus, & principalis per hanc attritionem intentus est Deus per pœnitentiam placandus, ne puniat.

Inst. Sic attritus non cogitat de alio fine præter exemptionem pœnarum; ergo hæc est finis ejus principalis, & ultimus.

Resp. dist. ant. non cogitat actu formaliter, & explicitè, con. virtualiter, & implicitè, & quasi habitu, neg. ant. non enim speraret per illam vitare pœnas, nisi speraret placare Deum, & ei reconciliari, & vitare damnationem.

Objic. 3. talis attritio de se non detestatur omnia peccata; ergo non est utilis. Prob. ant. cùm magis odiat pœnas, quàm peccata, sic dispositus est homo per eam, ut vellet peccare, si posset vitare pœnas; ergo non odit peccata.

Resp. neg. utrumque ant. Imò sicut omnia peccata inducunt illas pœnas, ideo omnia detestatur. Et illa dispositio implicat in terminis, nisi homo desipiat. Quomodo enim posset velle peccare potiùs, quàm damnari, dum respicit damnationem connexam necessario cum peccato? Denique per attritionem ipsam

dolet,

dolet, quod maluerit peccare, quàm vitare reatum damnationis.

Objic. 4. Si non esset pœna talis, homo vellet peccare; sicut fur, nisi timeret crucem, vellet furari; ergo attritio non odit peccatum, sed solam pœnam. Prob. ant. ex August. qui adducit illud exemplum furis.

Resp. dist. ant. si sit timor serviliter servilis, con. si sine servilitate, sed nudè propter pœnas, neg. antec. nec de isto valet exemplum furis. Nam attritus ex fide novit se non posse latere, nec vitare pœnas. Deus enim tam videt, & respicit ad cor hominis, quàm ad manum ejus, tam punit voluntatem furandi, quàm furta. Hæc magis patebunt ex sequenti.

QUÆSTIO VI.

An simplex attritio ex metu gehennæ, aut turpitudinis peccati consideratione sit dispositio sufficiens ad justificationis gratiam obtinendam in Sacramento Pœnitentiæ.

HÆc quæstio est hodie famosissima, & in ea non tepidè disputant Theologi insignes, quorum alii absolutè volunt contritionem perfectam ex vera charitate, ut Doctor quidam Anonymus Author libri, *de la contrition necessaire pour la remission des pechez dans le sacrament de Penitence*. Et ante ipsum Joan. Lauroyus *de mente Concilii circa contritionem*. Christianus Lupus, & Fervaquez, Querasc. Episc. Castoriensis; & novissime P. Juenin. in commentatio Histor. & dogmat. de Sacramentis, à pag. 544. & id docebat Jansenius.

Alii volunt saltem aliquod initium dilectionis Dei, ita ut non sufficiat attritio pura ex solo timore pœnarum; sed communior opinio stat pro hac attritione, modò sit supernaturalis.

Moneo autem in hac famosa controversia cavendum esse ab ullis censuris inter partes adversas, sub pœnis ab Alexandro VII. interminatis, an. 1667. Prohibet enim, ne disputantes, aut scribentes *audeant alicujus censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram sententiam, sive negantem ne-*

cessitatem alicujus dilectionis Dei. In attritione ex metu gehennæ, quæ excludat voluntatem peccandi. *Quæ hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* Cui decreto profiteor me velle obedire, quidquid ex calamo irrepserit, contentus notare partem, cui adhæreo, dici à Pontifice communiorem inter scholasticos hodiernos.

CONCLUSIO.

Attritio ex timore pœnarum à Deo infligendarum, vel ex turpitudinis peccati consideratione concepta, sine ullo motivo amoris Dei explicito, et formali veræ charitatis, sufficit ad obtinendam gratiam justificantem in sacramento pœnitentiæ.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] in præcedenti, ubi plus videtur tribuere huic attritioni. Et infra, ubi dicit, quod *absolutio non est utilis, nisi præcedat in confitente aliqua contritio, vel attritio .... Sufficit enim, quod aliqua displicentia, licèt informis* (qualis est hæc attritio) *præcedat, et tunc ille capax est absolutionis Sacramentalis; et per illam fit contritio.* Item clariùs, [2] *Sacramentum pœnitentiæ potest dignè recipi ab attrito, et hoc tanta attritione, quæ non sufficeret per modum meriti* (ut sufficit contritio) *ad justificationem suscipiendam in termino attritionis. Et secundum hoc patet, quomodo sacramentum hoc est instrumentum ad gratiam primam, sicut dispositio prævia;* ergo &c.

Prob. 2. ex Concil. Trid. docente, [3] quod attritio, *quæ ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ, et pœnarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ .... est donum Dei, et Spiritus S. impulsus, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat, et quamvis sine sacramento Pœnitentiæ per se perducere ad justificationem nequeat, eum tamen ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit;* ergo ex Concilio attritio ista sufficit ad remissionem peccati in sacramento, quamvis nullum actum, vel motivum formale charitatis includat.

Con-

[1] *d.16.q.1.E.6.* [2] *d.19.A.23.* [3] *Sess.14.c.4.*

Confir. 1. ex can. cit. [1] ubi anathematizat eos, qui dixerint illum non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam: nam illa præparatio vana esset, si non aliter præpararet, quàm mediante contritione, & charitate: non dicit, quod præparet ad charitatem, vel contritionem, sed ad gratiam immediatè cum Sacramento: semper enim poni debet effectus immediatior, quando volumus clarè, & perfectè docere.

Confir. 2. Nam hæc attritio debet participare de illa contritione generica, quam Concilium ponit primo loco inter actus pœnitentis: nam contritio, quam dicit perfectam ex charitate, justificat extra sacramentum, & cum solo ejus voto; sed non sic participaret de illa contritione, nisi sufficeret ad gratiam in sacramento: ergo ex Concilio hæc sufficit. Prob. maj. debet esse *animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, et fiducia divinæ misericordiæ, ac voto præstandi cætera*. Et de facto præstat ea, quæ ad hoc sacramentum ritè suscipiendum requiruntur; ergo &c.

Vide alios textus ex eodem Concilio in opusculo nostro Gallico de attritione sufficienti ex cap. 20. & seq.

Dices, Concilium docere quidem, quod attritio ista disponit, sed remotè, non proximè; nec quod sola sufficiat cum sacramento.

Contra 1. Nam nisi tenebras velint afferre Luci, Concilium dicit eam disponere ad gratiam in sacramento impetrandam, nullo alio medio requisito, præter sacramentum; ergo nisi velit tricas serere in verbis, hæc dispositio est immediata in sacramento. Probat. cons. nam si intervenire deberet contritio ex charitate, attritio non benè diceretur disponere cum sacramento, quandoquidem contritio causat gratiam extra sacramentum, & antequam illud actu recipiatur; & sic Concilium sibi contradiceret, cùm dicit *in sacramento*, aut nugaretur: nam etiam extra, & independenter à Sacramento hæc attritio est actus bonus, & utilis, & disponit remotè ad gratiam, non proximè. Nam inquit, *ad justificationem sine sacramento per se perducere nequit, tamen viam ad justi-*

[1] *can. 5.*

tiam parat, sc. remotè, donec accedat sacramentum ; ergo cum addit, quod in sacramento disponit, loquitur de dispositione proxima, quam ante sacramentum non habet.

Contra 2. (quod eodem recidit) Hæc attritio sine sacramento, & per se nequit perducere ad justificationem, *sed viam parat ad eam* ; ergo cum sacramento perducit ad justificationem;aliàs non plus faceret cum sacramento, quàm se sola, & sine sacramento; & sic frustra hoc dicerent illi Patres.

Contra 3. nam Concilium præscribit conditiones requisitas, ut hæc attritio perducat ad gratiam, sc. ut excludat voluntatem peccandi, ut sit cum spe veniæ, & adsit sacramentum actu, non autem in voto, ut dixit de contritione perfecta ; nec ullam ibi facit mentionem de amore perfectæ, vel inchoatæ charitatis ; ergo de mente Concilii attritio sine illa charitate sufficit cum sacramento.

Dices 2. illa sola verba sufficiebant ad intentum Concilii contra Lutherum, & Calvinum damnantes pœnitentiam ex timore.

Contra. Nam Hæretici non disputabant, nisi de bonitate hujus attritionis, quam dicebant facere hominem hypocritam, & magis peccatorem ; ergo ad intentum Concilii sufficiebat probare, ut probat exemplo Ninivitarum, quòd attritio ex timore non facit hypocritam, nec magis peccatorem, sed *esse donum Dei*, &c. ergo cùm addit ulteriores effectus, & conditiones ejus, vult etiam docere fideles efficaciam illius in ordine ad sacramentum.

Confir. hoc ex terminis patet Concilium ibi tradere voluisse exactiorem, & pleniorem hujus sacramenti efficaciam, & naturam ; sed hoc non ita præstaret, nisi doceret de omnibus necessariis ad effectum ejus : ergo per verba citata docet, quæ sufficiant ex parte pœnitentis ad effectum hujus sacramenti, sc. ad justificationem.

Confir. 2. Nam postquam Patres Concilii probarunt efficaciam attritionis ex metu pœnarum exemplo Ninivitarum, *addunt, quod falsò quidam calumniantur Catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramentum penitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia docuit, nec sensit* ;

sit; ergo ex doctrina Ecclesiæ sacramentum hoc confert gratiam cum hac attritione, & hæc sufficit in sacramento. Prob. conf. dicit *bonum motum esse Spiritus S. impulsum*, & *utilem dolorem*, & quod cum illo sacramentum dat gratiam; agit, inquam, de pœnitente ex motu, quem respuunt hæretici, & pro quo calumniantur scriptores Catholicos: non enim respuebant pœnitentiam ex motu charitatis; ergo &c.

Dices 3. Concilium non dixit contritionem hanc disponere ad gratiam *in Sacramento*, sed *cum Sacramento*; quia disponit tantùm ad recipiendum sacramentum, in quo excitatur contritio.

Contra 1. quia si putaret per sacramentum excitari contritionem, qua mediante confertur gratia, hoc debuisset docere hæreticos, ut rejiceret illam calumniam; quia isti non negant contritionem esse bonum motum. 2. hæc distinctio, *in sacramento*, & *cum sacramento*, est prorsus vana, & extra mentem Concilii: nam *cum sacramento*, opponit, *sine sacramento*, sine quo dicit hanc contritionem non perducere ad gratiam; ergo censet, quod *in sacramento*, seu *cum sacramento* perducit ad gratiam. 3. Quia hæc attritio non potest disponere, & sufficere ad sacramentum recipiendum, quin disponat ad gratiam ejus: non enim licet recipere sacramentum cum obice ad effectum ejus.

Prob. 3. ex aliis Conciliis, quæ amplè citavimus in prædicto opere, quatenus illa tribuunt sacramento pœnitentiæ, sicut & baptismi vim justificandi ex opere operato; quod etiam docet idem Trident. sed hoc non esset verum, si hoc sacramentum recipi non posset sine actu veræ charitatis, & cum sola attritione: nam justificatio esset effectus charitatis potius, quàm sacramenti, saltem ex opere operato; quia charitas in contritione causat gratiam, priusquam hoc sacramentum actu recipiatur, & tunc non existit in opere, sed solum in voto; ergo &c. Prob. maj. 1. ex Concil. Nicæno dicente [1] de Baptismo, *descendit, qui baptizatur, reus peccatorum, & obnoxius servituti corruptionis, & ascendit liberatus*. Non descenderet, non susciperet baptismum reus, si necessario præcederet contritio justificans. 2. Concil. Arausic. rela-

F 4 tum

[1] 26.q.6. *Quire*.

tum in can. præcipit dari pœnitentiam iis, qui petierunt eam, saltem nutu; non enim exigit signa veræ contritionis. [1] *Statutum est baptizari, aut pænitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium habet.* 3. Idem docet Triburicense an.895. citans Carthagin.IV. & Epist. Cœlestini I. sc. quod *negare pænitentiam periclitanti est mortem morienti addere*; ergo non expectatur perfecta contritio, sed sufficit aliquod signum pœnitentiæ, quod non excedit attritionem. 4. Concil. Se non. an.1528. damnat hanc propositionem: *Non licet inducere homines per timorem ad pænitentiam*. Hæc satis vera esset, nisi attritio sufficeret cum sacramento, quia esset inutilis; sed necessaria esset contritio; ergo &c.Conc.Coloniense 1536. dicit, quod *pænitentiæ sacramentum potissimùm in absolutione presbyteri consistit, qua ille ex virtute verbi, & clavium ... peccatorem pænitentem ... à peccatis absolvit*; ergo efficacia sacramenti non pendet à contritione, quæ per se remitteret peccatum, non autem absolutio sacerdotis. Quod clariùs dicit[2] pro attritione, addens, quod *pænitentia tunc rectè prædicatur, cùm arguuntur scelera, & incutitur populis timor iræ, indignationisque, ac justi judicii Dei .... subinde verò miscendum est oleum, ut ex animo, verèque territis, ac conversis promittatur gratia*; ergo illi pœnitentiæ, cui promittitur gratia, non proponuntur nisi motiva puræ attritionis; & denique totam gratiam remissivam tribuit *virtuti sacramenti per absolutionem*. Quod non est verum, si adsit contritio ex perfecta charitate, quia hæc per se justificat sine sacramento in re.

6. Item colligitur ex aliis Conciliis, quibus tota efficacia hujus sacramenti tribuitur verbis absolutionis sacerdotalis: ob eandem rationem. 7. ex cap. *presbyter*, ubi Julius I. dicit, [3] quod *si presbyter pœnitentiam morientibus denegaverit, reus erit animarum*; ergo potest hoc sacramentum recipi utiliter sine contritione perfecta, sed cum imperfecta. Probat. cons. illi morientes vel habent contritionem perfectam, vel solam attritionem. Si 1. ergo presbyter illis negans absolutionem non est reus animarum: nam illæ

fal-

[1] *Jo.2.con.* [2] *p.7.a.30.*
[3] *c.26.*

salvantur ex vi contritionis suæ cum voto sacramenti. Si 2. ergo meritò eis negat sacramentum, quia non habent debitam dispositionem, sed ex seipsis peribunt. 8. ex *cap. firmiter* dicitur, [1] quod *si post susceptionem baptismi quisquam fuerit prolapsus in peccatum, per veram pœnitentiam semper poterit reparari.* Nam hæc reparatio non tribueretur sacramento, sed contritioni. 9. Denique Sixtus IV. damnat hanc propositionem Petri de Osma, *Peccata mortalia quoad culpam, & pœnam alterius sæculi sola contritione deleri absque confessione*; sed hæc non esset adeo falsa, vel erronea, si semper deberet præcedere contritio perfecta ex charitate, quia hæc semper remitteret culpam, & pœnam alterius vitæ; ergo &c.

10. In idem fuit damnatio istarum in Bajo. [2] *In omnibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis, & in catechumenis ante baptismum est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum.* Sed 1. p. hujus propositionis esset vera, si semper catechumeni, & pœnitentes deberent habere contritionem, aut receptionem baptismi, vel absolutionis; ergo vel attritio sufficit, vel illa propositio quoad 1. p. est vera. Idem est de ista: [3] *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam suggerens vivificat ... ministerio autem sacerdotis solus reatus tollitur.* Nam prima pars esset similiter vera, vivificaretur semper ex vi contritionis à solo Deo: nam inquiunt adversarii, ex Innocentio III. [4] *Peccatum priùs remittitur per compunctionem cordis à Deo, quàm pronuntietur per confessionem ab homine*; & ex Alensi. *Absolutio gratiam supponit; nunquam enim sacerdos absolveret quemquam, de quo non præsumeret, quod esset absolutus à Deo.*

11. Ex aliis censuris per universitates Theologicas, ut in Parisiensi [5] an. 1638. dictum est contra P. Sequenot. *Quæ tradit Author de Attritionis insufficientia, & contritionis ex perfecta charitate absoluta necessitate ad recipiendum sacramentum pœnitentiæ; et quæ addit, et approbat de absolutione, quod nihil aliud sit, quàm declaratio juridica peccati jam remissi, damna-*

[1] *de SS. Trin.* [2] *Prop.* 35.
[3] *Prop.* 58. [4] *Contr. necess. p.* 241.
[5] *Ibid. p.* 248.

vit quoque facultas, et censuit has propositiones esse quietis animarum perturbativas, communi, et omninò tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ sacramenti imminutivas; insuper temerarias, et erroneas; ergo ex mente illorum Theologorum, attritio, quæ non continet actum, aut motivum charitatis, nec per consequens justificat, nec ad justificationem sufficit extra sacramentum actuale: sufficit cum, & in sacramento.

12. Ex Catechismo Concilii, quippe ex ejus doctrina, & decisionibus concinnatus est jussu Pii V. Nam 1. docet, [1] quod *Christus hoc sacramentum instituit, quo per sacerdotis absolutionem peccata nobis esse remissa consideremus*; ergo non remittuntur ex vi contritionis ante absolutionem, nec ad hanc recipiendam necessaria est contritio ex vera charitate: quia ex Concilio hæc justificat ante acceptam absolutionem. Ideo addit, quòd *absolutio sacerdotis verbis enuntiata, remissionem illam peccatorum signat, quam in anima efficit*. 2. Docet differentiam potestatis sacerdotum nostrorum ab antiquis esse in eo, quod olim in veteri lege *sacerdotes testimonio suo aliquem liberatum à lepra dumtaxat pronuntiabant, sed nostri verè, tanquam Dei ministri absolvunt*; sed hoc non facerent, si contritio perfecta, & de se justificans extra sacramentum, necessario præcederet absolutionem sacerdotis, ita ut pura attritio numquam sufficeret; ergo &c.

3. Assignans conditiones contritionis requisitæ ad effectum sacramenti, nullam mentionem facit de motivo veræ charitatis: nam sic eam definit post Concilium. Est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, &c. .... Ex his colligi poterunt, quæ ad veram contritionem maximè sunt necessaria, (*non dicit ad perfectam, sed veram*) necesse est peccata omnia, quæ admisimus, odisse, & dolere .... 2. Ut ipsa contritio confitendi, & satisfaciendi voluntatem conjunctam habeat. 3. Ut pœnitens vitæ emendandæ certam, & stabilem cogitationem suscipiat ... 4. Ut satisfaciat, &c. 5. Condonatio injuriarum; sed nullibi vides necessitatem charitatis; ergo &c. Hæc sunt

[1] *de Pœnit.* §. 2.

,, sunt à fidelibus in contritione servanda. Cetera, quæ
,, à fidelibus præstãda sunt, à Pastoribus facilè colligi
,, poterũt, quę efficient quidẽ, ut in suo genere contritio
,, sit magis perfecta, & absoluta, verùm adeo necessa-
,, ria non sunt æstimanda, ut sine his veræ, & salu-
,, taris pœnitentiæ ratio constare non posset; sed il-
la omnia reperiuntur in attritione; ergo ex mente Concilii, & Ecclesiæ, quæ hunc catechismum approbat, & tradit, pura attritio sufficit in sacramento ad remissionem peccati.

Confir. Nam hæc motiva suggerit pastoribus prædicanda, ut in peccatum summum odium fidelium con-
,, citetur, 1. quia summa illius fœditas, & turpitudo;
,, 2. Quia gravissima damna, & calamitates nobis af-
,, fert; nam Dei benevolentiam, à quo summa bona
,, accepimus, longeque majora expectare, & conse-
,, qui licebat, à nobis alienat, & summorum dolo-
,, rum cruciatibus perpetuò afficiendos sempiternæ
,, morti nos addicit. Vide, quod non habet hìc, nisi motiva puræ attritionis; sed hæc non ita proponeret, si pœnitentiam hinc conceptam putaret insufficientem cum sacramento: nam *perfecta contritio est charitatis actio, quæ ab eo timore, qui filiorum est, proficiscitur*; ergo &c.

Prob. 5. ratione. Quia si necessaria esset contritio perfecta, sacerdos numquam remitteret peccata, nec istud sacramentum diceretur mortuorum: quia numquam per se conferret 1. gratiam; sed conf. est falsum ex Scriptura, & fide; ergo &c. Probat. maj. nam per contritionem perfectam remittitur peccatum ante receptionem sacramenti, & absolutionem sacerdotis; alioqui ex adversariorum mente illud indignè susciperetur; ergo numquam absolutio, seu sacramentum conferret 1. gratiam. Prob. ant. ex Concil. Trid. dicente; Contritionem, si charitatem perfectam es-
,, se contingat, hominem Deo reconciliare, antequam
,, hoc sacramentum actu suscipiatur.

Plura argumenta ex Script. Concil. Pat. & ratione Theologica dedimus in opere prædicto de attritione sufficienti.

Objic. 1. ex Script. Peccator debet perfectè converti, & ex toto corde, & facere sibi cor novum, ut veniam obtineat; sed hoc non facit sine amore Dei ex vera

charitate, quæ non est in attritione; ergo hæc non sufficit ad remissionem peccati, etiam in sacramento. Maj. patet ex innumeris textibus. [1] „ Cùm quæsieris Dominum, invenies eum, si tamen in toto corde quæsieris. *Item*, [2] Convertimini ad me in toto corde vestro, ... facite vobis cor novum, & spiritum novum, &c. Prob. min. Nam attritio ex solo timore pœnæ non convertit ad Deum, sed potius fugit eum, & justitiam ejus; non quærit Deum propter ipsum, sed ut vitet pœnas peccati sui; non exuit cor vetus, sed retinet, & cum vetere Adam vult se abscondere, sc. habet cor servile, non filiale; ergo, &c.

Resp. dist. maj. debet converti perfectè, id. integrè, ita ut nullus in eo remaneat affectus peccati, sed illud syncerè detestetur, con. perfectè, ita ut illud detestetur ex motivis perfectissimis, & actibus intensissimis, neg. maj. nam Script. non exigit has perfectiones, sed illam, qua prorsus ex omni affectu expellatur peccatum, & Deus syncerè quæratur placandus, & id præstat attritio christiana.

Inst. 1. Pœnitentia, qua placandus sit Deus, debet illi placere; sed non potest illi placere sine charitate, quæ facit contritionem; ergo nec illum placare. Prob. min. ex Apostolo: [3] „ *Si linguis Angelorum loquar*, & charitatem non habeam, factus sum velut æs sonans, *etc.* Qui non diligit, manet in morte, sc. peccati.

Resp. dist. maj. Debet illi placere in ordine ad gratiam per sacramentum obtinendam, conc. placere, quasi actus meritorius, & dispositio immediata ad gratiam, neg. maj. & ant. nam Script. loquitur de necessitate charitatis in actibus nostris, ut sint meritorii, non de actibus, qui præparant ad sacramentum, pro quo sufficit tollere obicem gratiæ, quam istud debet conferre *ex opere operato*, & ex meritis Christi, quæ nobis applicat.

Inst. 2. Qui dolet de peccato propter pœnas, aut fœditatem peccati, quærit seipsum potiùs, quàm Deum: ergo non convertitur ad Deum. Prob. ant. quærit suam exemptionem à pœnis, aut ab infamia peccati: ergo &c.

Resp.

[1] *Deut.* 4. [2] *Eze.* 18. [3] 1. *Cor.* 13.

Resp. dist. ant. Quærit seipsum, & exemptionem immediatè, & explicitè: con. unicè, ultimatè, & implicitè; neg. utrumque ant. Nam etiam in attritione homo respicit implicitè, & virtualiter peccatum, ut offensam Dei, cujus iram, & vindictam demeretur, & timet, & detestatur illud, ut vitet pœnas, & iram placet, & iratum sibi reconciliet, & jus ad beatitudinem recuperet. Amor enim beatitudinis causat odium damnationis, ac causarum ejus; nam omne odium venit ex amore; denique dum attritus vult sacramentum gratiæ reconciliatricis, vult reconciliari.

Objic. 2. ex Trident. [2] *Contritio fuit quovis tempore necessaria ad impetrandam veniam peccatorum*, & docet *eum, cui nulla est contritio, non verè absolvi in hoc sacramento*; ergo attritio non sufficit etiam in sacramento, sed necessaria est contritio. Juenin. dicit, nos torqueri hoc argumento, sed fallitur, nam facillimè, & evidenter.

Resp. dist. ant. contritio ibi definita, quæ est genus ad perfectam, & imperfectam; con. contritio perfecta, & justificans per se extra sacramentum, quæ est species contritionis illius, quam dicit necessariam, neg. ant. nec enim de hac specie loquitur Concilium, alioqui sibi contradiceret, dum adducit exemplum Ninivitarum, quorum pœnitentiam dicit fuisse *plenam* non amore, *sed terroribus*; & in quo videtur pura attritio. Idem patet ex aliis textibus ejusdem Concilii ibidem, & alibi.

Inst. 1. Analogum simpliciter prolatum sumitur pro principali analogato: sed contritio ex charitate perfecta est principale analogatum significatum nomine contritionis; ergo de ista debet intelligi Concilium.

Resp. Juenin. forte non vidisse hoc suum argumentum nimis probare: probaret enim contritionem perfectam esse absolutè, ac simpliciter necessariam, quia hæc est principale analogatum. Ejus verò necessitatem absolutam non admittit ille author.

Resp. 2. neg. suppositum maj. sc. contritionem ab initio capitis illius descriptam dici analogicè de his speciebus, nam illis convenit prorsùs univocè.

Resp. 3. dist. maj. nisi loquens se explicet de aliis

[1] *Ss. 14. c. 4.*

analogatis, con. si indicet se complecti alia analogata, neg. maj. & conf. nam apertè docet illam aliam contritionem, quæ dicitur imperfecta, & attritio, *disponere ad gratiam in sacramento impetrandam*.

Inst. 2. Contritio, quam requirit Concilium, disponit ad justificationem; sed non potest sic disponere sine amore Dei ex vera charitate, quam non habet attritio nostra; ergo hæc non sufficit ad mentem Concilii. Prob. maj. contritio illa est, *quasi materia sacramenti*; ergo disponit &c.

Resp. dist. maj. Disponit in sacramento, vel extra, conce. maj. & neg. min. extra sacramentum semper, neg. maj. & conseq. contritio illa disponit ad gratiam extra sacramentum, quando contingit eam esse charitate perfectam, & in sacramento, quando concipitur ex metu pœnarum, &c. ut attritio, quod clarum est in textu, nisi cœcutire velis ad lucem.

Resp. 2. dist. min. sine amore aliquo, sc. charitatis, aut spei, aut Religionis, vel alterius virtutis Christianæ, con. sine amore veræ charitatis, neg. min. nec enim id somniavit Concilium in attritione, quam dicit disponere ad gratiam in sacramento.

Inst. 3. Concilium damnat, qui dixerit, *hominem sine præveniente Spiritus S. inspiratione .... posse credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet* ad gratiam; sed ibi loquitur de justificatione in sacramento pœnitentiæ, & requirit dilectionem Dei; ergo pœnitentia non sufficit in sacramento sine charitate.

Resp. neg. 1. p. min. Nam Concilium ibi loquitur de justificatione absolutè, sive in sacramento, sive extra illud, & de dispositionibus ad eam requisitis, sive implicitè, & virtualiter, sive explicitè, & formaliter, nec determinat omnes, & singulos illos actus debere semper adesse explicite: v. g. in sacramento pœnitentiæ non semper eliciuntur explicitè actus fidei; ergo ita est de actu charitatis: supponit, quod pœnitentia supponat fidem, & spem habitualem, sine qua nec pœniteret homo, nec confiteretur, nec sumeret sacramentum. Idem est de dilatione, nec enim quæreret sibi placare Deum, nisi velet eum habere amicum, & benevolum. Nos autem hìc loquimur de Attritione quoad actus explicitos.

Objic.

Objic. 3. ex eodem Concilio, contritio necessaria includit *propositum non peccandi de cetero*, & *fiduciam divinæ misericordiæ impetrandæ*, & *votum præstandi cętera, quæ ad sacramentum ritè suscipiendum requiruntur*; sed hæc haberi non possunt sine aliquo vero amore Dei, qui non est in attritione ex metu, vel ex timore fœditatis peccati; ergo non sufficit attritio ista. Prob. min. propositum non peccandi, sed præstandi illa omnia includit propositum servandi mandata, quorum primum, & maximum est amor Dei super omnia; ergo &c.

Resp. dist. utramque min. includunt virtualiter, & implicitè; con. explicitè, & formaliter; neg. min. & cons. nec enim negamus, quin homo eliciens illam attritionem sit ita dispositus, ut si hæc ei venirent in mentem, etiam illa amplecteretur; sed negamus, quod ex mente Concilii, hæc semper necessaria sint explicitè in attritione, ut justificet cum sacramento; neque ad veram pœnitentiam ex natura rei.

Objic. 4. Concilium sumit nomen contritionis in sensu Scripturæ, & Theologorum antiquorum; sed isti sumebant illud nomen pro contritione perfecta; ergo &c. Prob. min. nam inquit Vega. [1] *In usu est contritio non tantùm apud scholasticos, sed in translatione Scripturæ, & apud graves, & antiquos Ecclesiæ Doctores... non sine causa non qualiscumque dolor de peccatis, sed perfectus tantum, & sufficiens ad justificationem, Contritio dicitur*. Et Dom. Soto. [2] *Nomine contritionis universis tum Patribus, tum Theologis Scholasticis venit intelligendus actus pœnitentiæ perfectus, quo peccata remittuntur*. Isti duo interfuerunt Concilio.

Resp. neg. min. & ant. Nam, ut dictum est, Script. Patres, & Theologi loquuntur de pœnitentia, & contritione satis indifferenter, modò vera sit, & ad gratiam disponat. Quoad vetus Testamentum non esset mirum, si loqueretur de perfecta, quia tunc erat pro adultis sola via ad justificationem; illa sola debebat justificare. Patres autem hortantur ad pœnitentiam perfectiorem, & ex motivis nobilioribus; sed tamen ubique magis ordinariè suadetur pœnitentia.

[1] *In Concil. Triden. l. 13. cap. 17.*
[2] *L. 2. de natc. 14.*

tia sub motivis attritionis, sc. proponendo pœnas, & præmia. Denique in opere citato fusè demonstravimus Contritionarios imponere Patribus, & Theologis toto libro 2.

Quantum ad Sotum, & Vegam non vacat percurrere illorum dicta; interim per eos liceat nobis stare verbis Concilii, prout intelliguntur communiter à Theologis.

Objic. 5. ex Augustin. pœnitentia ex solo timore pœnæ non excludit voluntatem peccandi; ergo nec attritio. Prob. ant. *Inaniter putat se esse victorem peccati, qui pœnæ timore non peccat; quia & si non impletur foris negotium malæ cupiditatis; ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis*; & alibi apertè dicit: *Sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati. Nondum alienus est à voluntate peccandi*, &c. Et alibi comparat istam mulieri, quæ cessat adulterari, ne videatur, & puniatur à viro; sed semper retinet appetitum adulterandi. Item & Lupo, qui abstinet à rapina ovium metu canum, non deponit appetitum; ergo ex Augustino attritio ex metu non excludit voluntatem peccandi.

Resp. dist. ant. Ex solo metu serviliter servili pœnarum; con. ex solo metu sine affectu servilitatis; neg. ant. & 2. conf. nam Augustinus loquitur de metu serviliter servili, qui ultimatè sistit in fuga pœnarum; non de nostro, qui in fuga pœnarum quærit placare Dominum, & illi reconciliari, quod facere non potest, si retineat minimum affectum peccati.

Inst. ex eodem; *pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, & amor Dei*, & alibi: *si non desistant à peccato habendo charitatem .... nihil eis prodest*. Idem docet Apostolus; [1] *sine charitate nihil sum*, &c. Joannes; [2] *Qui non diligit, manet in morte*; ergo Attritio sine amore non valet.

Resp. dist. conf. Sine charitate implicita, vel explicita; actuali, vel habituali; comitante, aut sequente; perfecta, vel imperfecta: con. sine actuali explicita, & perfecta; neg. conf. nec enim id vult August. nec Apost. nec Joannes. Attritio verò non excludit talem amorem, sed potiùs ad eum tendit ultimatè, ut diximus.

[1] *Ser. tēp. 21 civ. 27.* [2] *1. Jo. 3.*

Objic.

Objic.6. Sicut status legis Euangelicæ est nobilior statu legis naturæ, & Mosaicæ, sic exigit media nobiliora ad finem: sed contritio ex charitate fuit medium nobilius justificationis in illis statibus; ergo à fortiori in nostro. Charitas autem *opus perfectũ habet*.

Resp. dist. min. Nobilius præcisè ratione charitatis, & comparativè ad aliqua motiva explicita attritionis: con. absolutè, & simpliciter secundum omnia, quæ includit attritio virtualiter, nego min. nam hæc includit efficaciam Sacramenti, quam istud habet ex institutione, & meritis Christi, & tendit in eundem finem ultimum ex iisdem auxiliis gratiæ, ex eadem fide, & spe, in his autem non cedit illi contritioni Patriarcharum, si non excedit.

Objic. 7. ex Scoto. Pœnitentia in extremis est dubia, quia procedit ordinariè ex timore pœnarum. Nam inquit cum Augustino, *oportet non solùm timere judicem, sed diligere. Arbitrii enim libertatem quærit, ut dolere possit commissa non necessitatem; charitatem, non timorem. Non ergo timeat pœnam, qui pœnitet, sed anxietur pro gloria*. Et S. Bonaventura, qui pœnitentiam ex timore laudat, addit; *propter illum timorem cessat homo à peccatorum perpetratione, licèt non omninò cesset à voluntate.... Nam voluntas peccandi manet in habitu, et radice: quia deformitas est circa timẽtem;* ergo attritio ex metu pœnarum non excludit omnino voluntatem peccandi; ergo non sufficit nequidem cum sacramento, &c.

Resp. neg. ant. Scotus enim ibi non loquitur ad propositum præsens, sc. de attritione cum sacramento, nec de amore charitatis, sed spei, seu concupiscentiæ, quo pœnitens *anxiatur pro gloria*. Loquitur de pœnitentia in extremis, ubi est minùs libera propter morbi violentiam, quæ turbat mentem, & causat metum mundanum potiùs, quàm Christianum. Eadem est mens Augustini.

S. Bonaventura loquitur de radice peccati, quod remanet quoad maculam, & reatum in tali pœnitentia, nisi adveniat sacramentum, ut facit contritio ex charitate, & maxime si metus sit cum servilitate, de qua dicit, *potest esse, quod aliquis serviliter timeat, & tamen motu illo non peccabit; benè verò si aliquis sic timet pœnas, & timendo dolet, quòd tales pœnæ* in-

infliguntur pro culpa, & actu etiam cupit peccare, si non esset pœna illa. Et hoc modo *serviliter est peccatum .... Hoc autem non est semper, cùm quis movetur timore servili, alioqui per usum illius doni* (timoris) *magis se homo à gratia elongaret, quàm præpararet* (se ad eam) *quod planè falsum est*; ergo censet attritionem ex metu præparare ad gratiam, si absit servilitas, seu affectus ad peccatum; ergo tam sanctus iste, quàm Scotus nobis favent. [1]

Inst. Scotus docet, quod pœnitentia ex timore non est plenè voluntaria; ergo nec bona. Prob. ant. nam loquens de pœnitente in extremis, & ex metu dicit, quod *difficile est tunc habere actum sic circumstantionatum*. Nam in istis, quibus imminet mors, *vel est maximus dolor, vel timor maximus, & utraque passio vehemens nata est impedire liberum usum rationis, & voluntatis*. Et infra. *Ut displicentia valeat, oportet, ut sit debitè circumstantionata. Ut sc. sit voluntaria propter Deum ......* ergo attritio ex metu non est plenè voluntaria, nec propter Deum, ergo nec sufficiens ad gratiam.

Resp. neg. 1. ant. & 2. conf. Nam esto, in illo statu, sc. in articulo mortis, & post vitam longam in peccatis, timor tum mortis, tum damnationis sit vehemens, & minuat usum rationis, & libertatis; tamen in nostris casibus non adsunt causæ illæ turbationis; pœnitentia in statu sanitatis potest esse liberrima, & sufficit cum sacramento; *non quidem ex merito*, quia *dispositio interior non est sufficiens, sed ex parte Dei assistentis sacramento suo ad effectum illius, ad quem institutum est sacramentum*.

Cōstat igitur quòd attritio ex solo motivo timoris, vel turpitudinis peccati elicita, licèt explicitè non cogitetur de nobiliori motivo, vel fine præter immunitatem pœnarum, quibus punitur à Deo, & modo non excludat alios fines tam virtutis, quàm sacramenti, & adsint aliæ conditiones requisitæ, maximè propositum syncerum non peccandi, illa, inquam, attritio sufficit cum sacramento ad justificationem.

Dico, *modo non excludat*, &c. nam si excluderet, volens sistere ultimate in solo timore, & immunitate pœnæ, attritio illa non solùm insufficiens esset, sed

[1] *ib. B.* 5.

sed etiam, ni fallor, mala esset: nam retineret servilitatem. Nisi autem illi alii fines ulteriores tam virtutis, quàm sacramenti sic excludantur virtualiter, aut formaliter, censeo omnem attritionem Christianam tendere natura sua in Deum, ut finem, & ut placandum, & ut sibi reconciliandum, & possidendum; quia sub utraque ratione virtutis, & sacramenti Deus est finis hujusmodi ex natura rei.

Ideò dixi in conclusione, *sine motivo explicito* formali amoris Dei, &c. Nam, ut mox dicebam, semper ex natura rei talis attritio tendit in Deum.

Prætereà suppono illam attritionem esse supernaturalem tum ex parte gratiæ excitantis, & juvantis, sine qua nemo potest pœnitere, sicut oportet ad justificationem; tum ex parte fidei, sine qua non possunt timeri pœnæ damnationis, sicut nec cognosci; tum ex parte spei, qua sperari debet venia virtute sacramenti. Quæ omnia sunt principia supernaturalia.

QUÆSTIO VII.

An, & Quomodo attritio fieri possit contritio.

APud antiquos Theologos, & ante Concilium Trident. communiter dicebatur, quòd virtute sacramenti Pœnitentiæ, homo de attrito fit contritus; quia, ut sæpiùs dixi, vocabant attritionem, omnem illam pœnitentiam, quæ præcedit infusionem gratiæ justificantis: illam verò, quæ conjungitur tali gratiæ, vocabant *contritionem*, ex quocumque motivo eliceretur. Aliter nunc loquuntur posteriores: ideò, ut concilientur utrique, ponimus hanc quæstionem.

His temporibus conveniunt Theologi de differentia horum actuum, sed non de illorum efficacia. Quidam putant contritionem ex charitate, imò & cum gratia habituali præire debere sacramento, & istud præsupponere gratiam illam. Alii volunt Attritionem non valere ad justificationem in sacramento, nisi includat amorem Dei super omnia; sed putant, quod cum illo amore nondum est sanctificans, nisi accedat virtus sacramenti, & sic ille actus manet semper attritio ante operationem sacramenti, ex-

cepto

cepto tamen casu necessitatis, in quo non posset haberi sacramentum, quia tunc illa attritio fieret contritio, & causaret gratiam cum voto sacramenti. Alii docent contritionem non dici veram, & perfectam, nisi amor ille Dei sit valdè intensus, sed dicendam esse attritionem. Alii denique docent, quod ut contritio, per se, & extra sacramentum actuale justificet, sufficit, quod fiat ex amore Dei propter se, & super omnia, ita ut attingat perfectionem essentialem, non verò gradualem charitatis. Hæc in ista, & sequenti quæstione examinamus.

CONCLUSIO.

Attritio, in bono sensu, & prout hodie sumitur, numquam fieri potest contritio, nisi per aliquam æquivalentiam. Attritus verò fieri potest contritus.

Prob. 1. ex Scoto, qui licet videatur docere, quod attritio virtute sacramenti fit contritio, id tamen non intelligit de mutatione intrinseca unius in aliam, sed purè de extrinseca ratione gratiæ absentis, aut præsentis; ergo ex Scoto [2] attritio numquam fit contritio propriè. Prob. anteced. *Si manet*, inquit, *idem motus contra peccatum in esse naturæ, & moris, qui prius; idem motus, qui priùs fuerat attritio, in illo instanti fit contritio, quia in illo instanti fit comitans gratiæ, & ita actus formatus*; ergo tota essentia attritionis manet eadem ante gratiam, & cum gratia, sed ante gratiam dicebatur attritio, & cum gratia dicitur contritio, per solam mutationem extrinsecam.

Prob. 2. ex dictis, contritio, & attritio sunt actus diversæ speciei: sed species rerum non mutantur; ergo nec attritio mutatur in contritionem quoad essentiam. maj. patet ex dictis, nam illa est dolor de peccato ex metu gehennæ, ac pœnarum, vel ex horrore fœditatis peccati: hæc verò est dolor ex motivo veræ charitatis in Deum, & hæc motiva intrinseca earum sunt specie distinctissima.

Prob. 3. Actus unius virtutis non potest mutari in aliam; v. g. actus justitiæ non potest fieri actus tempe-

pe-

[1] d. 13. q. 2. N. 15.

perantiæ, nec viciſſim, & in Phyſicis, vel Metaphyſicis Bos non poteſt fieri Leo; ergo nec in moralibus Attritio poteſt fieri contritio.

Confir. Nam ſi actus, qui in 1. inſtanti eſt attritio, fiat in 2. contritio, in hoc 2. ceſſat eſſe attritio, & eſt novus actus ex novis principiis, ceſſantibus prioribus; ſicut ſi motus, qui in 1. inſtanti eſt tardus, fiat velox in 2. non eſt amplius idem motus, nec dicitur, tardum fieri velocem; ſed velocem ſuccedere tardo; ergo ita in propoſito; ſi actus pœnitentiæ, qui in uno inſtanti fit ex metu gehennæ, fiat in alio ex charitate in Deum, dicendum eſt contritionem ſuccedere attritioni, non autem attritionem fieri contritionem.

Prob. 2. p. Nam per æquivalentiæ mutationem nihil aliud intelligitur, quàm quod attritio manens eſſentialiter immutata, ſeu ex iiſdem principiis, & motivis durans producat cum ſacramento eandem gratiam, quam producit contritio extra ſacramentum in re; ſed hoc facit attritio, ut probatum eſt; ergo in hoc ſenſu attritio fieri poteſt contritio, & eodem ſenſu id dicebant antiqui ſcholaſtici.

Prob. 3. par. nam attritum fieri contritum nihil eſt aliud, quàm de uno actu tranſire ad alium; & ut is, qui dolebat de peccato ex metu gehennæ, jam doleat ex charitate in Deum; ſed hoc fieri poteſt, & fit quaſi regulariter; ergo attritus fieri poteſt contritus.

Objic. 1. con. 1. p. attritio, & contritio ſunt actus ejuſdem virtutis, ſc. pœnitentiæ, nec differunt niſi penes magis, & minus, ſed quæ ſic differunt, poſſunt mutari in ſe invicem; ſicut imperfectum in perfectum, & remiſſum poteſt intendi; ergo &c. Prob. maj. nam ex Concilio attritio dicitur contritio imperfecta; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ejuſdem virtutis genericè; con. in ſpecie atoma: neg. maj. nam contritio præcisè prout deſcribitur à Concilio eſt quaſi genus ad perfectam, & imperfectam: & hæc dicitur imperfecta, non in ſua ſpecie, & abſolutè, ſed comparativè ad aliam, ſicut irrationale reſpectivè ad rationale; ſc. perfecta elicitur ex nobiliori motivo, quàm attritio, ut patet.

Objic. 2. Scotum, & omnes antiquos Theologos, qui

qui apertè docuerunt attritionem fieri contritionem accedente gratia; ergo &c.

Resp. neg. conf. Nam in alio sensu loquebantur illi Theologi, quàm nos post Concilium, quod illos actus distinxit per principia illorum essentialia, & intrinseca. Illi autem distinguebant eos per extrinseca; sc. per informationem, & absentiam gratiæ sanctificantis, ut diximus.

Objic. 3. Actus malus potest fieri bonus; ergo & attritio fieri potest contritio. Ant. patet ex dictis de actibus humanis. Prob. conf. attritio, & contritio non magis opponuntur, quàm actus bonus, & malus; ergo tam possunt converti ad invicem.

Resp. neg. ant. absolutè. Nam esus carnis, qui durante ignorantia invincibili præcepti erat non malus, aut bonus, fit quidem malus, si continuetur post cognitionem prohibitionis, sed non est amplius idem actus in rigore, licèt videatur integrare eamdem refectionem: quia cessante ignorantia, debet homo cessare à volitione talis actus, & si perseveret, id fit per novam volitionem, in qua est malitia. Id à fortiori verum est in attritione: nam hæc non cessat esse attritio, nisi mutato motivo doloris de peccato, ita ut dolor, qui erat ex timore, jam fit ex charitate.

Inst. Idem actus de falso fit verus, & de vero falsus; ergo idem, qui erat attritio, fieri potest contritio. ant. patet ex dictis in Logica. Conf. etiam prob. non est major distinctio inter contritionem, & attritionem, quàm inter verum, & falsum.

Resp. dist. ant. Actus objectivè, con. idem numero, neg. ant. & conf. cùm dico Petrus currit, propositio est vera, quando currit, & falsa, quando non currit, sed non est amplius eadem nisi objectivè.

Resp. 2. neg. conf. Nam veritas, & falsitas sunt accidentales propositioni, & veniunt ab extrinseco; sunt relationes pendentes à termino, qui potest mutari, & ex mutatione resultant relationes conformitatis, vel difformitatis in propositionibus. At in contritione, & attritione differentiæ sunt essentiales, & veniunt ex principiis ipsorum actuum intrinsecis.

Habes ergo, quomodo dicendum, & intelligendum, quod attritio per virtutem sacramenti fiat contri-

tritio, & quod attritus fiat contritus. 1. verum est in sensu antiquorum, quatenus actus ille, qui sine sacramento in re est, vel erat informis, id. sine gratia sanctificante, & cum peccato, jam virtute sacramenti fit formatus per gratiam illam, & sic habet eandem vim cum sacramento, quam habet contritio perfecta ante actuale sacramentum, licèt in sua entitate, & specie maneat semper attritio. 2. autem verum est, vel quatenùs idem homo, qui dolebat de peccato ex timore gehennæ, vel ob turpitudinem peccati, & erat purè attritus, jam dolet de eodem ex motivo perfectæ charitatis in Deum: vel quatenus idem dolor de peccato, qui ex solo motivo timoris non impetrabat se solo gratiam, nec cum illa jungebatur, jam mediante sacramento informatur gratia, & immunis est à peccato: & sic intelligendi sunt antiqui, & omnes actus pœnitentiæ justorum ex quovis motivo non malo erant contritiones in eorum sensu.

QUÆSTIO VIII.

An contritio sit semper conjuncta cum gratia sanctificante.

HUjus quæstionis decisio lucem afferet dictis de sufficientia attritionis in sacramento, & de horum actuum differentia. Nam patebit an attritio, quam certum est non justificare extra sacramentum, debeat includere aliquem amorem veræ charitatis in gradu remisso, ut volunt plurimi, negantes sufficientiam attritionis ex solo motivo timoris pęnarum, vel fęditatis peccati.

Suppono autem ex dictis, quòd contritio simpliciter dicta, seu perfecta includit amorem Dei super omnia elicitum, vel imperatum, seu ex charitate.

CONCLUSIO.

V*Era contritio elicita, vel imperata à vera charitate semper est conjuncta cum gratia sanctificante.* Est de fide.

Prob. ex Scoto cit. [1] qui ex hac conjunctione distin-

[1] *d.14.q.2.N.15.*

ſtinguit contritionem ab attritione; ut mox dicebamus.

Prob.ex Trid.cit. [1] Ubi docet,quòd quando contingit contritionem *perfici charitate, reconciliat hominem Deo priùs, quàm hoc sacramentum actu suscipiatur*. Et per hoc diſtinguit eam ab attritione, quæ non eſt ſic perfecta, nec reconciliat hominem Deo ſine infuſione gratiæ ſanctificantis; ergo &c.

Prob.3.ex damnatione aliquot propoſitionum Michaelis Baji, in quibus negabat in peccato incōpatibilitatem cum vero amore charitatis, etiam in contri-,, tione,ut cùm dicebat; [2] charitas,quæ eſt plenitu-,, do legis, non eſt ſemper conjuncta cum remiſſione,, peccatorum. [3] Item,charitas perfecta, & ſyncera,,, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide,, non ficta, tam in catechumenis, quàm in pœniten-,, tibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum. Item,,, Per contritionem etiam cum charitate perfecta, &,, cum voto recipiendi Sacramentum conjunctam,non,, remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut,, martyrii, ſine actuali receptione Sacramentorum; ergo de mente Eccleſiæ omnis contritio ex vera charitate eſt ſemper conjuncta cum gratia ſanctificante, etiam ſine actuali ſacramento.

Probat. 4. ex Script. dicente, quod Charitas ope-,, rit multitudinem peccatorum. Et: ego diligentes,, me diligo. Et: oculi Domini in diligentes ſe. Et,,, omnis, qui diligit,natus eſt ex Deo. Et, qui manet,, in charitate,in Deo manet, & Deus in eo. Et,Qui di-,, ligit me, diligetur à patre meo. Et de Magdalena,,, dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum, &c.ergo contritio includens amorem Dei ex vera charitate ex parte pœnitentis eſt ſemper conjuncta cum charitate ex parte Dei, ſeu cum gratia ſanctificante.

Prob. conſ. Deus non poteſt diligere hominem,nec in eo manere cum peccato; ergo &c.

Confir. nam actus charitatis eſt actus amicitiæ ad Deum, & cauſat amicitiam Dei ad hominem,ut probant illi textus; ſed neutra illa amicitia ſtat cum peccato; ergo nec vera contritio ex vera charitate.

Confir.2. ex Catechiſmo Concil. Triden. dicente, quod

[1] *ſs.14.c.4.* [2] *prop.31. & 32.*
[3] *prop 71.*

quod *pleraque pietatis studia, veluti beneficentia in pauperes, jejunia, preces, & alia id genus opera sancta hominum culpa repudientur: ipsa verò contritio numquam illi grata, & accepta esse non potest.* Nam inquit Propheta, [1] *cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Quin etiam statim ut eam mente concepimus, peccatorum nobis à Deo remissionem nobis tribui* alio loco ejusdem Prophetę verba illa declarant: [2] *Dixi, confitebor injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Affert exemplum leprosorum, & concludit, *Ex quo licet colligere veræ contritionis .... eam vim inesse, ut illius beneficio, omnium delictorum veniam statim à Deo impetremus.*

Confir. 3. ex Chryf. [3] *Sicut ignis, ubi sylvam occupaverit, omnia purgare consuevit, ita & charitatis fervor, quocunque inciderit, omnia perimit, atque perrumpit, quæ divinam segetem demoliuntur ... ubi charitas est, omnia sublata sunt mala;* ergo &c.

Confir. denique judicio Facultatis Parisiensis, quo damnat hanc propositionem, ut hæreticam. *Per contritionem, non adhibito realiter Sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ non dimittitur crimen extra casum Martyrii, & necessitatis;* ergo de mente facultatis contradictoria est de fide, sc. per contritionem non adhibito realiter sacramento, remittitur crimen ordinariè.

Objic. 1. ex Script. constat Magdalenam diu contritam ex amore stetisse ante obtentam veniam à Christo; ergo contritio etiam ex charitate non statim justificat sine sacramento.

Prob. ant. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* sc. de præterito, & diu, non enim potuit multum diligere in instanti præsenti, cum ei dicit Christus, *vade in pace; remittuntur tibi peccata;* ergo &c.

Resp. neg. ant. & 2. conf. Nam quod sic loquatur Christus de præsenti, non sequitur, quin jam antea fuisset justificata ex vi suæ contritionis, si tamen hæc diu ante præcesserat, nam fortè tunc primùm accensa est ejus charitas in sua pœnitentia. Dici etiam potest Christum sic locutum de præsenti, ut doceret Simonem, quomodo illa veniam obtinuerat, sc. per dilectionem, & cum ad eam sic loquitur, non

[1] *Ps.* 50. [2] *Ps.* 31. [3] *Ho.* 72. *Tim.*

non significat eam tunc tantum obtinuisse veniam, sed confirmat obtentam. Denique dici potest hæc verba Christi esse potiùs concessæ veniæ declarationem, quàm primam concessionem.

Inst. contritio Pauli fuerat perfecta, & cum vera charitate in campo Damasci, & tamen non recepit gratiam nisi per sacramentum, dicente Anania, [1] *Dominus misit me, ut videas, & implearis Spiritu S.* Et SS. Genesius, & Emerentiana dicuntur baptizati baptismo non flaminis, sed sanguinis, ut nota sensibiliori amoris eorum, licet contritio potuerit eos mundare antecedenter; ergo &c.

Resp. 1. neg. anteced. nam de Paulo gratis dicitur eum statim, & perfectè contritum fuisse ante baptismum.

Resp. 2. Id posse intelligi de aliis donis Apostolicis, quæ tunc accepit Paulus per manus impositionem. De aliis verò sequitur solùm, quod fit mentio de Baptismo sanguinis, tanquam de sensibiliori nota conversionis, & sanctificationis eorum, licèt antea potuerint gratiam recipere ex vi contritionis, si adfuerit.

Objic. 2. ex August. [2] contritio cum voto Baptismi non justificat nisi in ipso baptismo; ergo idem est in pœnitentia. Prob. ant. *Quantumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat, non illi dimittitur, donec venerit ad baptismum*; ergo &c.

Resp. neg. 1. ant. & 2. cons. Nihil enim ibi dicit Augustinus de perfecta contritione, sed loquitur contra negligentes suscipere baptismum, vel de pœnis externis, quantum ad incorporationem in Ecclesia. Nam, inquit Bernardus, [3] *Quomodo fidelis Dei contemnit sacramentum*. Et ipse August. ante allata verba dicit, quod Christus voluit baptizari, *ne quis arrogans eo quod habeat abundantiam gratiæ alicujus, dedignaretur baptizari baptismo Domini*, & sic addit allata verba.

Inst. Si contritio tam certè conferret gratiam, frustra Concilium moneret, *ut nullus* sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad S. Euchari-

[1] *Act.* 9. [2] *tr.* 13. *Jo.* [3] *Ep* 77.

ristiam accedere debeat, quod jubet can. 11. si habeatur copia confessarii. Non enim major dispositio requiritur ad sumptionem Eucharistiæ, quàm status gratiæ habitualis; sed hæc haberetur certò per contritionem; ergo non deberet præcipi confessio.

Resp. dist. min. Si contritio esset certò perfecta: con. sin minus, sed solùm putetur perfecta; neg. ant. non enim certi sumus de perfectione contritionis; Ideò prudenter recurritur ad Sacramentum Confessionis, per quod certiores sumus de gratia. Concilium non dicit; *Quantumvis contritus sit*; sed, *sibi videatur*; & quantumvis contritos se existiment; nam in hoc possunt decipi, ideo certior est via sacramenti.

Objic. 3. Connexio contritionis cum gratia venit ex natura rei, vel ex Dei ordinatione. 1. non ex natura rei, alioqui gratia non esset gratia; sc. ex Dei liberalitate, sed ex debito. 2. non ex Dei ordinatione; nam de hac nullibi constat in Scriptura; ergo gratis asseritur illa connexio.

Resp. neg. min. prob. 2. p. & ant. Nam ex Scripturæ locis citatis, & aliis multis patet Deum non *despicere cor contritum*, & eum redamare, qui se amat.

Inst. Illa connexio esset privilegium legis Euangelicæ, vel Mosaicæ, vel utriusque: sed nihil horum dici potest; ergo gratis dicitur. Prob. min. 1. Non Euangelicæ, nam hæc habet sacramenta, per quæ causatur infallibiliter gratia, & quæ alioqui essent frustra. 2. non Mosaicæ, quia ibi peccata expiabantur per sacrificia; ergo in neutra lege habetur illa connexio.

Resp. neg. min. & 2. cons. nam inquit Trident. *contritionis motus fuit quovis tempore necessarius ad impetrandam veniam peccatorum*. Et Deus ubique promisit gratiam contritis: nec tamen sacrificia, vel sacramenta fuerunt frustra, quia sacramenta mortuorum supplent defectum contritionis perfectæ, & sacrificia erant satisfactiones pro peccatis, & signa Religionis.

Objic. 4. ex Patribus; *sententia Petri* (Sacerdotis) *præcedit sententiã cæli*; ergo peccata non remittuntur ante absolutionem sacramentalem per contritionem.

Resp. dist. conf. Per contritionem imperfectam; con. per contritionem perfectam, neg. conf. nam illud axioma valet tantùm in via ordinaria justificationis, quæ fit per sacramentum in attritione; & longe certiùs, quàm per contritionem, de cujus perfectione non est præsumendum.

CONCLUSIO II.

AD rationem hujus contritionis, & ad hanc efficaciam, et distinctionē ejus ab attritione non est necesse, ut ille amor Dei pertingat ad perfectionem intensivam charitatis, sed sufficit, ut pertingat ad perfectionem entitativam, & essentialem ejus. Est communior contra quosdam recentiores Contritionarios, qui exigunt perfectionem intensivam, & extensivam charitatis, ut sit vera contritio, & deleat peccatum.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui in ipsa attritione, ut sit dispositio ad gratiam *in termino ejus* acquirendam nihil aliud requirit, quàm *ut sit perfecte circumstantionata in genere moris*. (Loquitur de pœnitentia, quæ præcedit infusionem gratiæ, & more Theologorum sui temporis, vocat eam attritionem, ex quocumque motivo eliciatur.) Sed hæc pœnitentia potest esse perfectè circumstantionata in genere moris, in gradu remisso, v.g. intensa, ut duo, vel tria, & modo pertingat ad perfectionem essentialem charitatis, ac pœnitentiæ: alioqui non esset actus virtutis, nec bonus; ergo ex Scoto ad rationem contritionis, de qua hìc loquimur, non requiritur perfectio intensiva gradualis, v.g. ut sit intensa, ut octo.

Confir. Nam de mente Scoti, & aliorum antiquorum idem actus pœnitentiæ absque ulla mutatione intrinseca circumstantiarum, vel acquisitione ullius gradus intensionis fit de attritione contritio per adventum solius gratiæ sanctificantis. Sed ante adventum illum pœnitentia illa non supponitur intensa in gradu summo perfectionis; ergo &c.

Prob. 2. ex Concil. Trident. citat. Nam in sua contritione perfecta, & justificante non requirit præcisè, nisi ut *sit perfecta per charitatē*. Perfectio non ca-

[1] *Ibid.*

cadit in charitatem perficientem, sed in contritionem, quæ per illam perficitur. Sed veritas essentialis charitatis salvatur in uno, vel duobus gradibus; calor ut unum tam verè est calor quoad essentiam, quàm calor, ut octo; ergo &c.

Prob. 3. Actus aliarum virtutum quoad speciem, & essentiam, consistunt in quolibet gradu, in quo attingunt earum propria objecta; ergo ita est de isto actu pœnitentiæ, qui dicitur contritio.

Confir. ex modo loquendi unius ex acerrimis contritionariis; *contrition necessaire*. Nam inquit [1] *scintilla ignis tam est ignis, quàm ingens rogus. Infans in instanti animationis est verus, et perfectus homo quoad essentiam æque, ac vir 33. annorum*. Item, *Charitas viæ est vera, & perfecta, ejusdemque speciei cum charitate Patriæ*, &c. è contra, embrio ante animationem non est homo, limus nondum est rana: sc. dantur inchoationes quædam amoris Dei, quæ non sunt charitas. Amor, quo diligitur Deus, ut nobis bonus, est concupiscentia, non charitas; ergo sicut de ratione veræ charitatis est, ut Deum propter ipsum, & super omnia diligat, actu intenso, ut octo, vel solùm, ut duo, & sicut Deus contulit verę charitati vim expellendi peccatum, seu obligavit se ad illud remittendum intuitu ejus, ita & ad id movetur per omnem veram charitatem, cum proportione tamen ad perfectionem ejus gradualem, ita ut intensior gratia detur intuitu charitatis intensioris.

Prob. 4. ex dictis de odio peccati quoad intensionem gradualem ex Scriptura, & Patribus, & ratione, ut cum dicit Deus, *qui diligit me, diligetur à patre meo*: &, *charitas operit multitudinem peccatorum*, &c. Non determinat perfectionem gradualem, quæ rarissima est, & ferè impossibilis homini mortali; ergo si charitas vera perficit contritionem, & facit eam justificantem ante receptionem actualem sacramenti, id facit etiam in gradu remisso, in quo potest dici vera charitas.

Confir. Qui diligit Deum ex vera, & syncera charitate, diligit eum super omnia, & propter ipsum, & qui ex tali amore odit peccatum, & pœnitet; odit etiam illud super omnia mala extensivè,

[1] *P.* 54. 20. 21. 58. 62. 63. *&c.*

sivè, & appretiativè; ergo nihil aliud requiritur ad perfectam contritionem justificantem.

Confir. 2. ex August. [1] *Dilectio sola discernit inter filios Dei, & filios Diaboli*. Et alibi, [2] *Nullum est isto dono excellentius: solum est, quod dividit inter filios regni æterni, & filios damnationis æternæ*. Et alibi. [3] *Si quis in corde suo invenerit charitatem, securus sit, quia transit à morte ad vitam. Jam in dextera est*. Et Chrysol. *Absolvi vis? Ama, dilectio Dei delet, & absolvit omnia delicta*. Et S. Thom. *Minima charitas plus diligit Deum* (appretiativè) *quàm cupiditas millia auri, et argenti*. Amor charitatis etiam remissus, cùm sit super omnia, excludit omnem affectum peccati, & omnem inordinationem voluntatis, & includit voluntatem implendi legem; ergo incompatibilis est cum peccato, & movet Deum ad illud condonandum: non enim aliud ad hoc exigit, quàm talem conversionem.

Objic. 1. Scotus [4] ad pœnitentiam, quæ disponat ad justificationem, ut meritum de congruo, requirit magnam intensionem, & durationem aliquam; ergo ad contritionem justificantem requirit perfectionem intensivam charitatis. Prob. ant. nam de præcepto amoris Dei dicit, quod *illud super omnia debet intelligi utroque modo.* (extensivè, & intensivè) *sicut enim teneor diligere Deum super omnia extensivè; ita etiam majori affectu, quàm omne aliud*. Hinc Valentia conqueritur de Scoto, *quod nemo præter illum hoc doceat*; ergo ex Scoto ad veram charitatem requiritur magna intensio; ergo & ad contritionem charitate perfectam.

Resp. neg. 1. anteced. & 2. conf. nam ut diximus aliàs cum Scholaste, nihil aliud intendit Scotus, quàm ut diligatur Deus super omnia *teneriùs*, *et firmiùs*. Id significant ibi verba *intensivè*, *et extensivè*. Amor Dei potest dici super omnia. 1. si sit major intensivè, quàm ullus alius amor, quo ametur ulla creatura, & hunc non exigit Scotus. 2. si sit fortior, & efficacior ad placendum Deo, quàm amor placendi creaturæ, licet aliunde sit remissior; & hanc majoritatem exigit, ut necessariam ex precepto.

Idem

[1] *tr. 5. ep. Jo. 15.* [2] *Trin. 18. tr. 5. ep. Jo.*
[3] *ser. 94. 3. p. q. 70. a. 4.* [4] *3. d. 27. l. 16.*

Idem sentit S. Bonaventura dicens. *Hoc est diligere Deum super omnia, quod pro nullo damno, vel commodo velit Deum offendere. Sic intelligendum est de displicentia contritionis. Unde dico, quod peccatum tantum debet displicere rationi, quod nullo pacto pro nullo commodo velit in ipsum consentire, vel consensisse*, &c. sed ad hoc non requiritur magna intensio gradualis, ergo &c.

Objic. 2. ex Patribus citatis disp. præcedenti de quantitate odii peccati, ut patet, qualis debeat esse ejus magnitudo, seu vehementia. Vide ibi dicta.

Objic. 3. Si sufficeret contritio, & charitas remissa, Concilium [1] non juberet confiteri ante susceptionem Eucharistiæ, *quantumcunque* homines se existiment *contritos*. Nam inde sequitur, quod ne quidem magna contritio sufficit; ergo multò minùs putat remissam sufficere. Item præter inchoatam dilectionem Dei, quam ponit inter dispositiones ad justificationem, vult recipi sacramentum Baptismi, velut causam gratiæ instrumentalem; ergo ex mente Concilii non sufficit contritio remissa ad gratiam justificantem.

Resp. dist. ant. Si essent certi de vera contritione, & charitate, con. sin minùs, neg. ant. & conf. Nam ut diximus, sunt certi de peccato mortali commisso, non autem de sua vera, & perfecta contritione; ideò debent recurrere ad sacramentum pro majori securitate, ne exponant se periculo sacrilegæ communionis. Ad 2. autem patet, quod illud initium dilectionis Dei tamquam justitiæ fontis est actus amoris concupiscentiæ, non charitatis, qua Deus debet diligi purè propter se, & sic non facit nisi attritionem.

Objic. 4. ex Catechismo, [2] *contritio debet esse maxima, et vehementissima*; ergo & intensissima; nam vehementia significat fervorem intensissimum.

Resp. dist. ant. Vehementissima, prout vehementia opponitur ignaviæ, tepiditati, & negligentiæ; con. prout opponitur actui remisso, seu parvitati graduali: neg. ant. Nam ipse author catechismi explicat se de vehementia, *quæ omnem ignaviam, et socordiam excludat*.

[1] *ss. 13. ca. 16.* [2] *n. 36.*

Reliqua, quæ objici possunt, habes soluta tr. de charitate, ubi explicatur, quid sit diligere Deum super omnia.

1. Colligis autem, cur asseramus sufficientiam attritionis ex metu pœnarum, & consideratione turpitudinis peccati, vel ex amore imperfecto Dei, qui non attingat perfectionem essentiæ charitatis, & quod cavendum ab illis, qui volunt in pœnitentia initium aliquod amoris Dei super omnia. Nam cùm videntur parum exigere, valde multum requirunt, nempe contritionem charitate perfectam, quæ remitteret peccatum extra sacramentum, & sic nunquam relinqueret sacramēto, nec virtuti clavium collationem gratiæ sanctificantis; sed semper supponeretur causata, & recepta ex vi contritionis perfectæ ex charitate.

2. Colligis etiam ex his duabus quęstionibus omnem pœnitentiam, quæ elicitur, vel imperatur ex amore Dei propter se, & super omnia, ita ut pertingat ad essentiam veræ charitatis, licèt in gradu remisso, efficere veram contritionem, qualem docet Concilium *reconciliare hominem Deo, antequam sacramentum actu recipiatur*.

3. Colligis, Attritionem sufficere cum sacramento ad illam gratiam impetrandam, licèt eliciatur ex puro metu pœnarum, vel sola consideratione fœditatis peccati, modo tamen non sistat ultimatè in illis motivis, nec excludat per aliquem actum finem ultimum, seu amorem Dei, & à fortiori, si sit cum aliquali amore Dei, verb. grat. concupiscentiæ, qualis est amor gloriæ, ac beatitudinis, & denique modo illa pœnitentia sit cum aliis conditionibus requisitis ad pœnitentiam Christianam, & maximè si voluntatem omnem peccandi excludat cum spe veniæ; ut loquitur Concilium.

QUÆS-

QUÆSTIO IX.

In quo genere causæ contritio remittat Peccatum, & causet gratiam.

SUppono ex dictis, pœnitentiam causare remissionem peccatorum sive extra sacramentum, & cum ejus voto, si sit perfecta contritio, sive cum sacramento, si sit attritio, nec ullum esse peccatum sive in gravitate, sive in multitudine, quod non possit per debitam pœnitentiam deleri. Jam quæritur de contritione perfecta, quomodo expellat peccatum; an ut causa formalis Physica, ut calor expellit frigus; an ut causa moralis, & meritoria, vel impetrativa; de attritione dictum est, quod non causat nisi virtute sacramenti.

CONCLUSIO.

C*Ontritio delet peccatum, non ut causa Physica, sed moralis dispositiva ex miseratione Divina.* Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Iste motus dicitur attritio*, (ante acceptam gratiam) *& est dispositio, sive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, quæ sequitur.* Item docet *pœnitentiam disponere ad gratiam per modum meriti de congruo*; ergo &c.

Prob. 2. Quia in tantum pœnitentia delet peccatum, quia Deus decrevit condonare illud omni debitè pœnitenti; ergo solus Deus est causa Physica deletionis peccati, & infusionis gratiæ; pœnitentia verò ad id confert per modum conditionis, & motivi, cujus intuitu, & ex pacto Deus sic operatur. Prob. ant. ex Concil. Trid. quod causas justificationis assignans dicit, quòd ejus *causa efficiens est misericors Deus, qui gratuitò abluit, & sanctificat ... unica formalis causa est justitia Dei, non quâ ipse justus est, sed qua justos nos facit*: sc. gratia; ergo remissio peccati in pœnitentia non causatur ab ea physicè, sed moraliter dispositivè, quatenus movet Deum ad parcendum, & ad gratiam largiendum ex pacto suo.

[1] *d.14.q.2.N.15.* [2] *d.20.q.1.A.2.*

Confir. ex Script. dicente de Deo, quòd [1] *dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam*. Et ipse Deus: [2] *Iniquitates vestras deleo*. Et oramus: *Dimitte nobis debita nostra*. Item: *Dimitte peccata populi tui Deus*. Et ipse Deus: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; ergo contritio nostra non delet physicè peccata, sed tantùm moraliter movet Deum ad parcendum, & delendum illa.

Prob. 3. quia non potest dici, in quo genere causæ physicæ id præstaret. 1. non efficienter, ut probatum est tract. de justificatione, & mox ex Concilio Tridentino. 2. non formaliter, quia non sic opponitur reatui peccati, quia reatus est quid morale, scil. obligatio ad pœnam. 3. non materialiter, quia contritio non est subjectum gratiæ, vel deletionis, sed sola anima; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam causa dispositiva moralis ea est, quæ ex alterius voluntate disponit subjectum ad aliquid ab eo recipiendum; sed talis est contritio respectu peccati, ac remissionis ejus, sc. ex pacto Dei disponit peccatorem ad obtinendam veniam, & gratiam; ergo &c. Prob. min. ex Script. cit. & aliis. [3] *Quoties ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Et, *Vita vivet*. Et, *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata vestra*.

Confir. Quia non aliter contritio causat deletionem peccati, quàm infusionem gratiæ; sed hanc non causat, nisi ut dispositio moralis ex promissione Dei; ergo nec illam.

Confir. 2. ex dictis de gratia: nam nequidem gratia delet maculam peccati, nisi moraliter, & ex voluntate Dei; ergo multò minùs pœnitentia.

Confir. denique ex modo loquendi Concilii, [4] quod tribuit pœnitentiæ non efficientiam, sed impetrationem veniæ. *Fuit quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis modus necessarius*. Et loquens de actibus, qui præcedunt justificationem peccatoris, dicit: [5] *Hanc dispositionem, seu præparationem sequitur justificatio ipsa per voluntariam gratiæ susceptionem*, &c. *Et justitiam illam recipiunt secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur*

sin-

[1] *Joel.* 2. [2] *Isa.* 43. [3] *Ezech.* 18. & 31. [4] *sess.* 14. *c.* 4. [5] *sess.* 6. *c.* 7.

singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem; ergo tota causalitas physica remissionis peccati est ex Deo; opera verò nostra tam pœnitentiæ, quàm aliarum virtutum sunt meræ dispositiones morales.

Objic. 1. Pœnitentia est physica retractatio peccati; ergo physicè destruit peccatum. Prob. cons. nam peccatum importat physicam negationem retractationis; ergo retractatio physicè opponitur peccato, sicut omnis forma physica opponitur physicè negationi ejusdem.

Respond.neg.1.conseq.& dist.2.antec. Importat negationem simul cum peccato præterito moraliter durante cum reatu ejusdem, conc. solam negationem retractationis, neg. ant. & conseq. quia ista negatio non facit peccatum, nec reatum; est quædam conditio, sine qua duraret peccatum habitualiter, & moraliter; sed reatus durat, donec Deus illum remittat intuitu pœnitentiæ.

Inst. Reatus est à parte rei incompatibilis cum pœnitentia; ergo hæc illum tollit physicè.

Resp. neg.ant. nam potuisset Deus nolle condonare peccatum homini quantumcumque pœnitenti; sed de facto remittit, quia sic decrevit.

Objic. 2. Omnis solutio, & satisfactio condigna tollit ex natura sua physica reatum culpæ; sed talis est contritio; ergo &c. Prob.min. Contritio est actus bonus à parte rei, æquivalens peccato; ergo ex se physicè est satisfactio condigna.

Resp. neg.min. & ant. Nam contritio est bonum morale habens valorem principalem ab acceptatione divina, ut diximus aliàs de omni merito.

Inst. Sicut peccatum ex se est aversio à Deo,& conversio ad creaturam, sic contritio ex se est aversio à creatura, & conversio ad Deum; ergo hæc ex natura sua, & physicè opponitur peccato,& destruit illud.

Resp.dist.cons. quantum ad entitatem physicam, & materialiter, conc. quoad moralitatem, & reatum, formaliter, neg.cons. Nam reatus pœnæ æternæ,qui remanet ex peccato, pendet ex lege divina, est quid morale. Idem est de contritionis merito, quod etiam pendet ab acceptatione divina, & quidem à fortiori:

nam Deus potuisset nolle remittere offensam, nec cedere juri suo ad odium, & vindictam.

CONCLUSIO II.

Contritio causat remissionem peccati, & gratiæ justificantis infusionem per modum meriti, non de condigno, sed de congruo.

Prob.1. ex Scoto cit.[1] ubi dicit de pœnitentia perfectè circumstantionata, qualis est contritio, quod *est dispositio, sive meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis...... sive pœnitentia interior sola per modum meriti de congruo... disponat ad justificationem, sive sacramentum pęnitentiæ*, &c. sc. agnoscit duplicem viam remissionis peccati. 1. Per contritionem perfectam, quam vocat *attritionem perfectè circumstantionatam*. 2. per pœnitentiam cum sacramento. Sed illa pœnitentia non remittit, nisi per modum meriti de congruo.

Prob. 1. p. ex dictis de justificatione: nam prima gratia justificans non cadit sub meritum, quia ipsa est principium meriti. Nam dicimur justificari gratis per gratiam ipsius Dei. Prob. conf. Quæ dantur ex merito condigno, non dantur gratis, sed ex aliqua justitia; ergo si contritio obtineret gratiam justificantem ut meritum de condigno, non justificaremur gratis.

Confir. ex Triden. [2] Gratis justificari ideo dicimur, *quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera ipsam justificationis gratiam promeretur*. Quod probat ex Apostolo. [2] *Si enim gratia est, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*; ergo &c.

Prob.3. Nam, ut diximus aliàs, meritum de condigno est opus factum in statu gratiæ; sed contritio præcedens justificationem non fit in statu gratiæ, sed peccatis ergo non est meritoria gratię de condigno.

Dico, *præcedens justificationem*; nam certum est, quòd illa, quæ sequitur infusionem hujus gratiæ, & dicitur *contritio formata*, est meritoria de condigno augmenti gratiæ. Sed de hac contritione non loquimur.

Prob.

[1] *ib.d.14.&29.* [2] *ss.6.c.8.* [3] *Rom.5.*

Prob.2.p. Certum est hanc contritionem aliquo modo disponere ad remissionem peccati; sed id non facit ut meritum de condigno; ergo de congruo. Probat. maj. ex Script. cit. ubi contritis promittitur venia peccatorum; ergo contritio habet rationem alicujus meriti, seu dispositionis.

Objic. con.2.p. Ipsa contritio est donum Dei; ergo non habet ullam rationem meriti. Ant.prob. ex Trid. [1] nam fit ex gratia excitante, & juvante; & hoc docet de ipsa attritione ex metu gehennæ: nam donum Dei est, inquit Concil. [2]

Resp.dist.ant. Donum Dei cum libera hominis cooperatione, conc. purè, & sine ulla hominis cooperatione, neg. ant. & conf. alioqui nullum daretur meritum, quia nullum opus meritorium fieri potest sine talibus auxiliis, & donis. Contritio ergo est opus hominis ex gratia, & dono Dei.

Inst. Omne opus bonum ita est donum Dei, ut non impediat, quin justificemur gratis; sed id non esset verum, si opus illud haberet ullam rationem meriti; ergo &c.

Resp.dist.min. Si habeat rationem meriti condigni, con. si rationem meriti congrui, neg. min. Nam quod datur ex merito congruo, non datur ex debito, neque ut merces, sed ex liberali decentia, seu congruentia.

Objic.2. Si contritio præcedens justificationem haberet ullam rationem meriti, homo ad eam se disponeret ex propriis viribus; sed hoc sapit Pelagianismum; ergo &c. Prob. maj. nam meritum illud, qualecumque sit, præcederet gratiam, & haberetur cum peccato mortali; ergo &c.

Resp. neg.maj. & dist. ant. Præcederet gratiam sanctificantem, conc. gratias actuales excitantes, & juvantes, neg. ant. & has non agnoscebant Pelagiani, nec Semipelagiani ut necessarias ad initium salutis.

Objic.3. Illud meritum de congruo in contritione non habet fundamentum in Scriptura, nec Conciliis, nec Patribus; ergo gratis asseritur. Prob. antec. quia potius docent contrarium, dicentes nos justificari omninò gratis.

Resp. neg. ant. Nam ex Script. Patribus, & Conciliis cit.

[1] *Sess.6.c.6. & can.3.* [2] *Sess.14.c.4.*

cit. patet, quod ad gratiam istam in adultis Deus exigit pœnitentiam à peccatore, ut ei parcat. Et S. Augustinus [1] in bonis operibus peccatorum agnoscit aliquale meritum. *Publicanus oculos in terram dejiciens, & pectus suum percutiens.... Ista confessio meruit justificationem*, & Epulo [2] *si pauperis ulcerati... misertus fuisset, mereretur & ipse misericordiam*, &c. erat autem uterque peccator.

Inst. *Deus peccatores non exaudit*; ergo nec opera eorum acceptat ut merita; sed pœnitentia ante justificationem est opus peccatoris, iste est adhuc peccator; ergo &c.

Resp. 1. Id dictum esse non à Christo, sed à Pharisæis de ipso, quem putabant peccatorem, & hoc, ut detraherent gloriæ miraculorum ejus coram populis.

Resp. 2. dist. ant. Peccatores obstinatos, con. peccatores pœnitentes, & conversos, neg. ant. nam *Cor contritum, & humiliatum non despiciet*. Et ipse dicit, *Quoties ingemuerit peccator, ego ignoscam ei*.

Objic. contra 2. p. Pro merito de condigno contritio habet omnes conditiones meriti condigni; ergo, si est meritum, est de condigno. Prob. ant. 1. est actus virtutis, & bonus ex objecto. 2. est supernaturalis ex auxilio gratiæ. 3. est ex charitate in Deum, ut summè dilectum; ergo &c.

Resp. neg. ant. & conf. prob. Nam illæ tres conditiones non sufficiunt ad tale meritum, sed præterea requiritur status gratiæ sanctificantis, ut suppono ex dictis aliàs.

Inst. Contritio formaliter supponit gratiam sanctificantem, ex qua elicitur; ergo nihil ei deest ad meritum condignum. Prob. ant. nisi enim esset cum gratia, & ex gratia, non justificaret; ergo &c.

Resp. neg. ant. Nam est tantum dispositio ad illam gratiam impetrandam, & eam præcedit natura, sicut causa effectum. Potest tamen eam comitari, quando scil. contritio durat aliquantulùm: nam tunc posteriora momenta durationis ejus sunt cum gratia, quæ data est ab initio perfectæ contritionis, & tunc potest mereri de condigno augmentum gratiæ in illa posteriori duratione.

Objic 2. Majus est meritum contritionis, quàm attri-

[1] *tr.44. Jo.6.* [2] *ep.84.*

tritionis, sed attritio meretur de congruo justificationem, ergo contritio debet mereri eam condignè. Prob. maj. perfectior virtus habet majus meritum; sed contritio est longè perfectior attritione; ergo &c.

Resp. dist. min. Meretur de congruo remotè, & mediante sacramento, con. se sola, & immediatè, neg. min. contritio meretur gratiam per se immediatè, non autem attritio, nisi mediante, & operante sacramento.

Collige, quod idem actus pœnitentiæ sub diverso respectu, & instantibus habet rationem causæ, & effectus gratiæ sanctificantis; & ita est de hac gratia respectu contritionis. Contritio in 1. instanti, & prout movet Deum ad remittendum peccatum, & dandam gratiam, qua illud deletur, habet rationem causæ, & meriti congrui, & gratia est quasi effectus, seu fructus ejus, ex illo autem instanti, quo infusa est gratia, & contritio est informata; & ut formata, & meritoria de condigno ulterioris gratiæ habet rationem effectus primæ illius gratiæ. Quod notandum est pro intelligentia Theologorum antiquorum cum modernis, qui distinguebant attritionem à contritione, non penes motiva earum, ut moderni; sed penes illam formam, ut sæpe monuimus, sc. pœnitentia erat attritio ante obtentam gratiam, & contritio post acceptam gratiam.

CONCLUSIO III.

Eodem modo dici potest contritionem hanc perfectam causare gratiam sanctificantem, scil. ut meritum de congruo. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] cùm dicit *attritionem perfectè circumstantionatam in genere moris* (qualis est hæc contritio) *in ultimo instanti, vel aliquo, usque ad quod Deus determinavit attritionem debere durare ad hoc, ut sit meritum de congruo ad justificationem, infunditur gratia, & tunc simpliciter deletur peccatum .... & in illo instanti fit contritio*, quia in illo instanti fit concomitans gratiæ, & ita *actus formatus, & habens secum charitatem* (habitualem) *quæ est forma actus, ut hic loquimur*; ergo ex Scoto eodem actu, & modo, quo pœnitens se disponit ad remissionem

[1] *d.4.q.2.0.16.*

nem peccati, ita & ad gratiam ipsam justificantem.

Prob.2. ex sensu communi Scripturæ, & Patrum, & ex dictis in præcedentibus: nam dicunt peccatoribus per pœnitentiam remitti peccata; sed hæc non remittuntur, nisi per gratiam sanctificantem; ergo eo modo, quo disponunt, & merentur remissionem peccati, ita & gratiam istam.

Confirm. Nam Script. eodem modo promittit gratiam, & veniam: Ut cùm dicitur: [1] *In quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor, & vita vivet*; sed hæc vita consistit in receptione gratiæ; ergo eodem modo promittitur pœnitentibus gratia, & remissio peccati.

Confir.2. ex Trident. dicente, [2] quod justificatio, & renovatio interioris hominis fit *per voluntariam receptionem gratiæ, & donorum*; ergo eadem dispositione homo meretur remissionem, & gratiam; ergo de congruo meretur utramque.

Objic.1. Gratia est potiùs causa contritionis, quia facit, ut homo conteratur, & inclinet ad actum charitatis; ergo contritio non causat gratiam.

Resp. dist. ant. Gratia actualis excitans, & juvans est causa efficiens principalis, con. gratia habitualis, neg. ant. Nam hæc non est nisi causa formalis contritionis, & quidem non in fieri, sed in facto esse, & tunc inclinat ad ulteriores actus charitatis, non ad præcedentes, qui concurrunt ad contritionem in fieri.

Objic. 2. Gratia sanctificans non cadit sub meritum: nam justificamur gratis; ergo &c.

Resp. ut supra. Non cadit sub meritum de condigno, con. sub meritum de congruo, neg. ant. vide quæ diximus de justificatione.

Inst. ex August. [3] *Si aliquid boni operatur homo, ut gratiam mereatur, non ei merces imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*; ergo nullum meritum præcedit gratiam justificantem.

Resp. eodem modo dist. cons. nullum meritum rigorosum, & condignum, conc. de congruo, & impropriè, neg. cons. de isto enim non cogitat Augustinus.

[1] *Ezech*.18. [2] *Sess*.6.c.7. [3] *Ep*.106.

QUÆ-

QUÆSTIO X.

Quanta sit efficacia contritionis; an delere possit omnia peccata.

HOc quæri potest tam de attritione cum sacramento, quàm de contritione in se propter aliquos Hæreticos, v. g. Cattharos, & Cataphrygas, qui nolebant peccata commissa post baptismum deleri posse per ullam pœnitentiam. Idem tribuitur Origeni: Alii putarunt peccata multoties iterata deleri non posse, nisi semel, aut iterum in vita. Hic error creditur venisse à Montano, & tribuitur Tertulliano. Alii putabant peccata quædam graviora esse irremissibilia, saltem per claves Ecclesiæ. Mitto Ciceronem, qui putavit peccatum semel commissum nulla pœnitentia posse reparari.

CONCLUSIO I.

O*Mnia peccata possunt per pœnitentiæ virtutem, aut sacramentum remitti, cujuscumque sint gravitatis, aut numeri*. Est de fide.

Prob.1. ex Scoto, [1] quatenus docet, nullum peccatum esse irremissibile simpliciter, nisi quia *non habet pœnitentiam comitem, sed hoc convenit cuilibet peccato mortali*, sc. omnia peccata mortalia sunt irremissibilia sine pœnitentia: per illam verò sunt remissibilia.

Prob.2. ex Script. quæ indefinitè promittit veniam pœnitentibus omnium peccatorum: [2] *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Item: *Omnis, quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit*. Et Apostolis, ac Sacerdotibus dicit Christus sine limitatione. *Quorum remiseritis peccata*, &c. Et, *Quæcumque solveritis super terram; erunt soluta & in cœlis.*

Prob.3. ex Conciliis Later.[3] sub Innocent. III.
„ Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus
„ fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam potest repa-

[1] *2.d.43.q.1.E.6.4.d.20.A.3.*
[2] *Ezech.18.* [3] *c.firmit.*

„ reparari. *Et Trid. docet*, [1] à Christo D. potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis, & eorum successoribus fuisse communicatam .... Et Novatianos remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, Ecclesia tamquam hæreticos explosit. *Et definit*, pœnitentiam esse verè, & propriè sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur. Et nota, Concilium dicere, quod Novatiani negantes pertinaciter potestatem remittendi; & ideo *eos tamquam Hæreticos Ecclesia explosit*. Juenin. autem dicit eorum errorem fuisse, non quòd negarint omnem potestatem remittendi, sed tantùm, quod dixerint quædam esse peccata gravissima, quæ clavibus Ecclesiæ solvi non possent. Sed S. Epiphanius scribit, [2] quod „ quælibet generatim delicta post baptismum commissa Ecclesiæ authoritate remitti posse negaverint. *Et S. Cyprianus* [3] *scribit*. Novatianus Stoicorum doctrinam in Ecclesiam introducere nitebatur, suadens suis sequacibus peccata, criminaque omnia esse æqualia; ergo non distinxit de gravioribus, & levioribus quoad remissionem.

Confir. Nam si Ecclesia damnat ut hæreticos eos, qui negant Ecclesiæ potestatem remittendi graviora peccata, à fortiori damnaret eos, qui Deo negarent potestatem remittendi omnia contritis.

Probat. 4. ex Patribus, nam inquit Chrysost. [4] „ Non est aliquod peccatum, quod non cedat virtuti pœnitentiæ. *Et quoad numerum dicit*: Peccasti? pœnitere: millies peccasti? pœnitere; *Et Ambros.* Tanta est Dei erga homines propitiatio, ut Judas potuisset non excludi à venia, si pœnitentiam non apud judæos egisset, sed apud Christum. *Et August.* [5] Neque in his criminibus, quantumvis magnis remittendis in S. Ecclesia de misericordia Dei desperandum est agentibus pœnitentiam, secundum modum sui cujusque peccati. Vide hom. 50. ex 50.

Prob. 5. Si aliqua peccata debitè pœnitentibus remitti non possent, id esset, vel quia peccator non posset

[1] *Sess. 14. c. 1.* [2] *Hær. 59.* [3] *Ep. 52.*
[4] *Ho. 33. in Matth.* [5] *Enchir. 56.*

set de illis pœnitere, vel quia pœnitentia non posset sufficere, vel quia Deus non posset, aut nollet remittere; sed nihil horum dici potest; ergo &c. Prob.min. Non 1. quia homo, dum vivit, habet voluntatem flexibilem ad bonum, sicut ad malum, & per auxilium gratiæ potest converti ad bonum ex quolibet malo. Non 2. quia Deus potest acceptare pœnitentiam pro quovis peccato, & de facto nullum est genus peccati, de quo non acceptaverit eam, & quod non remiserit aliquibus, ut patet ex historiis sacris, &, ut dicebat Ambrosius, acceptasset pœnitentiam Judæ, si ad Christum dixisset debitè illud *Peccavi*, quod dixit ad Judæos. Non 3. quia potiùs omnes peccatores vult salvari, & ad pœnitentiam invitat, veniam omnibus promittens; & Christus apud Patrem est propitiatio pro peccatis totius mundi.

Objic. 1. Scriptura dicit, peccatum in Spiritum Sanctum non remitti in hoc sæculo, nec in futuro, ut notat Scotus; ergo pœnitentia non sufficit ad delenda omnia peccata. Prob. antec. *Qui peccaverit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, nec in futuro*; ergo &c.

Resp.neg. utramque conf. Nam illa irremissibilitas non venit ex parte peccati, vel Dei, vel ex insufficientia pœnitentiæ secundum se, sed ex obstinatione voluntaria peccatoris, qui non vult pœnitere, sed volens se opponit gratiæ, ut docet Scotus.

Inst. Scriptura dicit: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem peccaverit in Dominum, quis orabit pro eo?* ergo peccata directè contra Deum *sunt irremissibilia*.

Resp.neg.conf. Nam Heli non dicit ibi peccata in Deum esse irremissibilia ex se, vel ex parte Dei, sed ex omissione pœnitentiæ, vel orationis pro venia impetranda. *Quis orabit pro eo? ergo si haberet mediatorem, impetraret veniam*, ait Ambrosius.

Inst.2. Rex Antiochus [1] *orabat scelestus ad Dominum, à quo non erat misericordiam consecuturus.* Idem patet de Achab, de Juda, & aliis; imò Deus ipse minatur, [2] *Clamabunt ad me, & ego non exaudiam eos*. Et David dicit: [3] *Clamaverunt ad Dominum, nec exaudivit eos*; ergo non ex defectu pœniten-

[1] *Machab.9.* [2] *Prov.1.* [3] *Ps.17.*

tentiæ, nec orationis. vel mediationis, sed ex decreto Dei peccata quædam irremissibilia sunt. Nam Reges illi, & Judas pœnitentes erant.

Resp.dist.1.conf. & 2. ant. Ex pœnitentia imperfecta, & ex motivis indebitis, con. ex pœnitentia vera, & perfecta & ex motivis honestis,neg.1. conf.& 2. ant. nam illi, & similes dolebant non de peccatis, sed de pœnis suis; pœnitentia Antiochi, Achab, & Judæ, & Adæ fuit ex desperatione. Sacer historicus describit acerbitatem pœnarum Antiochi, unde *cępit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire.* De his, & similibus dicit Deus: *Quando venerit super eos tribulatio, invocabunt me, & non exaudiam,* scil. invocabunt non ex odio peccati, sed pœnarum temporalium, quod non est pœnitere.

Inst.3. ex Apostolo, [1] *Impossibile est eos, qui sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cęleste .... & prolapsi sunt, rursus renovari ad pęnitentiam.* Et de Relapsis: [2] *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur hostia pro peccatis.* Et de Esau dicit, quòd *non invenit pęnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis requisiisset eam;* ergo pœnitentia non valet pro omnibus peccatis.

Resp.neg. conf. Nec enim rectè infertur ex illis textibus benè intellectis. 1. Paulus dicit, quod post lapsum peccati secundò, vel 3. impossibile, idest difficile est posse renovari. Et ut loquitur S. Thom. ex August. *Non dicit, impossibile est pęnitere, sed impossibile est renovari* (per baptismum) *idest baptizari .....* Numquam enim homo sic posset pœnitere, quòd posset iterum baptizari. 2. pro *voluntariè peccantibus* idem S. Doctor intelligit *eos, qui ex certa malitia peccant, nec postea pęnitent, sed in voluntate peccandi permanent.* 3. Esau *pęnituit non de peccato, quo vendiderat primogenita, sed quia perdiderat,* sc. *interdum aliquis pęnitet, non propter amorem justitiæ, sed propter timorem pęnæ, vel damni temporalis,* ut Esau propter amissam benedictionem primogenituræ, non propter peccatum gulæ; ergo ex his textibus malè concluditur inefficacia veræ pœnitentiæ.

Objic.2. Sunt aliqua peccata, pro quorum authoribus non licet orare; ergo illa sunt irremissibilia per pœ-

[1] *Hebr.6.* [2] *c.10.c.12.*

pœnitentiam. Prob. ant. *Est peccatum ad mortem* (inquit Joannes) [1] *non pro illo dico, ut roget quis;* sed non prohiberetur oratio pro illo, si posset veniam obtinere per pœnitentiam; ergo &c.

Resp. 1. neg. cons. Nam aliud est, quod non jubeamur orare pro certis peccatoribus, aliud est, quod isti non debeant, aut possint utiliter pœnitere de illis; illud potuit velle dicere Apostolus, non istud; sed potiùs hortatur omnes peccatores ad pœnitentiam, ut Angelum Ephesi, qui charitatem primam reliquerat. [2] *Pęnitentiam age, & prima opera fac,* &c. Idem dicit Angelo Sardis. Et arguit impœnitentes *de homicidiis, & veneficiis suis,* &c. hæc sunt gravissima peccata.

Resp. 2. neg. antec. Nam per peccatum intelligunt multi cum Augustino [3] peccatum finale.,, Ego au-
,, tem dico, id esse peccatum, fidem .... deserere us-
,, que ad mortem. *ut Ambros.* Quomodo Joannes di-
,, ceret non orandum pro delicto graviori, qui legis-
,, set Moysem orasse, & impetrasse, ubi erat præva-
,, ricatio voluntaria, *&c.? Nonne ipse Joannes noverat*
,, *Stephanum orasse pro* persecutoribus suis, qui Chri-
,, sti nomen audire non poterant, sc. præ odio? Fateor tamen ex Script. & Patribus inferri, quòd aliqua peccata dicuntur irremissibilia non absolutè, quasi non possint per debitam pœnitentiam remitti, sed quia de illis rarissima, & difficillima est pęnitentia, qualis est status inveteratorum in peccatis, & ad finem vitæ pessimæ remittentium pęnitentiam.

CONCLUSIO II.

Per contritionem delentur peccata quoad reatum pęnæ æternæ, et aliquando etiam quoad omnem pęnam temporalem. Est de fide quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto. [4] *Nam manet in anima reatus culpæ, quæ est quadam obligatio ad pęnam debitam illi culpæ ..... Et dico, quod istud, quod dictum est remanere post actum in peccatore, potest deleri, & quandoque deletur, juxta illud Symboli, Remissionem peccatorum ...... quod fit per pęni-*

[1] 1. Jo. 5. [2] *Apoc.* 2. [3] *de corrept.*
[4] *d.* 14. *q.* 1. *B.* 5. *&* 1.

pœnitentiam interiorem (ut est contritio) *vel per sacramentum*. Denique docet, [1] quod *quandoque contritio est tam intensa, quod sufficiat pro tota pœna*.

Prob.1.p. De fide est hominem per veram contritionem justificari; sed justificatio non stat cum reatu pœnæ æternæ: nam per gratiam istam acquiritur jus ad vitam æternam, & homo fit filius Dei adoptivus, *Quod si filius, & hæres*; ergo &c. min. patet ex dictis de gratia habituali; ergo &c.

Prob.2.p. Nam certum est, quod per iteratos actus pœnitentiæ, & charitatis fit aliqua satisfactio, & minuitur obligatio ad pœnam temporalem, in quam mutatur ordinariè pœna æterna debita mortali peccato, cùm dimittitur; sed potest dari contritio tam fervens, & intensa, ut æquivaleat pluribus actibus remissis; ergo per illam potest remitti tota illa pœna, quæ per illas imperfectas deleretur.

Prob.3. Nam certum est, quod per martyrium tota pœna illa remittitur; sed potest dari contritio tam perfecta, ut æquare possit charitatem, quæ est in Martyre; ergo potest talis contritio delere totam pœnam.

Prob. denique: nam contritio in aliquo gradu remisso delere potest pœnam æternam; ergo in gradu intensissimo delere potest etiam temporalem, quia hæc numquam æquabit æternam; & si remissior potest delere majorem, intensior delebit minorem.

Suppono autem ex fide, quod ordinariè pœnitentia, ne quidem cum sacramento, non delet reatum totius pœnæ, *Sancta Synodus* [2] *declarat falsum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino numquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur*. Ideo diximus has pœnæ reliquias remitti posse per unicam contritionem perfectissimam, quod tamen raro contingit, maxime in peccatis gravioribus, & multiplicatis, & post longam impœnitentiam.

Objic.1. con.2.p. Contritio perfecta cum sacramento non delet totam pœnam; ergo nec id præstabit se sola. Prob. ant. nam ratio Sacramenti etiam cum contritione exigit satisfactionem; sed hæc tenet locum pœnæ temporalis; ergo contritio etiam cum sacramento non delet totam pœnam.

Resp. neg. ant. & dist. min. Hæc, id. satisfactio pœnalis,

[1] *d.20.A.2.* [2] *Sess.14.c.8.*

nalis, con. satisfactio medicinalis, neg. min. & conf. Nam satisfactio imponi solet non tantùm in pœnam, sed etiam in remedium, & hanc contritio non dispensat. Lege Concilium: nam *magnopere à peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactionis pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actibus tollunt.*

Objic. 2. Deus dicit de pœnitente, *Omnium iniquitatum ejus non recordabor*; sed recordaretur, nisi totam pœnam remitteret; ergo post contritionem nihil restat pœnæ.

Resp. dist. ant. Non recordabor in ordine ad damnationem, conc. quoad omnem pœnam, neg. antec. Nam oblivio illa, quam promittit Deus, non debet sumi rigorosè, & ad litteram.

Inst. ex August. *Impium est à Deo dimidiam sperare veniam*; sed si restaret aliqua pœna, venia non esset integra, sed mediata; ergo &c.

Resp. dist. maj. Mediam quoad peccata, quasi unum remittatur sine aliis, conc. quoad omnem pœnam, neg. maj. & min. Nam illa partitio quoad peccata repugnat, non quoad pœnam.

Quæri hic solet 1. *an peccatum unum mortale remitti possit sine alio.* 2. *An peccata per pœnitentiam dimissa reviviscant per nova.* 3. *An peccatum remitti possit quoad maculam, & culpam retenta obligatione ad pœnam.* Sed de his vide tr. de peccatis, & de merito, an reviviscat cum toto valore per pœnitentiam; nec placet ea repetere, licèt non parum commendent virtutem sacramenti.

QUÆSTIO XI.

De peccatis venialibus; An, & quomodo per pœnitentiam remittantur.

Suppono ex tr. de peccatis, quod veniale non opponitur gratiæ sanctificanti, nec causat privationem ejus, nec amicitiæ Dei, sed tamen displicet Deo, & inducit obligationem ad pœnam temporalem, cui satisfaciendum est in hac vita per bona opera, vel in Pur-

purgatorio per dilationem beatitudinis, & alias pęnas positivas.

Porrò pręcipua media, quibus venialia possunt expiari, communiter dicuntur Sacramentorum frequentatio, maximè Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Sacramentalia, quæ his versibus continentur.

Confiteor, tundo, respergo, conteror, oro:
Liquor, edo, dono, per quæ venialia tollo.
Unctio, pęna levis, compassio, quæ fit egenis.

Alii comprehendunt omnia in isto. *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens*; id. Oratio Dominica, Aqua Benedicta, Panis Benedictus, Confessio generalis, Eleemosyna, & Benedictio Episcopalis, vel Abbatis consecrati.

3. Suppono, peccata omnia tam venialia, quàm mortalia in hoc convenire, quòd sunt offensæ Dei voluntariæ, ideo remitti non possunt sine aliquali pęnitentia, & retractatione, saltem virtuali, & implicita, quod patet ex dictis aliàs. Sed quia in peccatis est duplex reatus, sc. *reatus culpæ*, qui est denominatio manens ex actu peccaminoso, per quem peccator fit objectum odii, ac vindictæ illius, & dignus pęna, seu est dignitas pęnæ remanens ex actu peccati: *et reatus pœnæ*, qui est denominatio extrinseca relicta in peccatore ex Dei decreto, & voluntate ordinante peccatorem ad pęnam peccati, seu qua exigit vindictam de offensa sibi facta per peccatum, ut patet ex dictis tr. de peccatis.

Inde sequitur 1. quod aliud est, dignum esse pęna, & aliud destinari ad pęnam. 1. est velut proprietas, & sequela peccati, & consistit in relatione relicta ex actu malo. 2. verò est relatio resultans ex actu voluntatis divinæ, quo peccatorem destinavit ad pęnam. Unde *reatus culpæ*, seu demeritum pęne manet in peccatore, quandiu peccatum non retractatur. Reatus verò pęnæ manet, quamdiu non *est satisfactum* per aliquas pęnas voluntarias, vel opera æquivalentia, aut *satis passum*, ut fit in purgatorio, ubi animæ tamdiu patiuntur pęnas, donec plenè debita persolverint.

CON-

CONCLUSIO I.

VEnialia deleri possunt per contritionem etiam extra sacramentum, & per attritionem cum sacramento, imò & extra sacramentum in homine justo. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto: [1] *Peccatum veniale in hac vita potest remitti, non tantum per pœnam interiorem,* (qualis est contritio) *vel exteriorem* (ut est confessio, seu sacramentum cum attritione) *quia illa non est necessaria ad hoc; sed per aliquem actum Deo magis acceptum, quam peccatum veniale displiceat.* Et alibi, [2] *Concedo, quòd frequenter remittitur peccatum per aliquem motum attritionis, tamquam per meritum de congruo ante susceptionem sacramenti pœnitentiæ;* &c. ergo ex Scoto peccata venialia possunt in hac vita remitti utroque modo.

Prob. 2. Nam utroque modo possunt remitti mortalia; ergo & à fortiori venialia.

Confir. per alia bona opera remittuntur venialia; sed contritio est bonum opus, & magis proportionatum illi effectui, cùm sit dolor de ipsis peccatis; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam attritio per se est verus actus virtutis pœnitentiæ oppositæ omni peccato, etiam veniali; ergo in homine justo potest satisfacere pro venialibus. Prob. conf. eadem est ratio, & à fortiori de operibus veræ pœnitentiæ, quæ magis opponitur peccato, & illud detestatur, & vindicat, ac de aliis virtutibus; sed opera istarum in homine justo delent venialia; ergo & actus hic pœnitentiæ, etiam se solo.

Prob. 2. attritio in homine justo est meritoria alicujus gradus gratiæ, & gloriæ; ergo à fortiori erit satisfactoria pro venialibus: minus enim est satisfacere, quàm mereri sive de congruo, sive de condigno.

Objic. 1. Non potest haberi contritio de venialibus; ergo neque hæc possunt per eam remitti. Probat. ant. contritio est de peccato, ut offensa Dei; sed veniale non est offensa Dei; ergo &c.

Resp. neg. ant. & min. Nam Deus prohibet venialia, sicut & mortalia, non æqualiter, sicut nec punit æqualiter. Vide tr. de peccatis.

[1] *d.21.q.1.E.8.* [2] *d.14.q.4.G.7.*

Inst. Non possumus hìc esse sine venialibus: nam *septies in die cadit justus*; ergo nec possumus de illis conteri; quia contritio, & attritio includunt propositum non peccandi ampliùs; & non possumus id proponere de venialibus, quæ vitare non possumus.

Resp. neg. ant. & 2. cons. Nullum enim est veniale, quod non possit vitari divisivè, imò & omnia copulativè cum auxilio gratiæ. Sic nullum est in particulari, à quo non debeamus velle abstinere; & hoc sufficit, ut possimus de illis conteri.

Objic. 2. Contritio ordinatur ad gratiam impetrandam; sed venialia non opponuntur gratiæ, nec eam delent; ergo de illis non est contritio.

Resp. dist maj. Ad primam gratiam, vel 2. con. ad 1. solam, neg. maj. & min. maximè quoad 2. p. nam si non minuunt quoad entitatem, saltem retardant ejus augmentum.

Objic. 3. Venialia possunt deleri sine contritione; ergo hæc non est necessaria de venialibus, quæ non sunt de objecto ejus.

Resp. neg. cons. Nam licèt deleri possint aliis mediis, non sequitur, quin possint deleri etiam per contritionem, & quin sint de objecto ejus.

Objic. 1. con. 3. p. Si venialia deleri possent per attritionem solam, & sine sacramento, istud non esset necessarium ad deletionem eorum, nec per illud unquam delerentur; sed cons. est falsum; ergo &c. Prob. maj. semper delerentur per attritionem, aut contritionem, quæ debet præcedere, aut comitari sacramentum, & sic frustra istud adhiberetur pro illis.

Resp. neg. maj. & ant. Nam 1. in habente mortalia cum venialibus attritio cum sacramento non remittit illa, sed remanet reatus pœnæ temporalis. 2 attritio valet tantùm pro venialibus, quæ respicit, non pro aliis, & non respicit semper omnia. 3. unus actus attritionis, maximè si sit remissus, non sufficit per se pro tantis venialibus. 4. Denique, si Sacramentum reperit omnia peccata totaliter remissa, operatur ampliorem gratiam; sicut non esset inconveniens, si numquam reciperetur sacramentum, nisi post contritionem perfectam: quo casu numquam remitteret peccatum mortale, nec conferret unquam primam gratiam.

Inst. Si attritio extra sacramentum sufficeret pro venia-

niali, sufficeret etiam pro mortali; sed hoc falsum est; ergo & illud.

Resp. neg. maj. Nam hæc sequela est à minori ad majus; quasi diceres, potes ferre pondus trium librarum; ergo poteris ferre pondus mille librarum: vel potes deglutire muscam; ergo & camelum. Rideres sic argumentantem. Non est autem minor inæqualitas inter mortale, & veniale.

Quæres, *Qualis deberet esse illa attritio ad hunc effectum. An sufficeret naturalis.*

Resp. eam debere esse supernaturalem. 1. quia effectus ille, remissio illa est quid supernaturale. 2. quia naturalis non sufficit, nequidem cum sacramento. 3. quia nullum opus naturale purè confert per se ad justificationem 1. aut 2. neque ad gratiam ullam merendam. Denique attritio, quæ concurrit ad justificationem cum Sacramento est donum Dei, & ex Spiritus S. impulsu.

CONCLUSIO II.

P*Eccata venialia delentur etiam in homine justo per aliarum virtutum opera in eum finem oblata Deo, vel ab ipso acceptata, item per Sacramentalia*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] Dicit enim, *hæc deleri non solùm per pœnam interiorem, vel exteriorem, sed etiam per aliquem actum magis Deo gratum, quam peccatum veniale displiceat, vel relatum ab ipso operante ad hoc veniale remittendum*; &c. ergo habes totam conclusionem ex Scoto.

Prob. 2. ex Concil. Trid. [2] dicente, *venialia in Confessionis Sacramento taceri citra culpam, multisque aliis mediis expiari possunt* Et Eucharistiam vocat [3] *antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis. & à mortalibus præservemur.* Item ex Tolet. IV. ut refertur in Decretis de pœnit. d. 2. *De quotidianis brevioribus, levioribusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana Oratio fidelium satisfacit .... Delet omninò hæc oratio minima, & quotidiana peccata.* Idem docet S. August. [4] & Theologi communiter de confessione generali, quæ dicitur in Missa, & comple-

[1] *ibid.* [2] *Sess. 14. c. 4.* [3] *Sess. 13. c. 2.* [4] *Ench. c. 7.*

pletorio, dum ex animo, & Religionis affectu recitatur, ait Aug. [1] idem de eleemosyna, quæ *sicut aqua extinguit ignem, sic & ista peccatum*. Unde inquit Hieron. [2] *Sciendum est, quod si Nabuchodonosori bona opera facienti venia promittitur, multò magis aliis promittitur, qui leviora peccata commiserunt*.

Prob. 3. Nam talia opera in homine justo merentur augmentum gratiæ, & gloriæ; ergo & remissionem venialium: nam ad hanc merendam non requiritur major dispositio, quàm ad merendos illos gradus.

Confir. Illa omnia opera important aliquam retractationem, saltem virtualem venialium illis oppositorum; nec minùs debent placere Deo, quàm illa peccata displiceant, ut dicebat Doctor; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam per Sacramentalia intelligimus certas cæremonias, & ritus sensibiles, qui habent aliquam analogiam cum Sacramentis Ecclesiæ, ut dictum est, & sunt instituta ab Ecclesia ad aliquos effectus spirituales causandos. Tales sunt orationes, unctiones, comestiones panis benedicti, aspersio, & tinctio aquæ benedictæ, &c. Sed per hæc, & similia remittuntur venialia; ergo &c. Prob. min. tum ex Scriptura promittente orantibus petita. *Petite, & accipietis*, &c. repete, quæ diximus de Sacramentalibus.

De oratione ait August [3] *Propter omnia peccata Baptismus inventus est; propter levia, sine quibus esse non possemus, oratio inventa. Quid habet oratio? dimitte nobis debita nostra .... semel abluimur baptismate, quotidie abluimur oratione*. Quid clarius?

Dixi autem, *si hæc opera in hunc finem offerantur Deo*, vel ab eo acceptentur: nam operantur per modum meriti, ad quod requiritur intentio placendi, & serviendi Deo in ordine ad [illegible]qua beneficia obtinenda; item & acceptatio divina. Ea autem intentione includitur saltem virtualiter retractatio peccati.

Quæres, *an Sacramentalia id præstent ex opere operato*.

Resp. negativè; id enim habent solùm ex opere operantis, &, ut dicebam, per modum meriti; quia solius Dei est virtutem illam tribuere operibus; hæc autem instituta sunt ab Ecclesia, quæ talem potestatem non habet. Hoc igitur efficiunt ex fide, spe, & cha-

[1] *ho. 50. ex 50.9.* [2] *Ep.108.don.4.* [3] *1.de Symb.7.*

charitate, & aliis piis actibus, ex quibus moventur fideles ad hæc offerenda Deo pro peccatis.

DISPUTATIO IV.

De sacramento pœnitentiæ.

DEI misericordia non solum movetur actibus virtutis pœnitentiæ, quibus peccata nostra in nobis punimus per internam detestationem, & voluntarium dolorem, sed ut certius medium ad veniam impetrandam Sacramentum instituit, quod SS. Patres vocant *secundam post naufragium tabulam*; quia per illud emergimus à peccatis post baptismalem immersionem, seu ablutionem commissis. Vocatur etiam alter baptismus, quia per illud in aquis lacrymarum cordis, & per sacerdotalem absolutionem à personalibus, & propriis inquinamentis mundamur. De hoc sacramento hic disputamus.

QUÆSTIO PRIMA.

An sit, & quid sit Sacramentum Pœnitentiæ.

DIcitur Montanistas, & Novatianos negasse sacramentum pœnitentiæ, sed aliqui eos ab hoc errore vindicant, excepto, quòd ejus efficaciam restrinxerunt, volentes aliqua peccata non cadere sub potestatem clavium Ecclesiæ, sed eorum remissionem soli Deo reservari, ut sunt idololatria, mœchia, homicidium, &c. inquit Juenin. [1] Valdenses dicebant nullum posse absolvi à malo Sacerdote, & bonum laicum habere potestatem absolvendi, & per manus impositionem peccata dimittere, & dare Spiritum S. & quòd potiùs confitendùm bono laico, quàm malo Sacerdoti.

Plures etiam Lutherani absolutè negarunt hoc Sacramentum, & Zuingliani, & Calvinistæ.

Porrò variis nominibus legitur appellatum apud SS. Patres. 1. *Pœnitentia* purè, & simpliciter, quasi *pœnæ tenentia*, quia partes ejus omnes laborem habeant; ut contritio dolorem; confessio ruborem; satisfactio pœ-

[1] *p.*489.

tentiæ, nec orationis. vel mediationis, sed ex decreto Dei peccata quædam irremissibilia sunt. Nam Reges illi, & Judas pœnitentes erant.

Resp. dist. 1. conf. & 2. ant. Ex pœnitentia imperfecta, & ex motivis indebitis, con. ex pœnitentia vera, & perfecta & ex motivis honestis, neg. 1. conf. & 2. ant. nam illi, & similes dolebant non de peccatis, sed de pœnis suis; pœnitentia Antiochi, Achab, & Judæ, & Adæ fuit ex desperatione. Sacer historicus describit acerbitatem pœnarum Antiochi, unde *cepit ex gravi superbia deductus ad agnitionem sui venire.* De his, & similibus dicit Deus: *Quando venerit super eos tribulatio, invocabunt me, & non exaudiam,* scil. invocabunt non ex odio peccati, sed pœnarum temporalium, quod non est pœnitere.

Inst. 3. ex Apostolo, [1] *Impossibile est eos, qui sunt illuminati, gustaverunt etiam donum celeste .... & prolapsi sunt, rursus renovari ad penitentiam.* Et de Relapsis: [2] *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur hostia pro peccatis.* Et de Esau dicit, quòd *non invenit penitentiæ locum, quamquam cum lacrymis requisiisset eam;* ergo pœnitentia non valet pro omnibus peccatis.

Resp. neg. conf. Nec enim rectè infertur ex illis textibus benè intellectis. 1. Paulus dicit, quod post lapsum peccati secundò, vel 3. impossibile, idest difficile est posse renovari. Et ut loquitur S. Thom. ex August. *Non dicit, impossibile est pænitere, sed impossibile est renovari* (per baptismum) *idest baptizari .....* Numquam enim homo sic posset pœnitere, quòd posset iterum baptizari. 2. pro *voluntariè peccantibus* idem S. Doctor intelligit *eos, qui ex certa malitia peccant, nec postea penitent, sed in voluntate peccandi permanent.* 3. Esau *penituit non de peccato, quo vendiderat primogenita, sed quia perdiderat,* sc. *interdum aliquis penitet, non propter amorem justitiæ, sed propter timorem pene, vel damni temporalis,* ut Esau propter amissam benedictionem primogenituræ, non propter peccatum gulæ; ergo ex his textibus malè concluditur inefficacia veræ pœnitentiæ.

Objic. 2. Sunt aliqua peccata, pro quorum authoribus non licet orare; ergo illa sunt irremissibilia per pœ-

[1] *Hebr.* 6. [2] c. 10. c. 12.

pœnitentiam. Prob. ant. *Est peccatum ad mortem* (inquit Joannes) [1] *non pro illo dico, ut roget quis*; sed non prohiberetur oratio pro illo, si posset veniam obtinere per pœnitentiam; ergo &c.

Resp. 1. neg. cons. Nam aliud est, quod non jubeamur orare pro certis peccatoribus, aliud est, quod isti non debeant, aut possint utiliter pœnitere de illis; illud potuit velle dicere Apostolus, non istud; sed potiùs hortatur omnes peccatores ad pœnitentiam, ut Angelum Ephesi, qui charitatem primam reliquerat. [2] *Pęnitentiam age, & prima opera fac*, &c. Idem dicit Angelo Sardis. Et arguit impœnitentes *de homicidiis, & veneficiis suis*, &c. hæc sunt gravissima peccata.

Resp. 2. neg. antec. Nam per peccatum intelligunt multi cum Augustino [3] peccatum finale. „ Ego autem dico, id esse peccatum, fidem .... deserere usque ad mortem. *ut Ambros.* Quomodo Joannes diceret non orandum pro delicto graviori, qui legisset Moysem orasse, & impetrasse, ubi erat prævaricatio voluntaria, *&c.*? *Nonne ipse Joannes noverat Stephanum orasse pro* persecutoribus suis, qui Christi nomen audire non poterant, sc. præ odio? Fateor tamen ex Script. & Patribus inferri, quòd aliqua peccata dicuntur irremissibilia non absolutè, quasi non possint per debitam pœnitentiam remitti, sed quia de illis rarissima, & difficillima est pęnitentia, qualis est status inveteratorum in peccatis, & ad finem vitæ pessimæ remittentium pęnitentiam.

CONCLUSIO II.

Per contritionem delentur peccata quoad reatum pęnæ æternæ, et aliquando etiam quoad omnem pęnam temporalem. Est de fide quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto. [4] *Nam manet in anima reatus culpæ, quæ est quædam obligatio ad pęnam debitam illi culpæ ..... Et dico, quod istud, quod dictum est remanere post actum in peccatore, potest deleri, & quandoque deletur, juxta illud Symboli, Remissionem peccatorum ...... quod fit per pęni-*

[1] 1. Jo. 5. [2] *Apoc.* 2. [3] *de corrept.*
[4] *d.* 14. *q.* 1. *B.* 5. *&* 1.

pænitentiam interiorem (ut est contritio) *vel per sacramentum*. Denique docet, [1] quod *quandoque contritio est tam intensa, quod sufficiat pro tota pœna*.

Prob.1.p. De fide est hominem per veram contritionem justificari; sed justificatio non stat cum reatu pœnæ æternæ: nam per gratiam istam acquiritur jus ad vitam æternam, & homo fit filius Dei adoptivus, *Quod si filius, & hæres*; ergo &c. min. patet ex dictis de gratia habituali; ergo &c.

Prob.2.p. Nam certum est, quod per iteratos actus pœnitentiæ, & charitatis fit aliqua satisfactio, & minuitur obligatio ad pœnam temporalem, in quam mutatur ordinariè pœna æterna debita mortali peccato, cùm dimittitur; sed potest dari contritio tam fervens, & intensa, ut æquivaleat pluribus actibus remissis; ergo per illam potest remitti tota illa pœna, quæ per illas imperfectas deleretur.

Prob.3. Nam certum est, quod per martyrium tota pœna illa remittitur; sed potest dari contritio tam perfecta, ut æquare possit charitatem, quæ est in Martyre; ergo potest talis contritio delere totam pœnam.

Prob. denique: nam contritio in aliquo gradu remisso delere potest pœnam æternam; ergo in gradu intensissimo delere potest etiam temporalem, quia hæc numquam æquabit æternam; & si remissior potest delere majorem, intensior delebit minorem.

Suppono autem ex fide, quod ordinariè pœnitentia, ne quidem cum sacramento, non delet reatum totius pœnæ, *Sancta Synodus* [2] *declarat falsum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino numquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur*. Ideo diximus has pœnæ reliquias remitti posse per unicam contritionem perfectissimam, quod tamen rarò contingit, maxime in peccatis gravioribus, & multiplicatis, & post longam impœnitentiam.

Objic.1. con.2.p. Contritio perfecta cum sacramento non delet totam pœnam; ergo nec id præstabit se sola. Prob. ant. nam ratio Sacramenti etiam cum contritione exigit satisfactionem; sed hæc tenet locum pœnæ temporalis; ergo contritio etiam cum sacramento non delet totam pœnam.

Resp. neg.ant. & dist. min. Hæc, id. satisfactio pœnalis,

[1] *d.20.A.2.* [2] *Sess.14.c.8.*

nalis, con. satisfactio medicinalis, neg. min. & conf. Nam satisfactio imponi solet non tantùm in pœnam, sed etiam in remedium, & hanc contritio non dispensat. Lege Concilium: nam *magnopere à peccato revocant, & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactionis pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actibus tollunt.*

Objic.2. Deus dicit de pœnitente, *Omnium iniquitatum ejus non recordabor*; sed recordaretur, nisi totam pœnam remitteret; ergo post contritionem nihil restat pœnæ.

Resp. dist. ant. Non recordabor in ordine ad damnationem, conc. quoad omnem pœnam, neg. antec. Nam oblivio illa, quam promittit Deus, non debet sumi rigorosè, & ad litteram.

Inst. ex August. *Impium est à Deo dimidiam sperare veniam*; sed si restaret aliqua pœna, venia non esset integra, sed mediata; ergo &c.

Resp. dist. maj. Mediam quoad peccata, quasi unum remittatur sine aliis, conc. quoad omnem pœnam, neg. maj. & min. Nam illa partitio quoad peccata repugnat, non quoad pœnam.

Quæri hic solet 1. *an peccatum unum mortale remitti possit sine alio.* 2. *An peccata per pænitentiam dimissa reviviscant per nova.* 3. *An peccatum remitti possit quoad maculam, & culpam retenta obligatione ad pœnam.* Sed de his vide tr. de peccatis, & de merito, an reviviscat cum toto valore per pœnitentiam; nec placet ea repetere, licèt non parum commendent virtutem sacramenti.

QUÆSTIO XI.

De peccatis venialibus; An, & quomodo per pœnitentiam remittantur.

SUppono ex tr. de peccatis, quod veniale non opponitur gratiæ sanctificanti, nec causat privationem ejus, nec amicitiæ Dei, sed tamen displicet Deo, & inducit obligationem ad pœnam temporalem, cui satisfaciendum est in hac vita per bona opera, vel in

Pur-

purgatorio per dilationem beatitudinis, & alias pęnas positivas.

Porrò pręcipua media, quibus venialia possunt expiari, communiter dicuntur Sacramentorum frequentatio, maximè Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Sacramentalia, quæ his versibus continentur.

Confiteor, tundo, respergo, conteror, oro:
Liquor, edo, dono, per quæ venialia tollo.
Unctio, pęna levis, compassio, quæ fit egenis.

Alii comprehendunt omnia in isto. *Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens*; id. Oratio Dominica, Aqua Benedicta, Panis Benedictus, Confessio generalis, Eleemosyna, & Benedictio Episcopalis, vel Abbatis consecrati.

3. Suppono, peccata omnia tam venialia, quàm mortalia in hoc convenire, quòd sunt offensæ Dei voluntariæ, ideo remitti non possunt sine aliquali pęnitentia, & retractatione, saltem virtuali, & implicita, quod patet ex dictis aliàs. Sed quia in peccatis est duplex reatus, sc. *reatus culpæ*, qui est denominatio manens ex actu peccaminoso, per quem peccator fit objectum odii, ac vindictæ illius, & dignus pęna, seu est dignitas pęnæ remanens ex actu peccati: *et reatus pœnæ*, qui est denominatio extrinseca relicta in peccatore ex Dei decreto, & voluntate ordinante peccatorem ad pęnam peccati, seu qua exigit vindictam de offensa sibi facta per peccatum, ut patet ex dictis tr. de peccatis.

Inde sequitur 1. quod aliud est, dignum esse pęna, & aliud destinari ad pęnam. 1. est velut proprietas, & sequela peccati, & consistit in relatione relicta ex actu malo. 2. verò est relatio resultans ex actu voluntatis divinæ, quo peccatorem destinavit ad pęnam. Unde *reatus culpæ*, seu demeritum pęne manet in peccatore, quandiu peccatum non retractatur. Reatus verò pęnæ manet, quamdiu non *est satisfactum* per aliquas pęnas voluntarias, vel opera æquivalentia, aut *satis passum*, ut fit in purgatorio, ubi animæ tamdiu patiuntur pęnas, donec plenè debita persolverint.

CON-

CONCLUSIO I.

V*Enialia deleri possunt per contritionem etiam extra sacramentum, & per attritionem cum sacramento, imò & extra sacramentum in homine justo.* Est communis.

Prob.1. ex Scoto: [1] *Peccatum veniale in hac vita potest remitti, non tantum per pœnam interiorem,* (qualis est contritio) *vel exteriorem* (ut est confessio, seu sacramentum cum attritione) *quia illa non est necessaria ad hoc; sed per aliquem actum Deo magis acceptum, quam peccatum veniale displiceat.* Et alibi, [2] *Concedo, quòd frequenter remittitur peccatum per aliquem motum attritionis, tamquam per meritum de congruo ante susceptionem sacramenti pœnitentiæ;* &c. ergo ex Scoto peccata venialia possunt in hac vita remitti utroque modo.

Prob.2. Nam utroque modo possunt remitti mortalia; ergo & à fortiori venialia.

Confir. per alia bona opera remittuntur venialia; sed contritio est bonum opus, & magis proportionatum illi effectui, cùm sit dolor de ipsis peccatis; ergo &c.

Prob.2. p. Nam attritio per se est verus actus virtutis pœnitentiæ oppositæ omni peccato, etiam veniali; ergo in homine justo potest satisfacere pro venialibus. Prob. conf. eadem est ratio, & à fortiori de operibus veræ pœnitentiæ, quæ magis opponitur peccato, & illud detestatur,& vindicat, ac de aliis virtutibus; sed opera istarum in homine justo delent venialia; ergo & actus hic pœnitentiæ, etiam se solo.

Prob.2. attritio in homine justo est meritoria alicujus gradus gratiæ, & gloriæ; ergo à fortiori erit satisfactoria pro venialibus: minus enim est satisfacere, quàm mereri sive de congruo, sive de condigno.

Objic.1. Non potest haberi contritio de venialibus; ergo neque hæc possunt per eam remitti. Probat. ant. contritio est de peccato, ut offensa Dei; sed veniale non est offensa Dei; ergo &c.

Resp. neg. ant. & min. Nam Deus prohibet venialia, sicut & mortalia, non æqualiter, sicut nec punit æqualiter. Vide tr. de peccatis.

[1] *d.21.q.1.E.8.* [2] *d.14.q.4.G.7.*

Inst. Non possumus hìc esse sine venialibus: nam *septies in die cadit justus*; ergo nec possumus de illis conteri; quia contritio, & attritio includunt propositum non peccandi ampliùs; & non possumus id proponere de venialibus, quæ vitare non possumus.

Resp. neg. ant. & 2. cons. Nullum enim est veniale, quod non possit vitari divisivè, imò & omnia copulativè cum auxilio gratiæ. Sic nullum est in particulari, à quo non debeamus velle abstinere; & hoc sufficit, ut possimus de illis conteri.

Objic. 2. Contritio ordinatur ad gratiam impetrandam; sed venialia non opponuntur gratiæ, nec eam delent; ergo de illis non est contritio.

Resp. dist. maj. Ad primam gratiam, vel 2. con. ad 1. solam, neg. maj. & min. maximè quoad 2. p. nam si non minuunt quoad entitatem, saltem retardant ejus augmentum.

Objic. 3. Venialia possunt deleri sine contritione; ergo hæc non est necessaria de venialibus, quæ non sunt de objecto ejus.

Resp. neg. cons. Nam licèt deleri possint aliis mediis, non sequitur, quin possint deleri etiam per contritionem, & quin sint de objecto ejus.

Objic. 1. con. 3. p. Si venialia deleri possent per attritionem solam, & sine sacramento, istud non esset necessarium ad deletionem eorum, nec per illud unquam delerentur; sed cons. est falsum; ergo &c. Prob. maj. semper delerentur per attritionem, aut contritionem, quæ debet præcedere, aut comitari sacramentum, & sic frustra istud adhiberetur pro illis.

Resp. neg. maj. & ant. Nam 1. in habente mortalia cum venialibus attritio cum sacramento non remittit illa, sed remanet reatus pœnæ temporalis. 2 attritio valet tantùm pro venialibus, quæ respicit, non pro aliis, & non respicit semper omnia. 3. unus actus attritionis, maximè si sit remissus, non sufficit per se pro tantis venialibus. 4. Denique, si Sacramentum reperit omnia peccata totaliter remissa, operatur ampliorem gratiam; sicut non esset inconveniens, si numquam reciperetur sacramentum, nisi post contritionem perfectam; quo casu numquam remitteret peccatum mortale, nec conferret unquam primam gratiam.

Inst. Si attritio extra sacramentum sufficeret pro venia-

niali, sufficeret etiam pro mortali; sed hoc falsum est; ergo & illud.

Resp. neg. maj. Nam hæc sequela est à minori ad majus; quasi diceres, potes ferre pondus trium librarum; ergo poteris ferre pondus mille librarum: vel potes deglutire muscam; ergo & camelum. Rideres sic argumentantem. Non est autem minor inæqualitas inter mortale, & veniale.

Quæres, *Qualis deberet esse illa attritio ad hunc effectum. An sufficeret naturalis.*

Resp. eam debere esse supernaturalem. 1. quia effectus ille, remissio illa est quid supernaturale. 2. quia naturalis non sufficit, nequidem cum sacramento. 3. quia nullum opus naturale purè confert per se ad justificationem 1. aut 2. neque ad gratiam ullam merendam. Denique attritio, quæ concurrit ad justificationem cum Sacramento est donum Dei, & ex Spiritûs S. impulsu.

CONCLUSIO II.

PEccata venialia delentur etiam in homine justo per aliarum virtutum opera in eum finem oblata Deo, vel ab ipso acceptata, item per Sacramentalia. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] Dicit enim, *hæc deleri non solùm per pœnam interiorem, vel exteriorem, sed etiam per aliquem actum magis Deo gratum, quam peccatum veniale displiceat, vel relatum ab ipso operante ad hoc veniale remittendum*; &c. ergo habes totam conclusionem ex Scoto.

Prob. 2. ex Concil. Trid. [2] dicente, *venialia in Confessionis Sacramento taceri citra culpam, multisque aliis mediis expiari possunt* Et Eucharistiam vocat [3] *antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis. & à mortalibus præservemur.* Item ex Tolet. IV. ut refertur in Decretis de pœnit. d. 2. *De quotidianis brevioribus, levioribusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana Oratio fidelium satisfacit .... Delet omninò hæc oratio minima, & quotidiana peccata.* Idem docet S. August. [4] & Theologi communiter de confessione generali, quæ dicitur in Missa, & com-

[1] *ibid.* [2] *Sess. 14. c. 4.* [3] *Sess. 13. c. 2.* [4] *Ench. c. 7.*

pletorio, dum ex animo, & Religionis affectu recitatur, ait Aug. [1] idem de eleemosyna, quæ *sicut aqua extinguit ignem, sic & ista peccatum*. Unde inquit Hieron. [2] *Sciendum est, quod si Nabuchodonosori bona opera facienti venia promittitur, multò magis aliis promittitur, qui leviora peccata commiserunt*.

Prob. 3. Nam talia opera in homine justo merentur augmentum gratiæ, & gloriæ; ergo & remissionem venialium: nam ad hanc merendam non requiritur major dispositio, quàm ad merendos illos gradus.

Confir. Illa omnia opera important aliquam retractationem, saltem virtualem venialium illis oppositorum; nec minùs debent placere Deo, quàm illa peccata displiceant, ut dicebat Doctor; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam per Sacramentalia intelligimus certas ceremonias, & ritus sensibiles, qui habent aliquam analogiam cum Sacramentis Ecclesiæ, ut dictum est, & sunt instituta ab Ecclesia ad aliquos effectus spirituales causandos. Tales sunt orationes, unctiones, comestiones panis benedicti, aspersio, & tinctio aquæ benedictæ, &c. Sed per hæc, & similia remittuntur venialia; ergo &c. Prob. min. tum ex Scriptura promittente orantibus petita. *Petite, & accipietis*, &c. repete, quæ diximus de Sacramentalibus.

De oratione ait August [3] *Propter omnia peccata Baptismus inventus est; propter levia, sine quibus esse non possemus, oratio inventa. Quid habet oratio? dimitte nobis debita nostra .... semel abluimur baptismate, quotidie abluimur oratione*. Quid clarius?

Dixi autem, *si hæc opera in hunc finem offerantur Deo*, vel ab eo acceptentur: nam operantur per modum meriti, ad quod requiritur intentio placendi, & serviendi Deo in ordine ad[illegible]qua beneficia obtinenda; item & acceptatio di[illegible]. Ea autem intentione includitur saltem virtualiter retractatio peccati.

Quæres, *an Sacramentalia id præstent ex opere operato*.

Resp. negativè; id enim habent solùm ex opere operantis, &, ut dicebam, per modum meriti; quia solius Dei est virtutem illam tribuere operibus; hæc autem instituta sunt ab Ecclesia, quæ talem potestatem non habet. Hoc igitur efficiunt ex fide, spe, & cha-

[1] *ho. 50. ex 50. 9.* [2] *Ep. 108. don. 4.* [3] *1. de Symb. 7.*

charitate, & aliis piis actibus, ex quibus moventur fideles ad hæc offerenda Deo pro peccatis.

DISPUTATIO IV.

De sacramento pœnitentiæ.

DEI misericordia non solum movetur actibus virtutis pœnitentiæ, quibus peccata nostra in nobis punimus per internam detestationem, & voluntarium dolorem, sed ut certius medium ad veniam impetrandam Sacramentum instituit, quod SS. Patres vocant *secundam post naufragium tabulam*; quia per illud emergimus à peccatis post baptismalem immersionem, seu ablutionem commissis. Vocatur etiam alter baptismus, quia per illud in aquis lacrymarum cordis, & per sacerdotalem absolutionem à personalibus, & propriis inquinamentis mundamur. De hoc sacramento hic disputamus.

QUÆSTIO PRIMA.

An sit, & quid sit Sacramentum Pœnitentiæ.

DIcitur Montanistas, & Novatianos negasse sacramentum pœnitentiæ, sed aliqui eos ab hoc errore vindicant, excepto, quòd ejus efficaciam restrinxerunt, volentes aliqua peccata non cadere sub potestatem clavium Ecclesiæ, sed eorum remissionem soli Deo reservari, ut sunt idololatria, mœchia, homicidium, &c. inquit Juenin. [1] Valdenses dicebant nullum posse absolvi à malo Sacerdote, & bonum laicum habere potestatem absolvendi, & per manus impositionem peccata dimittere, & dare Spiritum S. & quòd potiùs confitendum bono laico, quàm malo Sacerdoti.

Plures etiam Lutherani absolutè negarunt hoc Sacramentum, & Zuingliani, & Calvinistæ.

Porrò variis nominibus legitur appellatum apud SS. Patres. 1. *Pœnitentia* purè, & simpliciter, quasi *pœnę tenentia*, quia partes ejus omnes laborem habeant; ut contritio dolorem; confessio ruborem; satisfactio pœ-

[1] p.489.

pœnam. 2. *Sacramentum absolutionis*, à forma, sub qua confertur, quæ est *sententia quædam absolvendi reum*, ait Scotus. [1] 3 *Baptismus laboriosus*, ob eandem rationem, sc. *Baptismus* propter effectum ablutionis à maculis peccatorum, in quo convenit cum effectu baptismi, & *laboriosus*, propter prædictos labores: sic illud vocat Trident. [2] *Lavacrum lacrymarum*, & *secunda purgatio*, seu *Baptismus iterabilis*, ob easdem rationes: nam abluit animam per lacrymas contritionis, & sæpiùs iteratur. 5. *manuum impositio*, quia per externam manuum impositionem solebat conferri. 6. *Secunda post naufragium tabula*, quia, qui post baptismum peccat, quasi tracta navi naufragatur, & ei suppeditatur hoc sacramentum, velut altera tabula, cujus ope veniat ad portum salutis. 7. *Exomologesis*, seu *confessio*, seu *communicatio ex pane*, quia post confessionis sacramentum solet concedi communicatio Eucharistiæ. Sed his, & aliis similibus appellationibus omissis, sub nomine *sacramenti pœnitentiæ* utemur.

CONCLUSIO I.

POEnitentia *est verum Sacramentum novæ legis, distinctum à baptismo*. Est de fide contra prædictos hæreticos.

Prob. 1. ex Scoto, [3] qui cum Magistro vocat illud *commune sacramentum post baptismum; quia secunda post naufragium tabula*, item [4] *Sacramentum judiciale*, vel *judicium sacramentale*. Et existentiam ejus probat. 1. quia *possibile est huic positioni nominis aliquid subesse*. 2. quia *id congruit*. 3. quia *de facto ita est*. Et singula probat.

Prob. 2. ex Script. in qua tam apertè datur Apostolis, & successoribus potestas dimittendi peccata; ergo in Ecclesia est aliquod sacramentum, per quod id fiat. Prob. ant. Nam dixit eis Christus: [5] *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos* (eandem potestatem committo vobis) *Accipite Spiritum S. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*; ergo dedit Apostolis, & successoribus

[1] *d.14.q.4.B.3.* [2] *Sess.14.c.2.* [3] *d.14.q.1.*
[4] *Ibid.q.4.* [5] *A.3.& B.4.*

bus eorum in Ecclesia hanc potestatem: ergo instituit ibi Sacramentum, idest signum sensibile, quo id fiat. Prob. hæc conf. ad verum Sacramentum requiritur 1. signum, seu ritus externus. 2. institutio Divina. 3. promissio gratiæ illi signo affixa; sed hæc omnia concurrunt in illis verbis Christi; ergo &c. maj. patet ex dictis de Sacramentis in communi. Prob. min. de ritu, & *signo externo*: nam illa potestas non debet exerceri in homines sine signo sensibili, ut per sensus agnoscant sibi remitti peccata, quia nihil intelligunt, nisi per sensus. 2. *Institutio*, & præceptum divinum. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: quorum remiseritis*, &c. Ibi habetur & missio, & institutio divina. 3. denique *promissio gratiæ: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Hæc enim remissio est summa gratia, & non fit sine infusione gratiæ interioris; ergo &c.

Dices cum hæreticis, hanc potestatem exerceri concionatoriè per prædicationem Euangelii, per quam excitatur in hominibus fides, quæ illos iustificat.

Contra. Christus alio præcepto commisit eis prædicationem Euangelii, dicens: *Docete omnes gentes*. Et, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*; ergo hìc aliud significat, maximè quia nihil ibi dicit de prædicatione. 2. Ipsi non negant baptismum esse Sacramentum propriè, licèt idem de illo dicant, sc. quod confertur verbis concionatoriis ad excitandam fidem; ergo quamvis hic error eis concederetur, sc. quod potestas remittendi peccata exerceretur concionatoriè, & non iudicialiter, adhuc pœnitentia diceretur sacramentum. 3. Quia absurdum est dicere cum ulla proprietate verborum Christi, quod idem sit remittere, & retinere peccata, & prædicare Euangelium ad excitandam fidem in cordibus peccatorum: alioqui liber Euangeliorum haberet eandem potestatem, quia efficaciter potest excitare illam fidem in legentibus, quam ullus minister prædicando. 4. Hæc potestas, & commissio remittendi peccata est sequela, & executio potestatis generalis ligandi, & solvendi. *Quæcumque ligaveritis super terram*, &c. sed hæc potestas generalis non exerceretur prædicando; ergo nec illa specialis. 6. denique ex perpetua traditione, & praxi Ecclesiæ constat verba illa Christi fuisse semper intelle-

cta de vera potestate dimittendi peccata judicialiter; ergo est prorsus novum commentum illa sumere aliter.

Dices 2. Illa significare potestatem declarandi remissa esse peccata, ut olim præstabant Sacerdotes Mosaici erga leprosos, non autem remittendi de facto. *Quis enim peccata dimittit, nisi solus Deus?*

Contra 1. quia, etiam dato hoc errore (quod absit) adhuc non deberet negari huic actioni ratio veri Sacramenti, sicut non negant illam baptismo, quem non credunt aliter remittere peccata. 2. quia verba Christi, quibus contulit hanc potestatem, longè aliud significant, quàm declarationem illam. Nam in bono sensu *remittere*, vel *retinere*, *ligare*, aut *solvere* peccata non est declarare ea esse remissa. De Sacerdotibus Mosaicis nusquam dictum est, quod curarent à lepra, quia declarabant leprosos esse mundatos ab illa; ergo nec id diceretur de Sacerdotibus Euangelicis, nisi aliter remitterent, quàm declarando remissionem.

Prob. 3. ex Concil. [1] & confir. præcedens ratio. Nam Trid. definit. *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiã non esse verè, & propriè Sacramētũ pro fidelibus, quoties in peccata labuntur post baptismum, ipsi Deo reconciliandis, à Christo D. institutum, anath. sit.* Item. *Si quis dixerit verba illa Salvatoris: accipite Spiritum S. Quorum remiseritis, &c. non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in sacramento pœnitentiæ .... detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad authoritatem prædicandi Euangelium, anath. sit.* Et infra. *Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse actum judicialem sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti ... anath. sit.*

Idem diu antea fuerat definitum in Concilio Carthaginensi, ut patet apud S. Cyprianum in Epistola Synodica ad Cornelium.

Prob. 4. ex perpetua traditione Patrum, quos longum esset recensere. Vide Coccium, & alios, maximè controversitas.

Confir. Nam sicut Deus misericorditer providit de re-

[1] *Sess. 14. can. 1. & 3.*

remedio peccati originalis, & eorum, quæ ante baptiſmum committũtur, ita eidem congruum fuit providere de alio remedio pro peccatis poſt baptiſmum commiſſis humana fragilitate; ſed tale eſt Sacramentum Pœnitentiæ; ergo &c.

Prob. denique, quia pœnitentia iſta habet omnes conditiones veri Sacramenti. 1. Eſt ſignum ſenſibile, & perpetuum gratiæ ſanctificantis à Chriſto D. inſtitutum ad ſalutem hominis viatoris; ergo &c. Prob. ant. 1. *ſignum* eſt *ſenſibile* tam ex parte hominis confitentis peccata cum oſtenſione doloris de illis, quàm ex parte ſacerdotis abſolventis. 2. *Perpetuum*. Quia ſine limitatione temporis data eſt Apoſtolis poteſtas remittendi peccata. 3. *A Chriſto D. inſtitutum ad ſalutem*, &c. ut patet ex eadem Scriptura. *Accipite Spiritum*, &c. *Quodcumque ſolveritis*. Et, *Quorum remiſeritis peccata*. 4. *Gratiæ ſanctificantis*: nam remiſſio peccati non fit ſine infuſione talis gratiæ; ergo &c.

Prob. 2. p. 1. ex verbis Chriſti D. diverſiſſimè loquentis de commiſſione ad baptizandum, & remittendum peccata. 2. ex diverſitate materiæ, & formæ, & nominis, & effectus, & ſubjectorum.

Prob. 2. ex Concil. Trid. [1] *Si quis confundens Sacramenta, ipſum baptiſmum ſacramentum eſſe pœnitentiæ dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint .... Anath. ſit*.

Confir. Nam in baptiſmi inſtitutione, & commiſſione nihil dicitur de poteſtate remittendi, aut retinendi peccata, benè vero in pœnitentia; ergo hæc ſacramenta ſunt diſtinctiſſima.

Objic. 1. cum hæreticis. Non reperitur ejus inſtitutio in Script. nec erat in uſu ab initio in Eccleſia; ergo gratis aſſeritur.

Reſp. neg. ant. quoad utramque p. nam falſitas ejus patet ex fundamento concluſionis.

Inſt. Si fuiſſet in Eccleſia, vel Scriptura, non fuiſſet opus id definire in Conciliis, quia id ſatis conſtaret per ſe; ergo &c.

Reſp. neg. ant. Nam myſteria Trinitatis, Incarnationis, &c. quæ conſtant apertiſſimè in Script. & traditione, debuerunt definiri in Conciliis ob

[1] *ibid. can. 2.*

petulantiam hæreticorum.

Objic. 2. Ad verum Sacramentum requiritur verbum, & elementum ab aliquo ministro applicatum; sed hæc non adsunt in pœnitentia; ergo non est verum sacramentum. Prob. min. Nam hic non adsunt res ullæ corporales.

Resp. neg. min. & ant. Nam peccata, ut confessa, tenent locum materiæ, seu elementi, & absolutio locum formæ, & verborum.

Inst. 1. ex S. Ambros. Non est necessaria confessio: *Nam lacrymæ lavant delictum, quod voce pudor est confiteri. Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego.* Ita est de aliis Apostolis, qui dereliquerunt Christum in passione ejus: nam debuissent recurrere ad hoc sacramentum; ergo tunc non erat institutum.

Resp. dist. cons. Non erat institutum tunc, quando sic peccarunt, sc. ante resurrectionem, conc. ante ascensionem, neg. cons. Ideo ex tunc Petrus, & alii debuerunt recurrere ad lacrymas, & contritionem.

Inst. 2. Nullus legitur ritus, nec verba præscripta à Christo; sed omnia ex nutu humano aguntur; ergo non est verum sacramentum à Christo institutum.

Resp. dist. ant. Nullus ritus formaliter, & explicitè, con. virtualiter, & implicitè, neg. ant. Nam hoc ipso, quòd Christus dedit Apostolis potestatem remittendi peccata, satis indicavit hoc fieri debere ex cognitione peccatorum, & per modum sententiæ, quę significet sensibiliter absolutionem internam peccatoris.

Inst. 3. Non constat ex ulla Scriptura promissio gratiæ; ergo nec quod sit sacramentum.

Resp. neg. ant. Nam hoc ipso, quod remittit peccata, satis patet, quod confert gratiam sanctificantem, sine qua non fit remissio, saltem de via ordinaria.

Objic. 3. nulla est necessitas hujus Sacramenti; ergo gratis asseritur. Prob. ant. Ab initio mundi usque ad Resurrectionem Christi sufficiebat virtus pœnitentiæ, seu contritio; ergo deinceps eadem sufficeret.

Resp. dist. ant. necessitas absoluta, & simpliciter, con. necessitas secundum quid, & magnæ congruentiæ, neg. ant. & 2. cons. quia post Redemptionem per Christum decuit Dei misericordiam instituere media certa, & sensibilia remissionis peccatorum, & sa-

salutis, qualia sunt Sacramenta, ut diximus de illorum necessitate.

Objic.con.2. p. ex Patribus, qui verba Euangelii, *Quorum remiseritis*, &c. explicant de potestate conferendi Baptismum, quo peccata remittuntur; ergo sacramentum pœnitentiæ non distinguunt à Baptismo. Prob. ant. Nam Patres concedebant Montanistis verba illa dici in favorem Catechumenorum baptizandorum; sed his non remittebantur peccata, nisi per baptismum; ergo &c.

Resp. neg. ant. & dist. maj. concedebant de Baptismo, etiam de pœnitentia, con. de solo baptismo, neg. maj. Nam id etiam dicunt de pœnitentia pro peccatis commissis post baptismum. Hæretici verò illi negabant haberi pro his peccatis ullum remedium. *In hoc rigidi sunt* (ait Hieron.) [1] *non quòd ipsi pejora non peccent, sed hoc inter nos, & illos interest, quòd illi erubescant confiteri peccata, quasi justi: nos dum pœnitentiam agimus, faciliùs veniam promeremur.... Sic ad omne pene delictum Ecclesiæ fores obserabant*, scil. Montanistæ; ergo Patres tribuebant etiam pœnitentiæ vim remittendi peccata æque, ac baptismo.

Objic.2. Idem effectus arguit eandem causam, & sacramentum; sed baptismi, & pœnitentiæ est idem effectus eodem modo productus, nempe remissio peccatorum; ergo sunt idem sacramentum.

Resp. dist. maj. idem effectus eodem modo productus, conc. maj. & neg. min. si diverso modo producatur, neg. maj. & cons. Baptismus causat remissionem, & gratiam per modum regenerationis, & ablutionis; pœnitentia verò per modum judicii, & absolutionis judicialis ex cognitione causæ, sc. audita confessione peccatoris.

CONCLUSIO II.

P*Oenitentiæ Sacramentum sufficienter describitur, absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis ex debita intentione prolatis à Sacerdote jurisdictionem habente ex institutione divina significans absolutionem animæ à peccato*. Est Doctoris verbatim.

Prob. 1. Nam sufficienter sic explicatur natura hujus sa-

[1] *Ep.* 54.

sacramenti, quale est in se, & prout cum aliis convenit, & ab illis differt, seu secundum genus, & differentiam ejus, nec aliter meliùs explicari potest; ergo &c. Prob. ant. per singulas particulas. 1. dicitur *absolutio*, ut designetur forma ejus. 2. *Hominis pœnitentis*, & sic designatur materia, & subjectum, in quo recipitur: nam ex Tridentino, [1] *Actus pœnitentis sunt quasi materia hujus Sacramenti*. 3 *facta certis verbis à Sacerdote prolatis*, &c. ut significetur necessitas verborum, & qualitas ministri. 4. *Ex institutione divina*, &c. ut designetur causa principalis efficiens tam Sacramenti, quod virtutem habet à Deo, & in quo convenit cum aliis, quàm ipsius rei, seu gratiæ, quam causat instrumentaliter. 5. *Significans*, &c. ut designetur effectus formalis hujus Sacramenti, & modus causandi, sc. per modum absolutionis juridicę. Aliorum descriptiones in hanc coincidunt, ut facilè videbis.

Objic. 1. In hac definitione non exprimuntur partes essentiales hujus Sacramenti; ergo non est bona. Prob. ant. nullibi apparet materia, & forma; ergo &c. Prob. ant. Nam ex Trid. cit. *Materia*, *& forma sunt actus pœnitentis*; sed hi actus non exprimuntur, nec etiam forma, quæ est, *Ego te absolvo*; ergo &c.

Resp. neg. ant & min. Nam per vocem *pœnitentis* designatur actus virtutis pœnitentiæ, quos elicit suscipiens, alioqui non diceretur pœnitens. Idem est de forma per vocem *absolutio*: nam significat formam consistere in verbis, quibus significatur absolutio interior animæ à peccatis, quod etiam notatur per ultimam particulam.

CONCLUSIO III.

POEnitentiæ *Sacramentum fuit immediatè à Christo D. institutum, quando insufflavit in Apostolos, dicens: Accipite Spiritum S. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c.

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui postquam attulit congruentias hujus institutionis, asserit positivè. *Dico, quod hoc factũ est*; & probat ex promissione, & verbis Christi. *Quodcumque ligaveris*, &c. Et, *Quorum remiseritis peccata*; &c. Et ex iisdem verbis probat præceptum, & necessitatem Confessionis Sacramentalis.

Prob.

[1] *Sess.14.c.3.* [2] *d.14.q.4.A.3.*

Prob. 2. 1. p. ex Concil. Trid. *Dominus autem pœnitentiæ Sacramentum præcipuè instituit, cùm à mortuis excitatus, insufflavit in discipulos, dicens: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis*, &c.

Prob. 3. ex dictis de institutione Sacramentorum in communi: nam eadem est ratio de isto, ac de aliis, nec potest assignari alius institutor, nec dici, quod per alium instituerit, quàm per seipsum; ergo &c.

Prob. 2. p. tum ex Concil. cit. tum 2. quia non habetur ex Scriptura ulla, quod antea fuerit institutum: fuerat quidem Apostolis promissa hęc potestas, ut notat Scotus; ut cùm dixit Petro: [1] *Tibi dabo claves ...* Et, *Quodcumque ligaveris*, &c. Sed de facto non fuit data, nisi post resurrectionem; tunc enim tantùm expresse dicit: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis*, &c. tum 3. non congruebat, ut eis daret potestatem in corpus mysticum ad ligandum, & solvendum, antequam essent sacerdotes, & haberent potestatem in corpus verum in Eucharistia conficienda. 4. denique, quia sicut ejus resurrectio est exemplar nostræ justificationis, *Resurrexit propter justificationem nostram;* sic illa debuit præcedere institutionem sacramenti, quo justificamur, & resurgimus in vitam gratiæ.

Objic. 1. con. 1. par. In lege scripta fiebant confessiones, & remissiones peccatorum; ergo hoc sacramentum existebat ante Christum. Prob. ant. In Levitico præcipitur Sacerdoti, [2] *ut confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & universa delicta, & peccata eorum*. Et minatur Deus gravissima supplicia, [3] *donec confiteantur iniquitates suas, & patrum suorum*. Et mandat his, qui deliquerint: *Confitebuntur peccata sua*, & alibi sæpius; ergo &c.

Resp. dist. ant. confessiones publicæ ad humiliationem, & in pœnam, conc. confessiones sacramentales, & secretæ, neg. ant. & conf. nam, ut patet ex illis locis, confessio in 1. fiebat à Sacerdote, non à populo; in 2. tam confitebantur aliena peccata, scilicet patrum suorum, quàm propria; neque confitentes absolvebantur interiùs.

Objic. 2. In Sacramentis, quæ Christus per se instituit, determinavit materiam, & formam, ut patet de Baptismo, & Eucharistia; sed pro Pœnitentia neu-

trum

[1] *Matth.* 18. [2] *Lev.* 16. 26. [3] *Num.* 5.

trum designat; ergo eam non instituit ut sacramentum.

Resp.neg.min.ut supra: nam assignat peccata pro materia & absolutionem remissivam pro forma. *Quorum remiseritis peccata*, &c.

Inst. Illa remissio fit per baptismum; ergo frustra est pœnitentia. Prob.ant. Illa remissio fit ex vi missionis Apostolorum in omnes gentes, quibus prædicare debebant remissionem peccatorum, *Baptizantes eos*, &c. sed hæc non indicat institutionem ullius sacramenti, nisi fortè Baptismi; ergo &c.

Resp.neg.ant.& maj. Nam illæ applicationes Scripturæ ad tales sensus sunt extortæ, & extra mentem Christi, ut docet Concilium. [1] In vero sensu loquitur de remissione per pœnitentiæ sacramentum, quod tunc inst tuebat.

Inst.2. Si adesset aliud sacramentum remissivum peccati præter baptismum, de illo non tacuisset Euangelium, nec Apostoli; sed de solo Baptismo loquuntur, & de pœnitentia loquuntur tantùm, velut de dispositione ad illum, non autem ut de sacramento speciali, *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque*; ergo &c.

Resp.neg.min. Nam loquuntur etiam de confessione: *Confitemini alterutrum peccata vestra*; & fatemur pœnitentiam ante baptismum non esse sacramentum, benè verò postea.

Objic. 3. Christus dedit eandem potestatem Apostolis, quam ipse habebat à Patre ad remittenda peccata; sed potestas Christi non pendebat à sacramento; ergo nec Apostolorum. Prob. maj. Dixit enim Christus: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; ergo &c.

Resp.neg.maj.& conf.prob. Nec enim illa similitudo potestatis inducit æqualitatem, nec perfectam identitatem; misit illos ut ministros, non ut magistros, & Dominos supremos, ut erat ipse.

[1] *sess.14.c.3.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quæ sit essentia hujus sacramenti.

EX definitione sacramenti pœnitentiæ patet, quòd multa in eo concurrunt, sc. contritio, confessio, & satisfactio ex parte subjecti, & absolutio ex parte ministri. Quædam habent rationem materiæ, alia formæ, ut patet de aliis sacramentis. Jam quærimus, an, & quænam ex illis dici debeant essentialia.

Conveniunt omnes illa omnia esse necessaria huic sacramento, sc. tres illos actus ex parte subjecti, & absolutionem ex parte ministri; sed disputatur inter Scholasticos, an utrique actus dicendi sint partes essentiales sacramenti, an integrales; sed, ni fallor, lis ista plus est de vocibus magis, quam de re, ad quam nihil refert, quænam dicantur essentiales, quæve integrantes, quænam importentur in recto, vel in obliquo, modò omnes, & singulæ necessariæ sint ad existentiam sacramenti, de quo omnes concordant.

Suppono autem ex Scoto, & aliis cōmuniter, quod sacramentum spectari potest 1. ut quoddam totum aggregatum ex rebus, & verbis, in quo fundatur relatio signi sensibilis gratiæ, quam significat practicè, & efficaciter. 2. spectari potest minus totaliter, sc. pro toto illo fundamento præcisè à relatione signi; & si illud constat rebus, & verbis: res autem dicuntur quasi materia, & verba quasi forma; quia sicut in compositis physicis materia dicitur id, quod habet rationem potentiæ, & est indeterminatum ad illam, vel illam speciem, & formam; forma autem dicitur id, quod potentiam illam actuat, & determinat; sic in sacramentis, quæ sunt composita moralia, pars magis indifferens, & indeterminata, & quasi subjectum dicitur materia; quæ autem determinat ad significandum, & operandum effectum, ad quem institutum est, dicitur forma ejus, ut sunt verba, per quæ fit, & confertur sacramentum. His suppositis

CON-

CONCLUSIO I.

E*Ssentia sacramenti pęnitentię adęquatè sumpti non consistit nec in solis actibus pęnitentis, nec in sola absolutione, sed in utrisque*. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto, [1] 1. quia utraque ponit in definitione hujus sacramenti, sc. tam absolutionem, quàm pœnitentiam. *Est absolutio hominis pęnitentis*, inquit. 2. quia requirit *ex parte susceptivi, quod sit pęnitens.... Ut hoc sacramentum dignè suscipiatur, requiruntur ut prævia, vel sequentia. Simpliciter enim requiritur confessio*, &c. ergo Scotus requirit tam actus pœnitentis, quàm verba absolutionis ad existentiam hujus sacramenti: non convenit tamen, quod sint partes ejus intrinsecæ, quia non considerat illud adæquatè secundum omnia, quæ includit, sed solum secundum id, quod importat in recto. Nam in sequenti distinctione agnoscit contritionem, & confessionem, ut partes pœnitentiæ, dicens: [2] *Non videtur, quod aliquis teneatur ad secundam partem pœnitentiæ, quæ est confessio, de quo non teneatur habere contritionem, vel attritionem, quæ est prima pars ejusdem*.

Prob. 2. ex Conciliis. Nam in Florent. in Decreto Eugenii, & in Trid. cit. docetur, quod actus pœnitentis sunt *quasi materia* hujus sacramenti, & forma sunt verba absolutionis; sed omne sacramentum includit essentialiter materiam, & formam; ergo ex Conciliis istud non consistit nec in solis actibus pœnitentis, nec in sola absolutione ministri, sed in utrisque.

Dices, Concilia loqui de materia *circa quam*, non de materia *in qua*, vel *ex qua*; & sic actus illi non sunt pars intrinseca, sicut objecta scientiæ, quæ sunt ejus materia *circa quam*, non sunt partes ejus.

Contra. Concilia loquuntur de materia hujus sacramenti, sicut de aliis; sed materia, quam assignant aliis, non est *circa quam*; ergo nec ista, quam assignant isti. Min. patet de Eucharistia, cujus materia est panis, & de baptismo, cujus materia est aqua: Prætereà, materia *circa quam* est ea, ad quam terminantur operationes humanæ, & vitales; sic materia

circa

[1] *ibid. & C. 5.* [2] *d. 16. q. 1. E. 7.*

circa quam pœnitentiæ est id, circa quod versatur actus ejus; sed isti non versantur circa contritionem, vel confessionem, vel satisfactionem: sed his actibus debent assignari objecta, quæ sunt peccata; ergo isti actus non sunt materia *circa quam* pœnitentiæ sacramenti, sed materia *ex qua*; ergo sunt partes intrinsecæ ejus.

Prob. specialiter 1. p. quia soli actus pœnitentis non significant gratiam sacramentalem, saltem sacramentaliter per modum signi sensibilis; ergo sacramentum hoc non consistit in illis actibus. Dico *sacramentaliter*: nam contritio perfecta potest causare gratiam, non per modum sacramenti, neque ex opere operato, sed per modum meriti, & ex opere operantis, & per actum purè internum, non autem per modum signi sensibilis. Si autem non sit perfecta, etiam cum confessione, nihil efficiet sine absolutione; ergo &c.

Prob. 2. nam reliqua sacramenta nec significant, nec causant sine forma; ergo nec istud. Ant. patet ex dictis de sacramentis in communi.

Prob. 2. p. Nam absolutio sine actibus pœnitentis nihil facit, & profertur inutiliter, ait Doctor; debet enim esse absolutio pœnitentis; ergo reus, qui absolvitur, debet esse pœnitens per actus suos proprios; ergo sine actibus pœnitentis absolutio non facit sacramentum.

Prob. 3. p. nam absolutio cum actibus pœnitentis perfectè, & sensibiliter significat gratiam remissivam peccati, & neutra sine altera id præstat; ergo hoc sacramentum constat essentialiter utrisque.

Confir. nam in aliis sacramentis totalitas essentialis includit materiam, & formam, & si altera desit, nihil fit; sed actus pœnitentis sunt materia, seu quasi *materia* (ut dicunt Concilia cit.) hujus sacramenti, & verba absolutionis sunt forma; ergo totalis essentia constat utrisque.

Confir. 2. nam in Baptismo v. gr. verba sine aqua, & ablutione, nec ablutio sine verbis non faciunt illud sacramentum, & idem est de aliis, quæ in usu consistunt; ergo nec in isto.

Objic. 1. cont. 1. p. Sacramentum in eo solo consistit, à quo denominatur in sua specie; sed istud in sua specie denominatur à solis actibus pœnitentis; ergo in

his consistit tota ejus essentia. Prob. min. nam dicitur specialiter essentialiter sacramentum pœnitentiæ; sed non est pœnitentia, nisi per illos actus; ergo &c.

Resp. neg. maj & 2. conf. nam denominatio rerum sumitur modò à causis, modò ab effectibus, modò à materia, modò à forma, modò à subjectis, &c. non autem semper à partibus intrinsecis, & essentialibus, vel ab omnibus simul.

Objic. 2. Deus dat gratiam remissivam intuitu solius pœnitentiæ, seu actuum pœnitentis; ergo in his solis est tota essentia sacramenti hujus. Prob. ant. Per illos solos peccator disponitur ad gratiam; ergo &c.

Resp. neg. ant. nam respicit etiam ad judicium, & absolutionem Sacerdotis. *Quorum remiseritis peccata,* &c. Respicit quidem ad interiorem dispositionem, seu ad actus pœnitentis, sed non totaliter. Unde si contritio non sit perfecta, non recipit gratiam, nisi adsit absolutio sacerdotis.

Objic. 1. cont. 2. p. ex Scoto. [1] *De pœnitentia sacramento dico, quod ista tria nullo modo sunt partes ejus: quia pœnitentia sacramentum est illa absolutio sacramentalis facta certis verbis*, &c. *Hujus autem nulla pars est contritio*; ergo ex Scoto tota essentia hujus sacramenti est in absolutione.

Resp. dist. conf. Hujus sacramenti inadæquatè sumpti, & secundum id, quod importat in recto, conc. adæquatè sumpti, neg. conf. Nam Doctor ibi respicit hoc sacramentum secundum id, quod principaliter importat juxta definitionem suam. Sed quando respicit illud adæquatè, & in tota sua essentia, verè agnoscit actus illos, ut partes ejus, ut patet ex verbis citatis; verè autem dicit, quod contritio non est pars absolutionis, sed totius sacramenti.

Inst. Docet, [2] quod illi actus non sunt neque partes pœnitentiæ sacramenti, neque virtutis, sed tantùm imperati ab illa virtute; ergo &c.

Resp. eodem modo neg. conf. Non enim loquitur de toto complexo hujus sacramenti; deinde, ut notat Hiquæus, dicit hos actus non esse partes formaliter inclusas in virtute illa, aut sacramento, sed virtualiter, si seorsim spectentur; sed non negat hoc de toto complexo sacramenti.

Objic.

[1] *d. 16. E. 7.* [2] *ibid. H. 9.*

Objic. 2. In eo consistit essentialiter sacramentum, per quod significatur sensibiliter totus effectus ejus; est enim essentialiter signum sensibile gratiæ; sed tota significatio gratiæ, quam causat, est in sola absolutione, & non in actibus pœnitentis; ergo in ea sola consistit tota essentia sacramenti hujus. Prob. min. nec contritio, nec confessio, nec satisfactio non significant remissionem peccati; ergo &c.

Resp. distin. maj. Per quod significatur, & causatur, conc. per quod nudè significatur sine efficientia, neg. maj. & min. Nam absolutio sine illis actibus significat quidem, sed non causat remissionem peccati, significat speculativè, non efficienter, & practicè.

Inst. Actus illi non significant gratiam sacramentalem; ergo nec causant sacramentaliter.

Resp. dist. antec. Non significant seorsim à forma, conc. cum forma, neg. ant. Nam sicut contritio, & confessio cum absolutione sunt actus judiciales, in quibus adest reus accusatus, & confitens, & judex absolvens, aut puniens, ita simul perficiunt totum sacramentum, & signum efficax gratiæ.

Objic. 3. Hoc sacramentum consistit, & operatur per modum judicii absolutorii; sed sola absolutio est talis actus judicialis; ergo sola est sacramentum.

Resp. dist. min. Sola absolutio, præsupposita materia judicii, conc. præcisa omni tali materia, nempe confessione, & pœnitentia rei, neg. min. nam illi actus rei simul operantur cum absolutione ministri, & hoc ex institutione divina. Certè si Sacerdos proferret absolutionem super reum non contritum, aut non confitentem, nihil faceret. Absolutio est quidem causa principaliter in suo genere instrumenti, sed non totalis.

Objic. 1. cont. 3. p. Sacramentum hoc est ens physicè simplex; ergo non constat tot partibus, ut sunt actus pœnitentis, & verba ministri. Prob. ant. Nam dicit relationem signi gratiæ remissivæ; sed hæc relatio est ens physicè simplex; ergo &c.

Resp. neg. ant. absolutè. Nam, ut dictum est, omne sacramentum constat materia & forma; & dist. min. relatio formaliter, & in abstracto, conc. in concreto, & cum suo fundamento, neg. min. nam ut relationes non existunt per se, & extra fundamentum, ita nec

ista,

ista, quæ fundatur in actibus pœnitentis, & ministri.

Inst. Concilia non dicunt actus pœnitentis esse materiam, *sed quasi materiam*; ergo non putant illud componi ex illis intrinsecè, & propriè, sed esse quid simplex.

Resp. neg. conf. Nam quòd loquantur cum illa restrictione, id solum probat, quod illi actus non se habent hìc, sicut materiæ aliorum sacramentorum, in quibus sunt res magis sensibiles, & sunt simul cum forma: hìc verò actus præcedunt, vel sequuntur, & sunt magis interiores, ut contritio.

Objic. 2. ex Concil. Trid. [1] *Vis, & efficacia hujus sacramenti præcipuè in absolutione sita est*. Idem dicit Coloniense. [2] *Pœnitentia ut sacramentum potissimum in absolutione consistit*; ergo in ea sola totum sacramentum hoc consistit.

Resp. neg. conf. Imo hinc infertur in sola absolutione non consistere totaliter, sed potissimum, seu principaliter, quia est forma ejus. Et id non negamus.

Objic. 1. In aliis sacramentis actus suscipientis non sunt partes eorum intrinsecæ; ergo nec in isto: nam omnia conveniunt in ratione sacramenti.

Resp. neg. conf. Nam singula etiam differunt in materia, & in modo juxta differentiam suam specificam ex institutione Divina. Ideò istud exigit hos actus suscipientis ex ratione sua specifica, & sine illis non valet.

Inst. Contritio non aliter requiritur in pœnitentia, quàm in baptismo adultorum; sed in illo baptismo non requiritur ut pars intrinseca; ergo &c.

Resp. neg. maj. Nam in baptismo illa requiritur tantum ut dispositio in habente peccatum mortale, nec ille confertur per modum judicii ex cognitione causæ, sicut pœnitentia, in qua Deus voluit pœnitentem, & confitentem, ut possit ferri sententia absolutoria.

Inst. 2. Partes intrinsecæ, & componentes debent uniri in toto; sed actus pœnitentis, & absolutio non uniuntur in hoc sacramento; ergo &c. Prob. min. tum quia sunt in diversis personis; actus sunt in reo, & forma in sacerdote; tum quia contritio, & confessio præcedunt, & satisfactio sequitur sacramentum.

Resp. dist. maj. Debent uniri physicè, aut moraliter, conc.

[1] *ibid. c. 3.* [2] *cap. 3.*

conc. physicè tantùm, neg. maj.& min. nam uniuntur moraliter, quod sufficit in ente morali, quale est sacramentum, & quod moraliter operatur.

Objic. 4. Sacramentum definitur *absolutio hominis pœnitentis*; ergo illa est totum sacramentum; sed illi actus non sunt partes absolutionis; ergo nec sacramenti. Prob. subs. 1. de contritione, quæ est actus internus, & non sensibilis. 2. de confessione oris, quia fieri potest per signa. 3. de satisfactione, quam præcedit sacramentum; ergo &c.

Resp. dist. ant. Definitur absolutio in recto, & ut actus principalis, in quo sita est vis sacramenti, conc. tamquam totalis ejus essentia, neg. ant. & cons. subsumpti; aliud enim est, quod non sint partes absolutionis, & aliud, quod non sint partes sacramenti adæquatè sumpti. Deinde contritio fit sensibilis per alios actus pœnitentis, & de illa debet constare aliquo modo sacerdoti; & signa supplent vices verborum in confessione, & satisfactio præcedit in voto, & omnia coexistunt moraliter absolutioni.

Objic. 5. Si actus pœnitentis essent partes intrinsecæ hujus sacramenti, non solus Sacerdos, sed & ipse pœnitens esset ejus minister; sed conseq. est falsum, & contra Concil. Trid. & Patres, & Theologos; ergo &c. Prob. maj. nam ille conferret, & causaret partem notabilem sacramenti; ergo &c.

Resp. neg. maj. & cons. prob. Nam ministerium sacramenti non attenditur penes ministrationem materiæ, sed formæ. Pœnitens verò ministrat solam materiam, & solus Sacerdos formam, nec illi actus sunt aliter pars sacramenti, quàm prout subsunt formæ & absolutioni.

Inst. Pœnitens causaret in se sacramentum, & gratiam, quia conferret actus, qui componunt sacramentum, & causant gratiam; ergo esset minister.

Resp. dist. ant. Causaret gratiam dispositivè, & materialiter per actus ad eam disponentes, conc. causaret ministerialiter, & activè, repræsentans causam principalem efficientem, ut Sacerdos repræsentat Deum, neg. ant. & 2. cons. non est enim inconveniens, quòd pœnitens concurrat dispositivè, & materialiter, & impetratoriè ad suam justificationem, ut facit per illos actus.

Inst.

Inst. 2. Si actus illi, aut pœnitens per illos cooperaretur ad gratiam, id faceret ex opere operato, quia talis est modus operandi sacramentorum; sed conf. est falsum, & contra omnes; ergo &c. Prob. min. nam in illis actibus non agnoscitur nisi ad summum dispositio, & meritum de congruo; ergo &c.

Resp. dist. maj. & min. Ex opere operato, prout actus illi subsunt absolutioni ex virtute clavium, conc. maj. & neg. min. secundum se, & præcisè ab absolutione, neg. maj. nam sub hoc respectu præciso sunt meræ dispositiones morales; cum absolutione autem sunt partes sacramenti, & concausæ morales gratiæ.

CONCLUSIO II.

H*Oc sacramentum adæquatè sumptum pro aggregato ex rebus, & verbis, in quibus fundatur relatio signi sacramentalis, importat absolutionem in recto, & principaliter, actus verò pœnitentis importantur in obliquo, & minus principaliter.* Est communis inter Scotistas.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] nam sacramentum hoc definit *absolutionem hominis pœnitentis*; & infra: [2] *Pœnitentia sacramentum est illa absolutio sacramentalis*, &c. ita ut non putet, quod actus pœnitentis sub hoc respectu sint partes ejus intrinsecæ, ut diximus.

Prob. 2. ex Trident. dicente, quod *pœnitentiæ vis præcipuè sita est in illis verbis ministri: Ego te absolvo.* Idem docet Concil. Colon. cit. eisdem ferè verbis.

Prob. 3. Id per concretum importatur in recto, quod in eo est principalius, ut dicunt Dialectici, & quod in explicatione nominis ponitur in recto; sed ex Conciliis cit. absolutio est principalius in hoc sacramento, & in ea est vis ejus præcipua, & in ejus definitione ponitur in recto; ergo &c.

Confir. Id principaliter, & in recto importatur per concretum, sine quo istud non potest consistere, id verò connotativè, & in obliquo importatur, sine quo idem concretum potest concipi saltem confusè, & minus perfectè; sed hoc sacramentum non potest consistere, nec concipi sine absolutione, benè verò sine illis actibus, saltem formaliter, & explicitè; ergo illa impor-

[1] *d. 14 q 4. A. 2.* [2] *d. 6. q. 1. E.*

importatur in recto, & isti in obliquo. Prob. min. In aliquibus casibus sufficere potest attritio, vel contritio implicita, & in aliis confessio in voto, sicut & satisfactio, quæ ordinariè adest solum in voto, numquam verò abesse potest absolutio formalis; ergo &c.

Prob. 2. Illud dicitur in concretis importari in obliquo, & connotativè, sine quo istud non potest perfectè concipi, quia illud necessariò connectitur, & consignificatur cum principali significato; sed tales sunt actus pœnitentis in hoc sacramento; habent necessariam connexionem cum absolutione; ergo &c. Prob. min. nam sacramentum hoc est judiciale: confertur per modum judicii; sed perfectum judicium non potest perfectè intelligi, nisi præsupponatur reus accusatus, & convictus, aut confessus; ergo nec istud sacramentum sine actibus pœnitentis, quibus accusat seipsum, & dolet de peccatis, & vult satisfacere, ut absolvatur.

Confir. Certum est, quod actus illi aliquo modo includuntur, & significantur nomine sacramenti pœnitentiæ, scilicet in recto, vel in obliquo, directè, vel indirectè, principaliter, vel minùs principaliter; sed non importantur directè, & principaliter ut probatum est; ergo indirectè tantùm.

Dices. Possunt importari æquè primò, & directè cum absolutione.

Contra. Concretum accidentale non potest æquè principaliter importare subjectum, & formam; sed tale est hoc sacramentum; est compositum ex rebus, & verbis, velut subjectum, & forma; ergo non potest æquè primò importare res, quales sunt actus, & verba, qualis est absolutio. Prob. maj. 1. ex regulis Dialecticæ. 2. quia tale concretum non est quid unum per se Logicè, nec Metaphysicè; ideò si quæras, quid sit album, dicetur, est subjectum habens albedinem, vel albedo in subjecto; ergo &c.

Objic. 1. Id importatur in recto per concretum, quod ex vi nominis datur intelligi; sed dantur intelligi actus pœnitentis, non absolutio; ergo &c. Prob. min. Hoc sacramentum dicitur pœnitentia; sed absolutio non est pœnitentia, benè verò contritio, & confessio; ergo &c.

Resp. neg. maj. Nam nomina non semper sumuntur

ex

ex essentia tota rei, neque ex parte principaliori, sed sæpiùs ex notiori, licèt minus principali, ut in hoc sacramento, quod dicitur pœnitentiæ, quia datur pœnitentibus, sic nomen habet à subjecto potiùs, quàm ab essentia.

Objic. 2. Hoc sacramentum est *judiciale*, vel *judicium sacramentale*; sed judicium æquè primo importat actus judiciales, v. gr. accusationem, & auditionem rei, aut confessionem ejus, & sententiam judicis; ergo &c.

Resp. neg. min. Nam judicium humanum, sicut & sacramentale importat primò sententiam absolutoriam, vel condemnatoriam, & secundariò illos actus judiciales.

Inst. Tam illi actus, quàm sententia sunt partes intrinsecæ sacramenti, & essentiales per nos; ergo istud æquè primò illos importat: nam in essentialibus non datur magis, & minus, & connotatum in obliquo non ingreditur conceptum rei, ut genus, vel differentia.

Resp. neg. 1. conf. & dist. 2. ant. In actibus, qui habent unitatem per se, Logicè, aut Metaphysicè, conc. in actibus, qui habent unitatem per accidens, neg antec. Sacramenta autem non habent unitatem, nisi per accidens, sunt aggregata ex rebus, & verbis, seu ex entibus diversorum generum, & hìc partes eorum non possunt æquè primò importari, ut patet de concretis accidentalibus.

Fateor tamen, rem esse parvi momenti quoad substantiam sacramenti, modò constet, quòd essentialiter includit utrumque, & actus, & absolutionem.

QUÆSTIO III.

De materia hujus sacramenti.

IN præcedentibus non semel locuti sumus de materia, & forma hujus sacramenti; sed, ut clariùs pateat quid sentiendum, id ex professo, & specialiter examinamus. Porrò suppono distinctionem materiæ *ex qua*, & *circa quam*, & *proximæ*, ac *remotæ*. In aliis sacramentis materia *ex qua* dicitur aliqua substantia physica, & realis, ut aqua in baptismo, chrisma in confirmatione, panis, & vinum in Eucharistia, &c.

Sed

Sed in pœnitentia nihil tale reperitur, ibi omnia constant actibus aliquot ex parte pœnitentis, ut contritio, confessio, & satisfactio, quæ non habent esse permanens, & substantiale, & ideò non dicuntur absolutè materia, sed *quasi materia*, ut loquitur Concilium, quia tenent locum materiæ. Et in hoc sensu hìc loquimur de materia pœnitentiæ.

CONCLUSIO I.

Actus illi pœnitentis sunt materia proxima hujus sacramenti, peccata verò omnia post baptismum commissa sunt materia remota, & circa quam ejusdem. Est communis.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto [1] dicente, quod *hæc tria requiruntur ad sacramentum pœnitentiæ ad hoc, ut dignè recipiatur, vel prævia, vel sequentia*; sed non requiruntur ut forma, quam dicit esse absolutionem; ergo ut materia.

Prob. 2. ex Conciliis. Nam in Florent. & Trid. cit. [2] dicitur: *Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio*, &c. Item ex Catechismo: nam ideo illi actus dicuntur quasi materia, *quia ejus generis materiæ non sunt, quæ extrinsecus adhibentur, ut aqua in baptismo*; ergo illi actus sunt materia ex qua hujus sacramenti.

Prob. 3. Illi actus respectu absolutionis se habent ut materia, sunt enim prævia ad illam, & per illam determinantur ad hoc, ut cum illa constituant sacramentum, & significent gratiam remissivam peccati; ergo &c.

Confir. De ratione omnis sacramenti est, ut constet rebus aliquibus, ut materia, & verbis tanquam forma; sed nihil est in isto, quod possit habere rationem materiæ præter istos actus; ergo &c. Min. patebit solutione objectionum.

Prob. 1. 2. p. ex Scoto dicente, [3] quòd *pœnitentia habet pro objecto malum*, sc. peccatum; sed objectum est materia circa quam; ergo &c.

Prob. 2. Materia circa quam dicitur id, circa quod habi-

[1] *d. 16. q. 1. E. 6.* [2] *sess. 14. c. 3.*
[3] *d. 14. c. 5.*

habitus versatur, materia proxima, qui sunt actus ejus; sed actus pœnitentis, & ministri in hoc sacramento versantur circa peccata post baptismum commissa; ergo hæc sunt materia hujus sacramenti remota, & circa quam. Prob.min. Hoc sacramentum institutum est, ut diximus, per formam judicii; sed materia remota, & circa quam judicii sunt crimina delinquentis; ergo &c.

Dixi autem, *peccata post baptismum commissa*, quia originale, & actualia commissa ante baptismum remittuntur per ipsum, non autem per aliud ullum sacramentum, quia baptismus est janua cæterorum.

Objic.1. Materia Sacramenti debet esse aliquid præter verba, constant enim Sacramenta rebus tamquam materia, & verbis tamquam forma; sed illi actus nihil sunt in sacramento præter verba; ergo &c. Prob.min. nam contritio, confessio, & satisfactio cognoscuntur in verbis.

Resp.neg.min.& ant. Nam sunt actus, & motus animæ reales, licèt per verba fiant sensibiles, imò & possunt aliter manifestari.

Inst. Materia sacramenti debet esse sensibilis; sed illi actus non sunt sensibiles, sunt motus purè interni; ergo &c.

Resp.dist.min. Non sunt sensibiles per se, & extra sacramentum, conc. in sacramento, & per verba, aut signa, neg.min.& cons. Sufficit enim, quod in sacramento manifestentur Sacerdoti.

Objic.1. Materia compositi debet uniri formæ, & esse simul cum illa; sed isti actus non uniuntur formæ hujus sacramenti; ergo &c. Prob. min. Contritio, & confessio illam præcedunt, & amplius non existunt, cùm datur absolutio, & satisfactio nondum existit.

Resp. dist. maj. Debent uniri physicè in composito physico, & permanenti, & moraliter in composito morali, conc. physicè in composito morali, & transeunti, neg.maj. & cons. Nam hoc sacramentum est compositum morale, & partes sibi succedunt physicè, coexistunt autem moraliter.

Inst. Compositum non potest esse sine materia sua, est enim pars ejus essentialis; sed hoc sacramentum potest esse sine confessione, & satisfactione, ut in homine moriente, qui subitò amittit vocem; hic enim absol-

absolvitur sine confessione, & non imponitur ei satisfactio; ergo &c.

Resp. dist. min. Sine confessione, & satisfactione in re, & quando adest impotentia, conc. sine illis in voto, neg. min. nam in illis casibus illa sunt in voto, quod moriens debet ostendisse per signa pœnitentiæ, & petitionis sacramenti.

CONCLUSIO II.

Peccata ut venialia sunt materia hujus sacramenti non necessaria, sed sufficiens; idem est de mortalibus validè confessis, & dimissis. Est communis.

Prob. 1. p. ex Scoto. [1] *Dico, quod ex statutis Ecclesiæ nullus tenetur ad confessionem venialium. Dico, quod simpliciter innocens à mortali, & veniali tenetur simpliciter non confiteri; sed si est tantùm innocens à mortali, potest confiteri venialia, & potest non confiteri;* ergo venialia sunt materia non necessaria, sed sufficiens. Sine ullo autem peccato illicita est confessio, quia frustratur sacramentum defectu materiæ sufficientis; *unde*, inquit, *si B. Virgo fuisset confessa Petro post ascensionem, peccasset confitendo.*

Prob. 2. ex Concil. Trid. [2] *Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam ... possunt.*

Prob. 3. nam venialia sunt verè peccata post baptismum commissa, & materia pœnitentiæ, & egent remissione, licèt non privent hominem gratia Dei, nec excludant à gloria; ergo sunt materia sufficiens, sed non necessaria hujus sacramenti.

Prob. 2. p. ex Scoto, [3] qui quærens, *an iterata eorumdem peccatorum confessio vi clavium plus, & plus de pęna remittat*, Respondet, *videtur probabile, quod sic*. Inferiùs verò ait, *videtur probabilius, quod 2. absolutio virtute clavium nullam partem pęnę remittit .... Non dico, quod illicitum, vel impossibile sit iterari:* ergo ex Scoto peccata confessa, & remissa sunt materia licita, & sufficiens sacramenti hujus, licèt non sit certus de utilitate.

[1] *d.17. R. & Y.32.* [2] *sess.14. c.5.* [3] *D.19. G.30.*

Prob.2. ex Constit. Benedicti XI. [1] *Licèt de necessitate non sit iterum confiteri eadem peccata, tamen, quia propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars, ut eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre*. Et cap. *quem pœnitet*, dicitur, [2] quod *peccator quantò pluribus confitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis, tantò facilius consequetur misericordiam remissionis.*

Prob.3. ex praxi Ecclesiæ: nam in confessionibus generalibus, imò & in particularibus plurimi pii fideles sæpiùs subjiciunt clavibus peccata jam ritè, & sacramentaliter confessa, & remissa, & apud multas Religiones invitantur Religiosi ad confessiones generales, in quibus confessa, & remissa repetunt, & de iis absolvuntur.

Prob.4. Nam super eamdem aquam baptismalem potest sæpius iterari benedictio, & per eandem possunt plures baptizari, & si Deus reproduceret panem in una Missa consecratum, & consumptum, posset reproductus iterum consecrari, & sic de aliis; ergo nihil repugnat eadem peccata pluribus absolutionibus subjici.

Objic.1.cont.1.par. Quando Christus Dominus instituens hoc sacramentum dixit, *Quorum remiseritis*, &c. debuit ibi includere tam venialia, quàm mortalia, vel inclusit sola mortalia. Si 1. ergo utraque sunt materia necessaria: si 2. ergo non dedit potestatem remittendi venialia.

Resp. quod utraque inclusit, & neg. conf. inde illatam: nam potuit dare potestatem utraque dimittendi, & nolle obligare æqualiter ad omnia confitenda, ob rationem datam ex Conc. Trident. quia sc. venialia non excludũt à gratia, nec gloria, & pluribus aliis mediis possunt deleri.

Inst. Non dedit potestatem retinendi venialia; ergo nec remittendi: nam utramque simul, & eodem modo concessit.

Resp. neg. ant. Nam potest Sacerdos negare absolutionem venialium, v.gr. si videat hominem nolle de illis dolere, aut ab illis abstinere.

Objic.1. cont.2.par. nam potest eadem forma inservire distinctis sacramentis; ergo nec eadem materia.

Non

[1] *Extr. de privil.* [2] *de pœn. d.1.*

Non est enim minus essentialis, quam illa.

Respon. neg. conseq. nam peccata non sunt de materia intrinseca hujus sacramenti, sed extrinseca, & circa quam idem crimen potest esse materia plurium judiciorum, si adsint plures accusationes, aut confessiones.

Inst 1. Eadem absolutio non sufficit pro diversis peccatis successivè; ergo nec idem peccatum pro diversis absolutionibus.

Resp. neg. conf. & parit. quia absolutio est pars intrinseca sacramenti, non peccatum.

Inst. 2. Eadem absolutio sufficit pro pluribus sacramētis, ut si plures simul confiteātur; ergo valet paritas.

Resp. neg. conf. nam in illo casu una absolutio æquivalet pluribus, & proferri deberet pluraliter.

Inst. 3. Eadem contritio non sufficit pro diversis absolutionibus; ergo nec idem peccatum.

Resp. neg. conseq. nam contritio est actus transiens, & nihil de ipsa remanet in secunda confessione, quod appareat Sacerdoti, de peccato autem remisso quoad culpam potest aliquid restare remittendum, v.g. reatus pœnæ.

Objic. 2. ex Scoto cit. [1] *Simpliciter innocens à mortali, & veniali tenetur simpliciter non confiteri*: Sed qui non habet nisi peccata confessa, & remissa, est simpliciter innocens; ergo tenetur non confiteri.

Resp. neg. min. absolutè: nam qui semel peccavit, licèt dimissa sit ei pœna, & culpa, tenetur semper dolere, & pœnitere de eisdem, quoties de illis recordatur, & semper ab eis dicitur peccator; ergo non est simpliciter innocens, nec incapax absolutionis, quoties de illis confitetur, & dolet. Scotus autem loquitur de innocente simpliciter, qualis fuit B. V. M.

Inst. Scotus dicit nihil remitti per 2. absolutionem; ergo frustratur sacramentum; ergo peccata remissa non sunt amplius materia sacramenti.

Resp. neg. conf. nam non negat augeri gratiam, & sic non frustratur sacramentum.

Objic. 3. Materia illa redderet absolutionem falsam: nam veritas ejus consistit in remissione peccati, quam significat; sed non remitteret ullum peccatum; ergo &c.

I 3 Resp.

[1] *d. 17. Z. Y. 23.*

Resp.neg.ant.& dist.subs.Non remitteret per 1.gratiam,& formaliter, conc. per 2.gratiam,& æquivalenter, neg.subs. nam causaret augmentum gratiæ, quæ de se esset remissiva peccati, si adesset; alioqui habens perfectissimam contritionem, & per se remissivam omnium peccatorum, non deberet recipere absolutionem, quia hæc nihil remitteret.

Quæres, *an qui talia peccata confitetur, teneatur etiam de illis toties dolere.*

Resp.affirmativè, quia talis iteratio doloris est necessaria materia sacramenti.

Quæres 2. *an talis absolutio sit etiam fructuosa.*

Resp.affirmativè; quia sicut talis iteratio confessionis, & contritionis est opus bonum, & materia idonea sacramenti, ita & istud debet aliquid operari, sc.augmentum gratiæ, alioqui iteratio esset illicita, quia frustraret sacramentum.

Confir. ex cit. Constit. Benedicti XI. qua declarat iterationem esse salutarem.

Quæres 3.*an tales confessiones,& absolutiones dimittant aliquid de pœna temporali peccatis debita.*

Resp.probabiliter, quod sic, quia sunt opera bona; ergo debent aliquid operari.

Confir.Illa absolutio operatur augmentum gratiæ; ergo & diminutionem pœnæ.

Dices, hoc esse contra Scotum cit.[1]dicentem. *Videtur probabilius, quod 2. absolutio virtute clavium nullam partem pœnæ remittit.*

Resp.cum Hiquæo, & Mastrio, [2] neg.ant. Nam Scotus ibi sic loquitur ex suppositione, quod pœnitens condignè, & completè satisfecerit toti pœnæ temporali, & tunc verè dicit, quod *cum fructu isto* (remissionis pœnæ, quam habet jam ex priori sacramento) *hoc sacramentum non est iterabile.* Sed non negat, quin remittatur, si reperiat aliquid remittendum post primam absolutionem.

QUÆ-

[1] *d.19 G.31.* [2] *ibid.disp.5.*

QUÆSTIO IV.

De forma hujus sacramenti.

SUppono istud sacramentum, sicut & cætera constare certis rebus, tamquam materia, de qua mox egimus, & verbis tamquam forma, de qua nunc agimus.

Suppono 2. ex iisdem principiis, maximè ex Concil. Florent. [1] quod forma sunt *Verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cùm dicit: Absolvo te*, &c. Tridentina Synodus [2] docet, *Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis verbis ministri positam esse, Ego te absolvo*, &c.

Suppono 3. quod in hoc non determinantur verba præcisa, sicut in aliis, inquit Doctor, [3] *Non est necesse ita præcisa verba in hoc sacramento, sicut in Baptismo, vel Eucharistia; quia sufficit, quod exprimatur actus sententiæ absolventis*, &c. tamen communiter proferuntur ad minus hæc verba, *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris*, &c. Sed quæstio est de forma, & verbis absolutè necessariis.

CONCLUSIO.

AD formam validam hujus sacramenti necessariò requiruntur hæc verba à Sacerdote prolata: Absolvo te; & sufficiunt. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [3] quòd *communiter verba ista sunt apta, Ego te absolvo, quæcumque alia præmittantur, vel loquantur secundum diversam consuetudinem in diversis Ecclesiis.*

Prob. 2. ex Conciliis cit. nam in illis duobus verbis habetur verus, & sufficiens sensus verborum, quæ determinant, licèt deesse videatur vox, *Ego*: nam hæc satis exprimitur per verbum *absolvo* in 1. persona temporis præsentis, & indicativi modi. Idem patet ex Catechismo Romano. Est autem forma, *Ego te absolvo*, &c.

Prob. 3. Nam, inquit Doctor, hoc Sacramentum insti-

[1] *Decr. Eugen.* [2] *sess. 4. c. 3.*
[3] *d. 14. q. 4. B. 4.* [4] *ibid.*

institutum est, & confertur per modum judicii humani; sed in judiciis istis requiritur, & sufficit, ut exprimatur actus judicis, licèt non exprimat nec auctoritatem, in qua agit, nec debitum, à quo absolvit, vel propter quod condemnat reum; sed illa requisita exprimuntur in isto per hæc duo verba, *absolvo te*; ergo sufficiunt in isto, quamvis non dicat *ego*; nec *à peccatis*, nec faciat mentionem de auctoritate Divina sibi commissa per hanc particulam, *in nomine Patris*, &c.

Prob.4. Illa verba requiruntur, & sufficiunt ad essentiam formæ hujus sacramenti, quæ significant principalem ejus effectum; sed id præstant hæc duo, *absolvo te*; ergo &c. Maj. patet ex dictis: nam ad essentiam sacramenti sufficit, quòd efficiat, quod significat, & significet, quod efficit. Prob. min. hoc sacramentum debet significare, quod Sacerdos remittit peccata confitenti cum debita dispositione; sed hoc significant verba illa prolata super talem hominem; ergo &c.

Objic. 1. In omni judicio exprimitur auctoritas, ex qua judex pronuntiat; sed Sacerdos in isto procedit ex auctoritate Dei, & hoc per sola duo illa verba non exprimitur; ergo &c.

Resp. neg. maj. Nam licèt id sæpe in judiciis humanis exprimatur, non tamen semper, nec id necesse est, & maximè in isto, in quo Christus id non præcipit, sicut in baptismo; sed tantùm ut remittant peccata, aut retineant.

Inst. Nisi exprimatur nomen Dei, aut personarum Trinitatis, sensus verborum falsus est; ergo illa non faciunt sacramentum. Prob. ant. Illa verba significant Sacerdotem propria, non divina auctoritate absolvere; sed hic sensus falsus est; ergo &c.

Resp. neg. utrumque ant. nam significant, quod Sacerdos absolvit auctoritate, quam habet; sed non habet, nisi delegatam à Deo, & ministerialem; ergo aliud non significat per illa verba.

Inst.2. Si hæc particula, *In nomine Patris*, &c. non esset necessaria, non præciperetur ab Ecclesia; sed conf. est falsum, ut constat ex Ritualibus; ergo &c.

Resp. neg. maj. nam multa solent apponi in formis sacramentorum ad majorem claritatem, & instructionem fidelium, quamvis non sint de essentia eorum, ut dixi-

diximus de baptiſmo, & aliis, & peccant quidem, qui ſine urgenti ratione omittunt, ſed tamen validè faciunt.

Objic. 2. De ratione ſacramenti eſt, ut ſignificet ſenſibiliter id, quod operatur inſenſibiliter; ſed hoc non præſtant hæc duo ſola verba; ergo nec faciunt. Prob. min. Inviſibiliter operatur remiſſionem peccatorum; ſed id non ſignificant illa duo verba ſola; ergo &c. Prob. nihil ſignificant de peccatis, & poſſunt intelligi de pœnis æque, ac de peccatis.

Reſp. neg. 1. & 2. min. & antec. Nam verba determinantur ad ſignificandam remiſſionem materiæ ſibi appoſitæ per confeſſionem, quæ ſunt peccata: ſicut ſi debitor fateatur creditori debitum, ſufficiet, ut iſte dicat, *abſolvo te*, vel *remitto tibi*, ut intelligatur illi remittere debita confeſſa animo obtinendi remiſſionem.

Inſt. Alia ſacramenta explicitè exprimunt totum effectum; ergo & iſtud; ſed id non facit per ſola illa verba; ergo non ſufficiunt.

Reſp. neg. ant. & ſubſ. nam ſufficit, quod id exprimant implicitè, ita ut effectus eorum ſatis intelligatur ex circumſtantiis, & ex materia appoſita. Sic in baptiſmo non exprimuntur originale, nec actualia.

Objic. 3. Ad valorem ſacramenti debet adhiberi forma per Eccleſiam præſcripta, quando non habetur determinata in Euangelio, ut forma baptiſmi; ſed Eccleſia determinavit hæc verba, *abſolvo te à peccatis tuis, in nomine*, &c. ergo &c. Prob. min. ex Conciliis Tridentino, Florentino, & Moguntino, in quibus hæc præſcribuntur.

Reſp. diſt. maj. Si ſit determinata, ut abſolutè neceſſaria, conc. ſi ut neceſſaria ſecundum quid, & ad melius eſſe, neg. maj. & conſ. nam inde ſequitur non poſſe fieri aliter licitè, licèt validè, maximè ſi urgeat ratio ſic faciendi.

Inſt. Saltem debet exprimi perſona miniſtri; ergo non debet omitti vox *ego*, quæ illam exprimit. Prob. ant. ex Scoto dicente hæc verba ſufficere, *ego te abſolvo*; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. exprimi explicitè, vel implicitè, conc. explicitè, ſaltem neceſſario, neg. antec. Hoc autem fit per verbum *abſolvo*, ut diximus, nec aliud intendit Scotus.

Inst.2.Non minus necessaria est vox *ego* ex parte ministri, quàm *te* ex parte subjecti; sed hæc necessaria est absolutè; ergo & illa.

Resp.neg.maj. nam vox *absolvo* non potest distrahi, nec intelligi de alia persona, quam de ministro proferente; sed nisi apponat particulam demonstrativam *te*, dubitari potest, an dicat de uno, vel de pluribus, an de Petro, vel de Paulo, si ambo sint præsentes: imò & de rigore extendi posset ad absentes.

Loquor autem de forma absolutè necessaria ad valorem sacramenti, seu ex necessitate rei, non autem de necessitate præcepti, sine qua non potest licitè fieri. De ista non dubitatur, quin debeat Sacerdos dicere super confitentem ad minus, *Ego te absolvo à peccatis tuis*. Conclusio ergo procedit de necessitate absoluta sacramenti.

Constat ergo, quod valeret, si omitteretur vox *ego*, non autem si omitteretur *te*, item valeret, si omitteretur particula, *à peccatis tuis*, vel *in nomine Patris*, &c.

Constat etiam ex Scoto nequidem necessaria esse formalia verba, *absolvo te*, vel *ego te absolvo*, sed sufficere æquivalentia, ut si dicat, *dimitto tibi*, vel *remitto tibi peccata tua*. Nam Christus instituens hoc sacramentum, non determinat ulla verba præcisa, sed dixit, *Quorum remiseritis peccata*, &c. Et præfigurans, quæ facturus erat per hanc institutionem, utebatur his verbis erga peccatores, *Remittuntur tibi peccata tua*. Sufficiunt ergo verba, quæ significent hanc remissionem.

Quæres, *an necessaria sit manus impositio super pœnitentem, dum absolvitur*.

Resp. quod licèt soleret Ecclesia imponere manus super publicè pœnitentes, quando publicè reconciliabantur Ecclesiæ, & soleant confessarii extendere manum super privatos pœnitentes, tamen hæc cæremonia non est de necessitate sacramenti. Ratio est, quia nullibi hoc præcipitur in Scriptura, vel Conciliis ut necessarium in hujus sacramenti administratione. Imo cõstat ex Concilio Arausicano I. & Carthagin.IV. quod moribundi, etiam separati, & addicti publicæ pœnitentiæ, privatim absolvebantur sine hac cæremonia, sed si huic absolutioni supervivebant sanitatem recuperantes, tenebantur se se Ecclesiæ præsentare, *ut legi-*

legitimam communionem reciperent cum reconciliatoria manus impositione; ergo in sacramentali absolutione hæc cæremonia non erat necessaria.

QUÆSTIO V.

Quis sit verus sensus verborum formæ, Ego te absolvo à peccatis tuis.

QUamvis satis conveniant Theologi nostri de verbis istis, *Ego te absolvo à peccatis tuis*, plurimi tamen dissentiunt de sensu eorum. Quidam putant idem significare, ac si diceret, *ego te declaro*, seu *judico absolutum*, ut Magister in hoc comparans Sacerdotes nostros cum Mosaicis, qui non mundabant leprosos, sed declarabant mundatos. Alii volunt idem esse; ac si diceret, *sacramentum pœnitentiale*, vel *absolutionis tibi trado*. Alii, quasi diceret, *ego te libero à pœna æterna*. Alii, *ego te libero à pœna temporali*, si videlicet pœnitens accedat perfectè contritus, vel sine peccato mortali, & sic liber à pœna æterna. Alii, *ego te libero ab obligatione iterum confitendi*. Alii, *ego te libero ab exilio cœlestis patriæ*. Alii denique, *tibi remitto peccata tua*, ministerialiter tamen. Vides quot somnia circa voces adeo claras?

CONCLUSIO.

ISte ultimus est verus sensus horum verborum: *Tibi remitto peccata tua*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, *Absolutionem fieri certis verbis significantibus ablutionem animæ à peccato.* Et infra referens opinionem Magistri dicentis, quod *in solvendis, vel retinendis culpis ita operatur Evangelicus Sacerdos, & judicat, sicut olim legalis in illis, qui erant contaminati lepra*, addit, [2] *sed istud videtur nimis derogare sacramento pœnitentiæ: nam secundum hoc per sacramentum pœnitentiæ nunquam deleretur peccatum*; ergo censet, quod per absolutionem sacramentalem verè dimittitur peccatum.

Prob. 2. Verba absolutionis verè, & propriè significant id, quod operantur; sed verè operantur instru-

[1] *ibid. A. 2.* [2] *ibid. D. 5.*

mentaliter remissionem peccati; ergo id verè,& propriè significant. Min.patebit ex dicendis de effectu ejus. Major verò patet ex dictis de sacramentis in genere.

Confir. contra alios sensus, qui tribuuntur illis verbis: nam nullus eorum explicat verè effectum istum, ut patet discurrenti per singulos. Nam 1. quid est *declarare peccata esse remissa à Deo*, vel *hominem esse absolutum à Deo*, non est remittere, vel absolvere. Concilium Trid.[1] dicit anathema iis, qui non tribuunt alium effectum huic sacramento,nisi talem declarationem. Et Christus non dixit Apostolis, *quorum declaraveritis*, sed *remiseritis*; denique sacramenta non causarent, quod significant.

2. Explicat hæc verba, *absolvo te; per sacramentum absolutionis tibi trado*, est illud explicare per obscurius, & remotius: nam agitur de sensu, & effectu ipsius sacramenti, quod consistit principaliter in illis verbis. Sanè cùm quæritur de sensu verborum, *absolvo te*, pueriliter respondetur, nihil aliud esse,quàm *sacramentum absolutionis tibi trado*.

3.& 4. Hæc verba debent significare id, quod Christus, & Sacerdos intendunt facere per illa; sed non intendunt remittere solam pœnam æternam, vel temporalem; ergo malè sic explicantur hæc verba. Prob. min. Christus, & Sacerdos de mente Christi intendit remittere peccata; sed hæc non sunt pœna æterna, nec temporalis; ergo &c.

Confir. ex Concil. Trid. [2] Per sacramentum non solum pœna, sed & culpa remittitur, nec pœna remitti potest sine culpæ remissione; & denique quando sacramentum sumitur in statu gratiæ, falsus esset sensus quoad pœnam æternam: nam hæc non remitteretur; ergo &c.

Confirm. de utraque pœna: nam in proprio sensu remittere pœnam non est remittere peccata; hæc enim sunt separabilia, potest remitti reatus culpæ, & non pœnæ, saltem temporalis, & multis aliis mediis potest peccator liberari ab hac pœna, cujus debitum remanet post absolutionem, ver. gr. per contritionem intensam, per indulgentias, & alia bona opera, &c.

5. Idem

[1] *sess.14.* [2] *sess.6.c.14.*

5. Idem & de illo sensu, *libero te ab exilio Paradisi*, coincidit enim cum illo, *libero te à pœna æterna*, seu damnationis. Et iste sensus est valde metaphoricus, & falsus esset, quoties recipitur Sacramentum in statu gratiæ, & sine mortalibus.

6. Idem est à fortiori de isto, *libero te ab obligatione iterum confitendi hæc peccata*. 1. illa obligatio non est peccatum. 2. hoc non est remittere peccata in bono ullo sensu; ergo hæc explicatio vana est, ac omninò impertinens.

Objic. 1. Sacerdos non potest velle significare per absolutionem, nisi quod potest efficere; sed non potest aliud facere, quàm declarare peccati remissionem, quæ soli Deo reservatur; ergo nec aliud significare, quàm talem declarationem. Prob. min. ex Script. dicente Deo, [1] *Iniquitates vestras ego deleo*. Et, *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* ajunt Pharisæi.

Resp. neg. min. & dist. ant. Solus Deus remittere potest propria authoritate, & principaliter, con. ex commissione Dei, & ministerialiter, neg. ant. nam Deus per Christum hanc potestatem commisit Apostolis, & eorum successoribus in Ecclesia. Idem argumentum, & responsio facit pro aliis Sacramentis.

Inst. ipsa confessio peccatoris supponit eum jam esse suscitatum per gratiam. Nam inquit August. [2] *Nemo potest confiteri, nisi suscitatus: Lazarus enim prius suscitatus est, quàm de monumento eductus*. Item, *A mortuo, velut qui non est, perit confessio*; ergo antequam Sacerdos dicat *absolvo te*, pœnitens est liber à peccatis, ergo non remittit peccata.

Resp. neg. ant. & dist. prob. Nisi suscitatus imperfectè per gratias excitantes, & juvantes, con. perfectè, & per gratiam sanctificantem, neg. ant. nec enim id prætendit Augustinus, nec alii Patres. Scotus etiam distinguit de confessione laudis, quam non facit, nisi suscitatus, & justus: negat hoc de *confessione fraudis*, seu peccati: illa non prodest mortuis, seu peccatoribus, benè verò ista per sacramentum.

Inst. 2. Saltem quando homo accedit perfectè contritus, absolutio habet illum sensum declarativum.

Resp. neg. subsumptum: nam etiam tunc absolutio

[1] *Is.* 43. [2] *in Jo. c.* 11.

tio aliquid aliud operatur, sc. augmentum gratiæ, quæ ex se est remissiva peccati, si adsit, & pœnæ temporalis, si quæ restat solvenda.

Inst.3. S. Hieron. arguit Sacerdotes, qui putant se absolvere peccatores, & remittere peccata; ergo non putat sensum absolutionis esse de remissione peccatorum. Prob. ant. nam in illa verba Christi ad Petrum, *Tibi dabo claves* &c. ait: [1] *Hunc locum non intelligentes quidam, aliud sumunt de superbia Pharisæorum, ut damnare innoxios, vel solvere putent noxios, cùm apud Dominum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur*. Et quid operetur explicans addit: *Quomodo ibi Sacerdos leprosum mundum, vel immundum facit; sic hìc alligat, vel solvit Episcopus. & presbyter, non eos, qui sontes sunt, vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandi sint, atque solvendi*; ergo sicut Sacerdotes Mosaici non mundabant leprosos, nec tollebant lepram; ita nec nostri remittunt peccata, sed declarant esse remissa.

Resp. Me jam adhuc monuisse, quòd locus Hieronymi ad litteram nimis probaret, sc. hoc officium Sacerdotis nostri in hoc Sacramento esse *nudum ministerium nuntiandi, & declarandi peccata esse remissa*; quem loquendi modum anathematizat Concil. Trid. [2] nam Sacerdos Mosaicus aliud non præstabat. Et Ecclesia damnat has Baji propositiones. [3] *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis* (hoc facit contra textum Hieronymi, & Augustini.) Item. [4] *In omnibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis.... datur vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum*. Et An. 1638. Academia Parisiensis similem, qua dicebatur, *absolutionem sacramentalem nihil aliud operari, quàm declarationem juridicam remissionis peccatorum per contritionem obtentæ*.

Resp.2. neg.1. & 2. cons. Nec enim est mens S. Doctoris, sed vult monere Episcopos, & Sacerdotes, ne temerè absolvant indignos, nec ligent insontes. *Sed pro officio suo, cùm audierint peccatorum varietates, sciant qui ligandi sint, aut solvendi*. Nam alibi positivè

[1] In c.16.*Matth.* [2] *sess.14 c.6 & can.9.*
[3] *prop.58.* [4] *prop.43.* [5] *To.3.q.9.*

tivè docet, [1] quod Apostoli *prima die Resurrectionis acceperunt Spiritus S. gratiam, qua peccata dimitterent, & baptizarent, & Filios Dei facerent, & Spiritum adoptionis credentibus largirentur, ipso Salvatore dicente: Quorum remiseritis*, &c.

Resp. 3. cum Scoto, [2] eam comparationem duplicem habere sensum. 1. *Affirmativum*, sc. quod sacerdos Euangelicus idem præstet peccatoribus, quod Mosaicus leprosis, ostendens peccatorem mundatum, sicut iste leprosum. 2. *Negativum*, quasi Euangelicus nihil ampliùs faciat per absolutionem suam erga pœnitentes, quàm Mosaicus erga leprosos, sc. meram declarationem mundationis, & in hoc comparatio claudicat: nam inquit Doctor. *Non dedit Deus in veteri lege aliquam cæremoniam, vel purificationem, cui ministrans ministro assistat regulariter ad mundandum lepram corporalem. Dedit autem in lege nova aliquod sacramentum, cui ex pacto regulariter assistat ad mundandum spiritualiter, nisi impediat obex contrariæ voluntatis*, sc. affectio peccati in suscipiente.

Objic. 3. Sacerdos cùm absolvit, verè administrat sacramentum absolutionis, & absolutio est verè administratio sacramenti; ergo absolutio nihil aliud significat, quàm *sacramentum absolutionis tibi trado*.

Resp. neg. cons. Nam hoc faceret sensum ridiculum verborum illorum, quasi si diceres, *ego te Baptizo*, significat, *sacramentum baptismi tibi trado*, &c. sic de aliis formis sacramentorum, quasi non essent nisi puræ cæremoniæ externæ, & vacuæ effectu interno, quia nullum talem effectum hæc verba significant. Deinde, *ego tibi trado*, &c. non plus significant, nec clariùs, quam *ego te absolvo*, ut patet.

Objic. 4. Absolutio significat solutionem ab aliquo vinculo, seu obligatione, quæ est in confitente; sed iste non habet aliud vinculum, vel obligationem, nisi ad pœnam æternam, aut temporalem; ergo absolutio significat solam liberationem ab illa pœna.

Resp. neg. min. Habet enim vinculum culpæ æquè, ac pœnæ, & ab ista non solvitur sine illa, quia peccatum est offensa Dei, ad quam sequitur reatus pœnæ, qui deletur per infusionem gratiæ. Non nego quin solvatur à pœna æterna, aut temporali, vel ab utra-

[1] *To. 3. q. 9.* [2] *Ibid. L. 11.*

Resp.neg.ant & dist.subs.Non remitteret per 1.gratiam,& formaliter,conc. per 2.gratiam,& æquivalenter, neg.subs. nam causaret augmentum gratiæ, quæ de se esset remissiva peccati, si adesset; alioqui habens perfectissimam contritionem, & per se remissivam omnium peccatorum, non deberet recipere absolutionem, quia hæc nihil remitteret.

Quæres, *an qui talia peccata confitetur, teneatur etiam de illis toties dolere.*

Resp.affirmativè, quia talis iteratio doloris est necessaria materia sacramenti.

Quæres 2. *an talis absolutio sit etiam fructuosa.*

Resp.affirmativè; quia sicut talis iteratio confessionis, & contritionis est opus bonum, & materia idonea sacramenti, ita & istud debet aliquid operari, sc.augmentum gratiæ, alioqui iteratio esset illicita, quia frustraret sacramentum.

Confir. ex cit. Constit. Benedicti XI. qua declarat iterationem esse salutarem.

Quæres 3.*an tales confessiones,& absolutiones diminuant aliquid de pœna temporali peccatis debita.*

Resp.probabiliter, quod sic, quia sunt opera bona; ergo debent aliquid operari.

Confir.Illa absolutio operatur augmentum gratiæ; ergo & diminutionem pœnæ.

Dices, hoc esse contra Scotum cit.[1] dicentem. *Videtur probabilius, quod 2. absolutio virtute clavium nullam partem pœnæ remittit.*

Resp.cum Hiquæo, & Mastrio, [2] neg.ant. Nam Scotus ibi sic loquitur ex suppositione, quod pœnitens condignè, & completè satisfecerit toti pœnæ temporali, & tunc verè dicit, quod *cum fructu isto* (remissionis pœnæ, quam habet jam ex priori sacramento) *hoc sacramentum non est iterabile.* Sed non negat, quin remittatur, si reperiat aliquid remittendum post primam absolutionem.

QUÆ-

[1] *d.19 G.31.* [2] *ibid.disp.5.*

QUÆSTIO IV.

De forma hujus sacramenti.

SUppono istud sacramentum, sicut & cætera constare certis rebus, tamquam materia, de qua mox egimus, & verbis tamquam forma, de qua nunc agimus.

Suppono 2. ex iisdem principiis, maximè ex Concil. Florent. [1] quod forma sunt *Verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cùm dicit: Absolvo te*, &c. Tridentina Synodus [2] docet, *Sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis verbis ministri positam esse, Ego te absolvo*, &c.

Suppono 3. quod in hoc non determinantur verba præcisa, sicut in aliis, inquit Doctor, [3] *Non est necesse ita præcisa verba in hoc sacramento, sicut in Baptismo, vel Eucharistia; quia sufficit, quod exprimatur actus sententiæ absolventis*, &c. tamen communiter proferuntur ad minus hæc verba, *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris*, &c. Sed quæstio est de forma, & verbis absolutè necessariis.

CONCLUSIO.

AD formam validam hujus sacramenti necessariò requiruntur hæc verba à Sacerdote prolata: Absolvo te; & sufficiunt. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [3] quòd *communiter verba ista sunt apta, Ego te absolvo, quæcumque alia præmittantur, vel loquantur secundum diversam consuetudinem in diversis Ecclesiis.*

Prob. 2. ex Conciliis cit. nam in illis duobus verbis habetur verus, & sufficiens sensus verborum, quæ determinant, licèt deesse videatur vox, *Ego*: nam hæc satis exprimitur per verbum *absolvo* in 1. persona temporis præsentis, & indicativi modi. Idem patet ex Catechismo Romano. Est autem forma, *Ego te absolvo*, &c.

Prob. 3. Nam, inquit Doctor, hoc Sacramentum insti-

[1] *Decr. Eugen.* [2] *sess. 4. c. 3.*
[3] *d. 14. q. 4. B. 4.* [4] *ibid.*

institutum est, & confertur per modum judicii humani; sed in judiciis istis requiritur, & sufficit, ut exprimatur actus judicis, licèt non exprimat nec auctoritatem, in qua agit, nec debitum, à quo absolvit, vel propter quod condemnat reum; sed illa requisita exprimuntur in isto per hæc duo verba, *absolvo te*; ergo sufficiunt in isto, quamvis non dicat *ego*; nec *à peccatis*, nec faciat mentionem de auctoritate Divina sibi commissa per hanc particulam, *in nomine Patris*; &c.

Prob. 4. Illa verba requiruntur, & sufficiunt ad essentiam formæ hujus sacramenti, quæ significant principalem ejus effectum; sed id præstant hæc duo, *absolvo te*; ergo &c. Maj. patet ex dictis: nam ad essentiam sacramenti sufficit, quòd efficiat, quod significat, & significet, quod efficit. Prob. min. hoc sacramentum debet significare, quod Sacerdos remittit peccata confitenti cum debita dispositione; sed hoc significant verba illa prolata super talem hominem; ergo &c.

Objic. 1. In omni judicio exprimitur auctoritas, ex qua judex pronuntiat; sed Sacerdos in isto procedit ex auctoritate Dei, & hoc per sola duo illa verba non exprimitur; ergo &c.

Resp. neg. maj. Nam licèt id sæpe in judiciis humanis exprimatur, non tamen semper, nec id necesse est, & maximè in isto, in quo Christus id non præcipit, sicut in baptismo; sed tantùm ut remittant peccata, aut retineant.

Inst. Nisi exprimatur nomen Dei, aut personarum Trinitatis, sensus verborum falsus est; ergo illa non faciunt sacramentum. Prob. ant. Illa verba significant Sacerdotem propria, non divina auctoritate absolvere; sed hic sensus falsus est; ergo &c.

Resp. neg. utrumque ant. nam significant, quod Sacerdos absolvit auctoritate, quam habet; sed non habet, nisi delegatam à Deo, & ministerialem; ergo aliud non significat per illa verba.

Inst. 2. Si hæc particula, *In nomine Patris*, &c. non esset necessaria, non præciperetur ab Ecclesia; sed consequens est falsum, ut constat ex Ritualibus; ergo &c.

Resp. neg. maj. nam multa solent apponi in formis sacramentorum ad majorem claritatem, & instructionem fidelium, quamvis non sint de essentia eorum, ut dixi-

diximus de baptismo, & aliis, & peccant quidem, qui sine urgenti ratione omittunt, sed tamen valide faciunt.

Objic. 2. De ratione sacramenti est, ut significet sensibiliter id, quod operatur insensibiliter; sed hoc non præstant hæc duo sola verba; ergo nec faciunt. Prob. min. Invisibiliter operatur remissionem peccatorum; sed id non significant illa duo verba sola; ergo &c. Prob. nihil significant de peccatis, & possunt intelligi de pœnis æque, ac de peccatis.

Resp. neg. 1. & 2. min. & antec. Nam verba determinantur ad significandam remissionem materiæ sibi appositæ per confessionem, quæ sunt peccata: sicut si debitor fateatur creditori debitum, sufficiet, ut iste dicat, *absolvo te*, vel *remitto tibi*, ut intelligatur illi remittere debita confessa animo obtinendi remissionem.

Inst. Alia sacramenta explicitè exprimunt totum effectum; ergo & istud; sed id non facit per sola illa verba; ergo non sufficiunt.

Resp. neg. ant. & subs. nam sufficit, quod id exprimant implicitè, ita ut effectus eorum satis intelligatur ex circumstantiis, & ex materia apposita. Sic in baptismo non exprimuntur originale, nec actualia.

Objic. 3. Ad valorem sacramenti debet adhiberi forma per Ecclesiam præscripta, quando non habetur determinata in Euangelio, ut forma baptismi; sed Ecclesia determinavit hæc verba, *absolvo te à peccatis tuis, in nomine*, &c. ergo &c. Prob. min. ex Conciliis Tridentino, Florentino, & Moguntino, in quibus hæc præscribuntur.

Resp. dist. maj. Si sit determinata, ut absolutè necessaria, conc. si ut necessaria secundum quid, & ad melius esse, neg. maj. & cons. nam inde sequitur non posse fieri aliter licitè, licèt validè, maximè si urgeat ratio sic faciendi.

Inst. Saltem debet exprimi persona ministri; ergo non debet omitti vox *ego*, quæ illam exprimit. Prob. ant. ex Scoto dicente hæc verba sufficere, *ego te absolvo*; ergo &c.

Resp. dist. ant. exprimi explicitè, vel implicitè, conc. explicitè, saltem necessario, neg. antec. Hoc autem fit per verbum *absolvo*, ut diximus, nec aliud intendit Scotus.

Inst.2.Non minus necessaria est vox *ego* ex parte ministri, quàm *te* ex parte subjecti; sed hæc necessaria est absolutè; ergo & illa.

Resp.neg.maj. nam vox *absolvo* non potest distrahi, nec intelligi de alia persona, quam de ministro proferente; sed nisi apponat particulam demonstrativam *te*, dubitari potest, an dicat de uno, vel de pluribus, an de Petro, vel de Paulo, si ambo sint præsentes: imò & de rigore extendi posset ad absentes.

Loquor autem de forma absolutè necessaria ad valorem sacramenti, seu ex necessitate rei, non autem de necessitate præcepti, sine qua non potest licitè fieri. De ista non dubitatur, quin debeat Sacerdos dicere super confitentem ad minus, *Ego te absolvo à peccatis tuis*. Conclusio ergo procedit de necessitate absoluta sacramenti.

Constat ergo, quod valeret, si omitteretur vox *ego*, non autem si omitteretur *te*, item valeret, si omitteretur particula, *à peccatis tuis*, vel *in nomine Patris*, &c.

Constat etiam ex Scoto nequidem necessaria esse formalia verba, *absolvo te*, vel *ego te absolvo*, sed sufficere æquivalentia, ut si dicat, *dimitto tibi*, vel *remitto tibi peccata tua*. Nam Christus instituens hoc sacramentum, non determinat ulla verba præcisa, sed dixit, *Quorum remiseritis peccata*, &c. Et præfigurans, quæ facturus erat per hanc institutionem, utebatur his verbis erga peccatores, *Remittuntur tibi peccata tua*. Sufficiunt ergo verba, quæ significent hanc remissionem.

Quæres, *an necessaria sit manus impositio super pœnitentem, dum absolvitur.*

Resp. quod licèt soleret Ecclesia imponere manus super publicè pœnitentes, quando publicè reconciliabantur Ecclesiæ, & soleant confessarii extendere manum super privatos pœnitentes, tamen hæc cæremonia non est de necessitate sacramenti. Ratio est, quia nullibi hoc præcipitur in Scriptura, vel Conciliis ut necessarium in hujus sacramenti administratione. Imo cōstat ex Concilio Arausicano I. & Carthagin.IV. quod moribundi, etiam separati, & addicti publicæ pœnitentiæ, privatim absolvebantur sine hac cæremonia, sed si huic absolutioni supervivebant sanitatem recuperantes, tenebantur se se Ecclesiæ præsentare, *ut legi-*

legitimam communionem reciperent cum reconciliatoria manus impositione; ergo in sacramentali absolutione hæc cæremonia non erat necessaria.

QUÆSTIO V.

Quis sit verus sensus verborum formæ, Ego te absolvo à peccatis tuis.

QUamvis satis conveniant Theologi nostri de verbis istis, *Ego te absolvo à peccatis tuis*, plurimi tamen dissentiunt de sensu eorum. Quidam putant idem significare, ac si diceret, *ego te declaro*, seu *judico absolutum*, ut Magister in hoc comparans Sacerdotes nostros cum Mosaicis, qui non mundabant leprosos, sed declarabant mundatos. Alii volunt idem esse; ac si diceret, *sacramentum pœnitentiale*, vel *absolutionis tibi trado*. Alii, quasi diceret, *ego te libero à pœna æterna*. Alii, *ego te libero à pœna temporali*, si videlicet pœnitens accedat perfectè contritus, vel sine peccato mortali, & sic liber à pœna æterna. Alii, *ego te libero ab obligatione iterum confitendi*. Alii, *ego te libero ab exilio cœlestis patriæ*. Alii denique, *tibi remitto peccata tua*, ministerialiter tamen. Vides quot somnia circa voces adeo claras?

CONCLUSIO.

ISte ultimus est verus sensus horum verborum: *Tibi remitto peccata tua*. Est communis.

Prob.1.ex Scoto [1] dicente, *Absolutionem fieri certis verbis significantibus ablutionem animæ à peccato.* Et infra referens opinionem Magistri dicentis, quod *in solvendis, vel retinendis culpis ita operatur Euangelicus Sacerdos, & judicat, sicut olim legalis in illis, qui erant contaminati lepra*, addit, [2] *sed istud videtur nimis derogare sacramento pœnitentiæ: nam secundum hoc per sacramentum pœnitentiæ nunquam deleretur peccatum*; ergo censet, quod per absolutionem sacramentalem verè dimittitur peccatum.

Prob.2. Verba absolutionis verè, & propriè significant id, quod operantur; sed verè operantur instru-

[1] *ibid.A.2.* [2] *ibid.D.5.*

mentaliter remissionem peccati; ergo id verè,& propriè significant. Min.patebit ex dicendis de effectu ejus. Major verò patet ex dictis de sacramentis in genere.

Confir. contra alios sensus, qui tribuuntur illis verbis: nam nullus eorum explicat verè effectum istum, ut patet discurrenti per singulos. Nam 1. qui est *declarare peccata esse remissa à Deo*, vel *hominem esse absolutum à Deo*, non est remittere, vel absolvere. Concilium Trid.[1] dicit anathema iis, qui non tribuunt alium effectum huic sacramento,nisi talem declarationem. Et Christus non dixit Apostolis, *quorum declaraveritis*, sed *remiseritis*; denique sacramenta non causarent, quod significant.

2. Explicat hæc verba, *absolvo te; per sacramentum absolutionis tibi trado*, est illud explicare per obscurius, & remotius: nam agitur de sensu, & effectu ipsius sacramenti, quod consistit principaliter in illis verbis. Sanè cùm quæritur de sensu verborum, *absolvo te*, pueriliter respondetur, nihil aliud esse,quàm *sacramentum absolutionis tibi trado*.

3.& 4. Hæc verba debent significare id, quod Christus, & Sacerdos intendunt facere per illa; sed non intendunt remittere solam pœnam æternam, vel temporalem; ergo malè sic explicantur hæc verba. Prob. min. Christus, & Sacerdos de mente Christi intendit remittere peccata; sed hæc non sunt pœna æterna, nec temporalis; ergo &c.

Confir.ex Concil.Trid. [2] Per sacramentum non solum pœna, sed & culpa remittitur, nec pœna remitti potest sine culpæ remissione; & denique quando sacramentum sumitur in statu gratiæ, falsus esset sensus quoad pœnam æternam: nam hæc non remitteretur; ergo &c.

Confirm. de utraque pœna: nam in proprio sensu remittere pœnam non est remittere peccata; hæc enim sunt separabilia, potest remitti reatus culpæ, & non pœnæ, saltem temporalis, & multis aliis mediis potest peccator liberari ab hac pœna, cujus debitum remanet post absolutionem; ver. gr. per contritionem intensam, per indulgentias, & alia bona opera, &c.

[1] *sess.14.* [2] *sess.6.c.14.*

5. Idem

5. Idem & de illo sensu, *libero te ab exilio Paradisi*, coincidit enim cum illo, *libero te à pœna æterna*, seu damnationis. Et iste sensus est valde metaphoricus, & falsus esset, quoties recipitur Sacramentum in statu gratiæ, & sine mortalibus.

6. Idem est à fortiori de isto, *libero te ab obligatione iterum confitendi hæc peccata*. 1. illa obligatio non est peccatum. 2. hoc non est remittere peccata in bono ullo sensu; ergo hæc explicatio vana est, ac omninò impertinens.

Objic. 1. Sacerdos non potest velle significare per absolutionem, nisi quod potest efficere; sed non potest aliud facere, quàm declarare peccati remissionem, quæ soli Deo reservatur; ergo nec aliud significare, quàm talem declarationem. Prob. min. ex Scipt. dicente Deo, [1] *Iniquitates vestras ego deleo*. Et, *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus?* ajunt Pharisæi.

Resp. neg. min. & dist. ant. Solus Deus remittere potest propria authoritate, & principaliter, con. ex commissione Dei, & ministerialiter, neg. ant. nam Deus per Christum hanc potestatem commisit Apostolis, & eorum successoribus in Ecclesia. Idem argumentum, & responsio facit pro aliis Sacramentis.

Inst. ipsa confessio peccatoris supponit eum jam esse suscitatum per gratiam. Nam inquit August. [2] *Nemo potest confiteri, nisi suscitatus: Lazarus enim priùs suscitatus est, quàm de monumento eductus*. Item, *A mortuo, velut qui non est, perit confessio*; ergo antequam Sacerdos dicat *absolvo te*, pœnitens est liber à peccatis, ergo non remittit peccata.

Resp. neg.ant. & dist. prob. Nisi suscitatus imperfectè per gratias excitantes, & juvantes, con. perfectè, & per gratiam sanctificantem, neg. ant. nec enim id prætendit Augustinus, nec alii Patres. Scotus etiam distinguit de confessione laudis, quam non facit, nisi suscitatus, & justus: negat hoc de *confessione fraudis*, seu peccati: illa non prodest mortuis, seu peccatoribus, benè verò ista per sacramentum.

Inst.2. Saltem quando homo accedit perfectè contritus, absolutio habet illum sensum declarativum.

Resp. neg. subsumptum: nam etiam tunc absolutio

[1] *Is*.43. [2] *in Jo.c.*11.

tio aliquid aliud operatur, sc. augmentum gratiæ, quæ ex se est remissiva peccati, si adsit, & pœnæ temporalis, si quæ restat solvenda.

Inst.3. S. Hieron. arguit Sacerdotes, qui putant se absolvere peccatores, & remittere peccata; ergo non putat sensum absolutionis esse de remissione peccatorum. Prob. ant. nam in illa verba Christi ad Petrum, *Tibi dabo claves* &c. ait: [1] *Hunc locum non intelligentes quidam, aliud sumunt de superbia Pharisæorum, ut damnare innoxios, vel solvere putent noxios, cùm apud Dominum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur*. Et quid operetur explicans addit: *Quomodo ibi Sacerdos leprosum mundum, vel immundum facit; sic hìc alligat, vel solvit Episcopus. & presbyter, non eos, qui sontes sunt, vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit, qui ligandi sint, atque solvendi*; ergo sicut Sacerdotes Mosaici non mundabant leprosos, nec tollebant lepram; ita nec nostri remittunt peccata, sed declarant esse remissa.

Resp. Me jam adhuc monuisse, quòd locus Hieronymi ad litteram nimis probaret, sc. hoc officium Sacerdotis nostri in hoc Sacramento esse *nudum ministerium nuntiandi, & declarandi peccata esse remissa*; quem loquendi modum anathematizat Concil. Trid. [2] nam Sacerdos Mosaicus aliud non præstabat. Et Ecclesia damnat has Baji propositiones. [3] *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis* (hoc facit contra textum Hieronymi, & Augustini.) Item. [4] *In omnibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis.... datur vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum*. Et An. 1638. Academia Parisiensis similem, qua dicebatur, *absolutionem sacramentalem nihil aliud operari, quàm declarationem juridicam remissionis peccatorum per contritionem obtentæ*.

Resp.2. neg.1. & 2. cons. Nec enim est mens S. Doctoris, sed vult monere Episcopos, & Sacerdotes, ne temerè absolvant indignos, nec ligent insontes. *Sed pro officio suo, cùm audierint peccatorum varietates, sciant qui ligandi sint, aut solvendi*. Nam alibi positivè

[1] *In c.16.Matth.* [2] *sess.14 c.6 & can.9.*
[3] *prop.58.* [4] *prop.43.* [5] *To.3.q.9.*

tivè docet, [1] quod Apostoli *prima die Resurrectionis acceperunt Spiritus S. gratiam, qua peccata dimitterent, & baptizarent, & Filios Dei facerent, & Spiritum adoptionis credentibus largirentur, ipso Salvatore dicente: Quorum remiseritis*, &c.

Resp. 3. cum Scoto, [2] eam comparationem duplicem habere sensum. 1. *Affirmativum*, sc. quod sacerdos Euangelicus idem præstet peccatoribus, quod Mosaicus leprosis, ostendens peccatorem mundatum, sicut iste leprosum. 2. *Negativum*, quasi Euangelicus nihil ampliùs faciat per absolutionem suam erga pœnitentes, quàm Mosaicus erga leprosos, sc. meram declarationem mundationis, & in hoc comparatio claudicat: nam inquit Doctor. *Non dedit Deus in veteri lege aliquam cæremoniam, vel purificationem, cui ministrans ministro assistat regulariter ad mundandum lepram corporalem. Dedit autem in lege nova aliquod sacramentum, cui ex pacto regulariter assistat ad mundandum spiritualiter, nisi impediat obex contrariæ voluntatis*, sc. affectio peccati in suscipiente.

Objic. 3. Sacerdos cùm absolvit, verè administrat sacramentum absolutionis, & absolutio est verè administratio sacramenti; ergo absolutio nihil aliud significat, quàm *sacramentum absolutionis tibi trado*.

Resp. neg. cons. Nam hoc faceret sensum ridiculum verborum illorum, quasi si diceres, *ego te Baptizo*, significat, *sacramentum baptismi tibi trado*, &c. sic de aliis formis sacramentorum, quasi non essent nisi puræ cæremoniæ externæ, & vacuæ effectu interno, quia nullum talem effectum hæc verba significant. Deinde, *ego tibi trado*, &c. non plus significant, nec clariùs, quam *ego te absolvo*, ut patet.

Objic. 4. Absolutio significat solutionem ab aliquo vinculo, seu obligatione, quæ est in confitente; sed iste non habet aliud vinculum, vel obligationem, nisi ad pœnam æternam, aut temporalem; ergo absolutio significat solam liberationem ab illa pœna.

Resp. neg. min. Habet enim vinculum culpæ æquè, ac pœnæ, & ab ista non solvitur sine illa, quia peccatum est offensa Dei, ad quam sequitur reatus pœnæ, qui deletur per infusionem gratiæ. Non nego quin solvatur à pœna æterna, aut temporali, vel ab utra-

[1] *To. 3. q. 9.* [2] *Ibid. L. 11.*

utraque, sed nego, quod in hac sola consistat primarius effectus, & significatio horum verborum.

Objic. 5. Primarius sensus horum verborum est ille, quem semper habent, & significant; sed non semper significant remissionem peccati, nec semper illam operantur, bene verò solutionem alicujus pœnæ; ergo hanc primariò significant, non illam. Prob. min. Aliquando pœnitens accedit perfectè contritus, & justificatus; sed tunc absolutio non efficit remissionem peccati, sed solius pœnæ; ergo &c.

Resp. neg. utramque min. Nam semper significant collationem gratiæ 1. aut 2. quæ de se est remissiva peccati, si adsit, licèt de facto non semper adsit illa materia, sc. peccatum remittendum.

Resp. 2. neg. eandem min. Nam sicut potest quis iterum, & sæpiùs obligare se ad idem, v. gr. ad idem votum, ita & sæpius solvi ab eadem obligatione, seu ab eodem peccato, accedente iterata ejus confessione, ut diximus supra de peccatis jam confessis, & remissis. Item potest quis sæpius remittere eandem offensam, renuntiando iterum, atque iterum juri puniendi eam, sc. quoties venia petitur.

QUÆSTIO VI.

An absolutio danda sit verbis deprecativis, ut valeat.

PUtant aliqui apud Græcos absolutionem dici deprecatoriè, imo & veteres quidam Theologi Latini dixerant eam aliter datam non valere: alii dandam esse partim optativè, seu deprecativè, & partim indicativè, aut imperativè, & contendunt, quod in Ecclesia Latina ante sæculum XII. dabatur verbis deprecativis. Ita Duhamel, & Juenin: quidam verò eam dandam esse verbis indicativis, sed validam fore, si detur deprecativè, v. g. si dicas, *absolvit te Christus*, vel *absolvat te*.

CON-

CONCLUSIO I.

A*bsolutio sacramentalis danda est verbis indicativis, aut imperativis, ut valeat.* Est hodie communis.

Prob.1. ex Scoto. [1] *Sufficit, quòd exprimatur actus sentētiæ absolutivæ ... communiter verba ista sunt apta, Ego te absolvo,* &c. *Congruum fuit hoc Sacramentum in verbis significativis absolutionem .... Pœnitentia est absolutio, id. sententia absolutiva, definitiva absolventis reum.* Et in reportatis, *Ista absolutio peccatorum non fit ab omni Sacerdote, sed à Sacerdote jurisdictionem habente*: Sed judicis sententia non datur per verba deprecativa, sed per indicativa, vel imperativa, & ad precandum non requiritur jurisdictio, sed id licet non solum omni sacerdoti, sed etiam laico, & cuilibet fideli, ergo ex Scoto absolutio non valet, nisi in indicativo, aut imperativo.

Prob 2. ex Concil. cit. Nam inquit Florent. *Forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert, cùm dicit, ego te absolvo,* &c. Et Trident. docet [2] *S. Synodus sacramenti pœnitentiæ formā .... in illis verbis positam esse, ego te absolvo*: sed hæc dicuntur indicativè; ergo &c.

Confir. si verba deprecatoria valerent, fieret hoc sacramentū, dum Sacerdos profert de more, *Misereatur tui*, &c. vel, *indulgentiam*, &c. vel, *Dominus noster J. C. te absolvat*; sed hoc est contra sensum totius Ecclesiæ; ergo &c.

Prob.3. ut valeat absolutio sacramentalis, danda est eo modo, quo significet practicè id, quod Christus intendit in ejus institutione; sed id non benè significatur verbis deprecatoriis; ergo in illis verbis non valet. Prob. min. Christus intendit, ut per formam judicii definitivi operetur remissionem peccati sacramentaliter; sed hoc non significaret, nec efficeret per modum judicii, si verba proferrentur deprecatoriè; ergo &c. Probat. min. Quia judex non solet proferre sententias suas per modum supplicantis; sic loqueretur non ut judex, sed ad summum ut mediator; absolutio non esset sententia definitiva, sed oratio, & in-

[1] *Ibid.* [2] *Sess.14.c.3.*

intercessio; sed Christus non commisit Apostolis onus, vel officium orandi, vel petendi, vel intercedendi pro remissione peccatorum, sed potestatem illa remittendi, *Quorum remiseritis*, &c. ergo &c.

Objic. 1. Sacerdos Euangelicus ibi se gerit erga peccata, ut Aaronicus Sacerdos erga Israelitas reconciliandos Deo; sed isti reconciliabant deprecatoriè; ergo & nostri. Prob. min. Nam Aaronicis dicitur. *Sic benedicetis filiis Israel, & dicetis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te .... invocabuntque nomen meum super filios Israel; & ego benedicam eis*; ergo ita & nostri debent dicere, *absolvat te Deus*, & non ego *te absolvo*.

Resp. neg. maj. Neque enim valet comparatio potestatis datæ sacerdotibus nostris, & Aaronicis, sicut nec comparatio Sacramentorum nostrorum cum antiquis; ista vocat Paulus *vacua, & egena elementa*; nostra verò sunt plena, & efficacissima, & operantur, quod significant. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*.

Inst. Non aliter per hæc verba dedit Christus Apostolis potestatem remittendi peccata, quàm pellendi morbos, vel dæmonia ejiciendi, & serpentes tollendi: tam enim positivè dixit, [1] *In nomine meo Dæmonia ejicient*, &c. Item, [2] *curate infirmos*; sed hæc non faciebant Apostoli indicativè, nec imperativè, sed deprecativè: ut cùm Petrus curavit paralyticum. *Ænea, sanet te Deus*; ergo &c.

Resp.1. neg. maj. Nam quæ pendent ab arbitrio Dei, non debent limitari, vel extendi ultra, vel citra intentionem ejus, de qua constat ex Scriptura, & sensu Ecclesiæ. Unde licèt Apostoli non uterentur, nisi verbis deprecatoriis, cùm pellerent Dæmones, aut morbos, non sequitur idem esse de potestate clavium.

Resp.2. neg. min. Nam sæpe usi sunt verbis indicativis, & imperativis, ut cùm dixit alteri paralitico: [3] *Quod habeo tibi do .... Surge, & ambula*. Item ad Æneam non dicit: *Sanet*, sed, *Sanat te Deus, surge, & sterne tibi*. Et resuscitans Tabitham dixit: *Tabitha surge*; ergo ex verbis, quibus utebantur in curandis infirmis, nihil infertur pro forma absolutionis, & efficacia Sacramentorum nostrorum.

Objic.

[1] *Luc.*10. [2] *Act.*9. [3] *Act.*9.33.*&* 40.

Objic.2. Non est minor efficacia Sacramenti pœnitentiæ, quàm extremæ unctionis; sed istud confertur deprecatoriè; ergo & illud. Maj. patet, quia vis omnium sacramentorum est æqualis. Prob. min. Nam in extrema unctione Sacerdos dicit, *Per istam S. unctionem parcat tibi Deus*; ergo &c.

Resp. dist. maj. Non minor in propria sua forma, con. in forma aliena, neg. maj. nam efficacia singulorum pendet à forma, & materia, in quibus instituta sunt: sicut ex Christi arbitrio pendebat eorum institutio. Sic extrema unctio in sua institutione confertur verbis deprecatoriis. [1] *Inducat presbyteros, ut orent super eum*. Non ita est de pœnitentia, ut patet ex Euangelio.

Objic.3. ex Patribus. Nam Dionysius [2] absolutionem vocat *deprecationem*. S. Pacianus, [3] *Qui fratribus suis peccata sua non tacet .... Christi precibus absolvitur*. S. Ambros. [4] *Ecce quia per Spiritum S. peccata donantur, homines autem in remissionem peccatorum ministerium exhibent suum, non jus alicujus potestatis exercent*, &c. 4. August. [5] reputat quasi hæreticum, qui dicere audet, *Ego peccata dimitto, ego justifico, ego sanctifico*, &c. Sanè id dixisset contra nostros pastores, si audisset eos dicentes, *Ego te absolvo*. S. Chrysost. [6] *Sacerdotes conferunt salutem non solum docendo, aut monendo,... sed etiam potestatem habent indulgendi peccata*, sc. orationibus adjuvando. 6. S. Leo, [7] *necessarium est, ut peccatorum reatus Sacerdotali supplicatione solvatur*; ergo forma est deprecatoria.

Resp. neg. cons. Nec enim id volunt Patres, quasi absolutio sacramentalis sit deprecatio, oratio, vel supplicatio; sed quia inter orationes, & supplicationes solet conferri, ut patet ex praxi, licèt non sint de essentia sacramenti. *De Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam non spectant*, &c. inquit Tridentinum cit. [8] 1. sic intelligendus est Dionysius. 2. Paciani verba duriora sunt, si velit Christum ipsum deprecativè absolvisse peccatores. 3. Ambrosius rectè dicit

[1] *Jac.5.* [2] *Hier.c.7.* [3] *Par.Pæn.*
[4] *L.3.de sp.S.19.* [5] *ho.23.ex 50.* [6] *L.de sacr.*
[7] *Ep.51.* [8] *sess.14.c.3.*

dicit Sacerdotes, non suo, sed Trinitatis nomine remittere peccata. Non negat autem, quòd id faciant potestate commissaria, & ministeriali, sed non oratoria. 4. August. meritò arguit ut hæreticos, qui hanc potestatem sibi arrogant ut propriam, ut Montanistæ, & Donatistæ, sed id non præsumunt Sacerdotes Catholici, nisi ministerialiter. 5. Chrysost. nobis favet, tribuens Presbyteris *potestatem indulgendi peccata*, sc. ministerialem, hoc non esset verum, si hoc non facerent, nisi per orationem. 6. Denique S. Leo largè sumit nomen supplicationis; loquitur in sensu Dionysii, quod sc. hoc Sacramentum, & absolutio confertur inter supplicationes.

Inst. ex S. Cypriano. [1] *Solus Dominus veniam peccatis potest largiri, qui pro nobis doluit. Homo non potest esse major Deo, nec remittere sua indulgentia potest servus, quod in Dominum commissum est*; ergo Sacerdos non remittit, nisi precatoriè.

Resp. neg. conf. Nam patet ex verbis Cypriani ipsum arguere illos, qui absque legitima potestate *contra Evangelii vigorem, contra Domini Dei Legem hoc præsumunt*; & eos, *qui imparatos, & impœnitentes absolvunt, eos reconciliando, qui à Diaboli aris revertentes, ad sanctum Domini sordidis manibus accedunt, mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes*. Denique docet hoc non facere Sacerdotes propria authoritate, qua *solus Deus potest largiri* veniam, *qui pro nobis doluit*. Non loquitur de potestate ministeriali, qua id facimus.

Objic. 4. Si forma deprecatoria non valeret, errasset Ecclesia Orientalis, & adhuc erraret; sed. conf. est falsum, & absurdum; ergo &c. Prob. maj. Ex illius Ecclesiæ ritualibus constat, quod confert absolutionem deprecativè; ergo conferret invalidè.

Resp. neg. maj. & ant. Nam, ut probat P. Frassen, [2] Græci adhibent quidem preces, sed post orationes absolvunt indicativè, aut imperativè his verbis, aut similibus: *Ego verò indignus servus ejus absolvo te*, vel, *Ego condono tibi*.... vel, *habeo te venia donatum*. Notat autem Arcudius peritissimus rituum Græcorum, quod quidam utebantur forma deprecatoria, sed ex ignorantia.

[1] *L. de laps.* [2] *Hic tr.* 1. *d.* 1. *a.* 2. *e.* 4. *n.* 10.

Objic.

Objic. 5. Sequeretur Ecclesiam Latinam errasse per 10. aut 12. priora sæcula: nam, ut prætendunt duo citati recentiores, Duhamel, & Juenin. usque ad initium sæculi XIII. utebatur forma deprecatoria; & id conantur probare ex antiquis ritualibus.

Resp. neg. maj. & prob. Nam in antiquis ritualibus studiosè dissimulabantur formæ, & verba sacramentalia, ne libris incidentibus ad infideles, hæc Sacra prophanarentur ab eis, & ipsa sacramenta. Item plures orationes, quas adducunt dicti authores, non erant formæ sacramentales, sed cæremoniæ erga pœnitentes publicos, qui reconciliabantur.

Inst. Author, quem impugnat S. Thomas Opusc. 22. dicebat formam indicativam suo tempore non fuisse antiquiorem 30. annis; ergo ante illos 30. annos forma deprecativa erat in usu, & hoc non arguit S. Thomas.

Resp. neg. cons. Imo S. Thomas illi scriptori objicit, quod ante 1200. & plures annos Christus dixerat Petro; *Quodcumque solveris*, &c. Et inde colligit necessitatem formæ indicativæ.

Inst. 2. Magister sententiarum, qui ex omnibus antiquis suas collegit sententias, non meminit formæ indicativæ. Et, ut scribit Guillielmus Parisiensis, *Confessarius non dicit more judicum forensium, absolvimus te, sed magis orationem facit super eum*, ut Deus absolutionem, & gratiam remissionis tribuat; ergo tempore Lombardi, & Guillielmi forma indicativa non erat in usu.

Resp. neg. cons. Nam inquit S. Thomas, nec legitur Magistrum formam contrariam invenisse apud Patres, & ante illum, & ante Guillielmum institutor sacramenti dixerat: *Quodcumque solveris*, &c. Et authoritas istius non impediebat, quin Regentes Parisienses contrarium docerent, sc. dicendum esse, *Ego te absolvo*.

QUÆSTIO VII.

An absolutio dari possit sub conditione.

Quoad conditiones eadem debet esse resolutio de isto, & de aliis Sacramentis. Illæ autem sunt vel de

de præsenti, ut si dicas, *Si es contritus, ego te absolvo*, vel de præterito, ut si dicas, *si restituisti, ego te absolvo*, vel de futuro, ut *si amplius non pecces, ego te absolvo*.

Suppono autem ex jure civili, quod *conditiones, quæ ad præsens, vel præteritum referunt, aut statim infirmant obligationem, aut omnino non differunt*. Non ita est de illis, quæ respiciunt futurum; istæ suspendunt valorem contractus, donec impleta sit conditio.

Rursus conditiones aliæ sunt *necessariò connexæ* cum actu ministri, aut cum ipso suscipiente, & quæ semper adsunt implicitè, vel explicitè; ut, *Si sum Sacerdos*, vel, *si tu es baptizatus, ego te absolvo*. Aliæ sunt *contingentes*, & *disparatæ*, & impertinentes ad sacramentum, ut *si Rex dormit, vel dormierit, aut dormiturus sit cras, te absolvo*. Aliæ sunt *impossibiles*, ut, *si ego sum omnipotens*, aut, *si tu es Angelus, te absolvo*. Quærimus de illis conditionibus, an absolutio cum illis valeat.

CONCLUSIO

NOn *valet absolutio cum conditione de re futura, nec de impossibili, nec de contingenti præterita, vel præsenti, quæ nihil pertinet ad sacramentum: benè verò de necessario connexa præsenti, vel præteritæ*. Est communior quoad omnes partes.

Prob. 1. ex Scoto, [1] dicente, quod in baptismo *si præmittatur, vel disjungatur, vel interponatur aliqua conditio, quæ non existat, v. g. si sum omnipotens, &c. nihil fit*. Eadem autem est ratio de absolutione; ergo &c.

Prob. 2. quoad 1. p. Nam per conditionem de futuro contingenti suspenditur effectus sacramenti, & redditur incertus; ergo invalidè fit. Ant. patet: nam sacramentum non valet, nisi dependenter ab intentione ministri; sed iste non intendit, ut valeat, nec operetur de præsenti, & donec conditio impleatur; ergo suspendit effectum sacramenti. Probat. autem 1. conf. quia sacramentum non valet, nec operatur, nisi juxta intentionem Christi instituentis; sed Christus non instituit illud, ut sic dependeat efficacia ejus; ergo

[1] *d. 3. q. 2. M.*

go &c. Prob. min. Christus voluit sacramentum esse signum certum gratiæ, quam significat, & ad quam institutum est; sed non esset signum certum talis gratiæ, si efficacia ejus penderet à talibus conditionibus, nec operaretur pro tempore, quo existit; ergo &c. Prob. min. nam si dicas, *absolvo te, si restitueris ablata*, vel, *si dederis eleemosynam*, nihil tunc operaretur absolutio ex intentione, donec facta esset restitutio, vel eleemosyna, & tunc non existeret ampliùs sacramentum, nec fortè dispositio pœnitentis, si ante impletam conditionem incideret in novum peccatum; ergo &c.

Prob.2.Nam 1. absolutio illa non valet, cùm profertur, quia tunc non existit conditio, nec Sacerdos intendit, quod tunc valeat. 2. non valet, quando ponitur conditio, quia tunc non existit absolutio, nec aliæ compartes ejus necessariæ; ergo tunc valere non potest. Prob. ant. pœnitens potest mori, aut de novo peccare ante impletam conditionem. Item minister potest retractare, & mutare intentionem, volendo v. g. ut absolutio sit absoluta, & sic efficacitas ejus penderet ab arbitrio ministri, & sic de aliis absurdis, quæ inde sequi possunt; ergo tales absolutiones sunt invalidæ, & sacrilegæ.

Prob.2.p. Nam conditio impossibilis destruit intentionem ministri; ergo & valorem absolutionis. Prob. ant. Nam qui dicit, *absolvo te, si sum omnipotens*, idem est ac si diceret, *nolo te absolvere, nisi sim omnipotens*: Sed scit se non posse esse omnipotentem; ergo nec se velle absolvere.

Prob.3.p. Nam, ut dicebam, valor, & effectus sacramenti debet esse certus, saltem moraliter, & minister nihil ei debet apponere, per quod reddatur incertus: hoc enim est contra mentem Christi instituentis; sed conditiones de re contingenti præterita, aut præsenti, & à fortiori de re futura reddunt incertum valorem sacramenti; ergo &c. Prob. min. Nam si dicis, *absolvo te, si Rex dormiat, vel dormierit*, valor sacramenti tam incertus est, quam illa conditio, seu quam dormitio Regis; sed hæc incertissima est, & nullam connexionem habet cum Sacramento; ergo &c.

Confir. Nam præterquam quod sacrilegæ essent tales

les absolutiones, dici potest deesse illis debitam intentionem: nam sacerdos, qui syncerè intendit absolvere, non apponit conditiones sic impertinentes, & incertas.

Prob.4.p. Nam tales conditiones non reddunt incertam significationem, & effectum verborum; ergo non impediunt valorem sacramenti. Prob. ant. nam illæ semper supponuntur subintellectæ, sive ponantur expresè, sive taceantur; ergo potiùs juvant. Prob. ant. tales sunt istæ, *Ego te absolvo, si sum sacerdos*, vel *si es*, aut *fuisti baptizatus*, vel *sufficienter attritus*, aut *integrè confessus*, vel *si habes sufficiens propositum non peccandi de cętero*, &c. Hæc enim sunt absolutè necessaria ex parte ministri, & suscipientis ad valorem Sacramenti, & quando non exprimerentur, adhuc præsupponerentur adesse ad valorem.

Objic.1. Conditiones, quæ non tollunt significatum verborum essentialium, non impediunt effectum sacramenti; sed appositio illarum conditionum non tollit significatum verborum illorum; ergo nec impedit valorem. Prob. min. hæc verba, *absolvo te à peccatis tuis*, semper idem significat sub quavis conditione, sive impossibili, sive futura, sive contingenti; ergo &c.

Resp. neg. utramque min. Nam per conditiones illas restringitur, seu distrahitur significatum, aut suspenditur operatio; nam si dicas, *absolvo te, si cras jejunaveris*, significas te nolle absolvere pro nunc, sed cras postquam jejunaverit; item si dicas, *absolvo te, si sum omnipotens*, significas te nolle absolvere, nisi sis omnipotens, saltem quantum ad sonum verborum; & sic nihil operantur.

Objic.2. Conditio de futuro non invalidat matrimonium; ergo nec absolutionem; nam eadem est ratio de utroque: nam conveniunt in ratione sacramenti. Prob. ant. nam contrahentes possunt dicere, *accipio te in meam*, vel *meum*, *si pater tuus cras consenserit*; & tunc matrimonium, quod ante consensum patris non valebat, dato consensu valet; ergo &c.

Resp.1. neg. ant. nam quandiu consensus non est absolutus, non est propriè per verba de præsenti, sed æquivalet matrimonio per verba de futuro, quasi diceret, *accipiam te cras, si pater tuus consenserit*, & tunc

tunc dato consensu patris, tenetur ipse consentire de præsenti. Ratio est, quia ex intentione Christi formæ sacramentorum sunt absolutæ. Igitur ante positionem conditionis matrimonium est inchoatum, sed non perfectum, nec ratum.

Resp.2. neg. parit. nam Christus pro matrimonio noluit mutare plures conditiones contractus humani, in quo admittuntur tales conditiones de futuro, ita ut non teneant ante illarum impletionem. Matrimonium autem est quidam contractus humanus elevatus ad rationem sacramenti. Non ita est de absolutione, & aliis sacramentis, quæ debent operari de præsenti.

Inst. sicut se habet sacramentum matrimonii ad contractus humanos, ita se habet absolutio in sacramento isto ad judicia humana; sed hæc judicia dari possunt, & valent cum conditionibus de futuro æquè, ac matrimonium; ergo & absolutio.

Resp.1. neg. maj. & disparitas petitur ex voluntate Christi, qui nihil determinavit circa matrimonium, benè verò circa hoc judicium, volens, ut sit determinatè absolutorium, vel retentivum, dicens: *Quorum remiseritis*, &c.

Resp.2.neg. min. Nam, ut diximus, matrimonium non habet rationem sacramenti, nisi quando contrahitur absolutè, & de præsenti per consensum mutuum contrahentium, impleta conditione.

QUÆSTIO VIII.

An valeat absolutio in scriptis ad absentem, seu an debeat esse vocalis.

IN definitione hujus sacramenti diximus ex Scoto illud *esse absolutionem hominis pœnitentis factam certis verbis*, &c. Jam quærimus de illis verbis, an debeant esse vocalia, & ore prolata, an verò sufficiat, si nutibus, aut scriptis exprimantur ad valorem Sacramenti, an verò tantùm ut licitè detur, seu ex necessitate rei, aut præcepti.

Item quia possent pœnitentes peccata sua scribere, & mittere ad confessarium, qui rescriberet absolutionem in forma, quæritur, an talis absolutio sit valida, aut licita.

CONCLUSIO.

Absolutio sacramentalis debet esse vocalis, **ita ut** *non valeat data in scriptis ad absentem*.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quod *forum istud ex natura sua est secretissimum; ergo non tenetur quis ad istud forum aliquo modo publicum*. Ideo non putat aliquem teneri ad confitendum per scripturam, quia *omnis scriptura ex natura sua nata est esse publica*: Sed eadem est ratio de absolutione; ergo &c. Addit quod *in scriptura ista tollitur verecundia, quæ est pœna magna in confessione, quando per scriptum confitetur*. Unde confessio ista minus valet.

Prob. 2. ex Concil. Nam Florent. dicit de omnibus sacramentis nostris, quod constant rebus, tamquam materia, & verbis, tamquam forma, & de isto dicit, quod forma ejus *sunt verba absolutionis, quæ profert sacerdos dicens, absolvo te*. Et Trident. [2] idem dicit; ergo censent verba absolutionis debere proferri ore ministri, non autem scribi.

Prob. ex Decreto Clem. VIII. 20. Junii an. 1602. quo proposita quæstione in Congregat. generali S. Officii, *utrum liceat per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere? Sanctissimus .... auditis votis Patrum Theologorum, hanc propositionem, sc. licere per litteras, seu internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam condemnavit, & prohibuit*; ergo ille modus tam confitendi, quam absolvendi prohibetur, & damnatur, ut falsus; ergo invalidus.

Dices, inde probari talem absolutionem esse illicitam, non autem invalidam.

Contra. Decretum prohibet, *ne deinceps ista propositio publicis, privatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur .... ac ad praxim quovis modo deducatur*; ergo non solum vult tales absolutiones haberi ut prohibitas quoad praxim, sed etiam ut speculativè falsas, & nullas. Nam multa prohi-

[1] *d.* 171. *&* Z 31. *&* 32. *in dec.* [2] *Sess.* 14. *c.* 3.

hibentur quoad praxim propter pericula, scandala, & inconvenientia, ut communio sub utraque specie, quæ speculativè sunt vera, & valida; sed quæ speculativè decernuntur falsa, temeraria, & scandalosa, vel prohibentur doceri, non censentur valida. Denique Papa censet falso dici esse validam.

Confir. Nam cùm aliquis Theologus excogitasset ibi aliquod subterfugium, quasi Papa loqueretur tantùm de confessione, & absolutione simul, & collectivè, non autem divisim, Paulus V. 14. Julii decrevit, *illam interpretationem non subsistere, & ideo ex libris illius Authoris amovendam, & delendam.*

Prob. denique ex institutione divina: nam, ut docet idem Concilium, Christus *peccatores ante tribunal* (pœnitentiæ) *tamquam reos sisti voluit* (sc. personaliter) *ut per sacerdotis sententiam .... possint liberari.* Non sistuntur autem propriè per litteras, vel per nuntios, & maximè, quia non sentiunt confusionem pœnalem, quam patiuntur personaliter comparentes, & confitentes sua peccata, ut notat Doctor subtilis.

Confir. ex Authore libri de vera pœnitentia, quia hoc sacramentum dicitur figuratum in leprosis, quibus præcipiebatur, *ut sisterent se sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuntium, aut per scriptum manifestanda. Dicit enim, ora monstrate omnes, non unus pro omnibus, non alium statuatis nuntium*; ergo ita est de pœnitentibus istis.

Confir.2. ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ nunquam admisit tales confessiones, nec absolutiones absentium, ut constabit ex objectionibus.

Confir.3. ex absurdis, quia exponeretur secretum, quod debet esse inviolabile in hoc foro. 2. quia verba absolutionis debent significare per se personam, cui remittuntur peccata; sed per scripturam non satis designatur, cùm possit cadere in manum alterius, quàm pœnitentis; ergo &c. 3. quia dum vadit nuntius, vel epistola pœnitentis ad sacerdotem, potuit ille mori, aut mutare mentem, aut fieri inhabilis, aut peccare de novo, & idem est post scriptam absolutionem, & dum vadit ad pœnitentem, & sic exponeretur absolutio: & sic de aliis rationibus, quibus moveri potuit Ecclesia ad talem praxim damnandam ut falsam, & invalidam, scandalosam, &c.

Objic. 1. Hoc sacramentum fuit institutum per modum judicii; sed in judiciis humanis possunt absolvi, aut damnari absentes, & in scriptis; ergo & in isto. Min. patet ex praxi quotidiana.

Resp. dist. maj. Quoad aliqua, con. quoad omnia, neg. maj. & cons. Nam quia hìc proceditur non ex rigore justitiæ, sed lenitate misericordiæ, Christus noluit ibi absolvi, nisi confitentem personaliter peccata sua cum dolore, & rubore, quæ non sentirent absentes. Item voluit esse secretissimum; sed hæc, & similia non sunt necessaria in judiciis humanis, in quibus etiam citari solent rei personaliter.

Objic. 2. Constat, quod olim talis erat praxis Ecclesiæ. 1. de Serapione, ad quem, cùm pœnitentiam per nuntium peteret, missa est particula hostiæ consecratæ in signum absolutionis, & reconciliationis. 2. Patres Concilii Duzianensis concesserunt absolutionem Roberto Cœnomanensi Episcopo, qui ægrotans scripserat ad eos peccata sua circa an. 812. Titulus Epistolæ erat: *Epistola absolutionis, quam miserunt ei* (Roberto) *venerabiles Sacerdotes de loco obsidionis*. 3. Greg. VII. absolutionem concessit Episcopo Lincolniensi in Anglia, qui eam per litteras petebat. 4. Scotus ipse meminit absolutionis concessæ S. Thomæ Cantuariensi, qui timebat se molliùs restitisse Henrico II. pro Ecclesiæ libertate: Sed illæ absolutiones erant sacramentales, & per Epistolas; ergo tales confessiones, & absolutiones non essent invalidæ, sed fuerunt in usu.

Resp. neg. min. Non enim fuerunt sacramentales, sed Canonicæ, 1. Dionysius Alexandr. misit ad Serapionem non absolutionem, sed Eucharistiam in signum reconciliationis cum Ecclesia, æstimans eum jam justificatum per internam contritionem. Hic *sæpius in Ecclesia denuo recipi postulabat, sed nemo auscultabat, quia idolis sacrificasset*, inquit Dionysius. Dederat ergo signa manifesta contritionis, & illa reconciliatio erat pro foro externo. 2. Idem est de Roberto, cur enim ad Concilium recurrisset, nisi pro censura Canonica, & pro peccatis publicis, de quibus erat denigratus? Ideo deprecatoriè, non absolutoriè scripserunt Patres: *Spiritus S. dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo*, &c. Ibi vides oratio-

tionem potiùs, quàm judicialem absolutionem, & sacramentalem.

3. & 4. Idem est à fortiori de Episcopis Lincolniensi, & Cantuariensi: nam illi timebant se incurrisse in aliquas censuras, & pœnas Canonicas. Unde Alexander scribit, se *Authoritate Apostolica relaxare;* & remittit eum ad Sacerdotem confessarium, *qui discretus, & providus habeatur, tibi consulimus per pœnitentiam confiteri;* ergo absolutio illa Papæ non erat sacramentalis, alioqui frustra moneret confiteri.

Igitur absolutio sacramentalis, ut sit valida, debet esse vocalis, & non scriptis expressa, nec ad absentes.

QUÆSTIO IX.

An absolutio sacramentalis valeat data petentibus eam in extremis.

NArrant historici Ecclesiastici, quod in primis sæculis Christianismi negabatur absolutio impiis, qui post transactam vitam in impietate illam petebant in extremis: *quia*, inquit Cyprianus, [1] *rogare illos, non delicti pœnitentia, sed mortis imminentis admonitio compellit: nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum.* Ratio rigoris erat, ne ex spe facilioris veniæ fideles à fide deficerent ingruente persecutione, ut scribit Innoc. I. [2]

Distinguendum est autem inter eos, qui petunt absolutionem in extremis. Quidam post cursum vitæ in omni genere vitiorum, in neglectu pœnitentiæ, ac sacramentorum, syncerè tandem recurrunt ad Deum, & Ecclesiam, & petunt absolutionem verbis expressis, & cum signis veræ pœnitentiæ. Alii morbo correpti, signa tantùm quædam proferunt, quibus videntur pœnitere, & absolutionem petere, v. gr. pectus tundunt, manus, & oculos in cœlum attollunt, &c. Quidam in ipsis actibus peccati, amisso usu rationis, aut vocis, moriuntur. Quidam peccatores publici nec ante morbum, nec in morbo petunt absolutionem. Quidam boni, & pii, præventi morbo, nec voce, nec signis petunt. De singulis peti potest, quid

[1] *Ep. ad Ant.* [2] *Ep. ad Exuper.*

quid cum illis agendum? sed priùs videndum absolutè, an absolutio petita in extremis valeat.

CONCLUSIO I.

Absolutio in extremis syncerè petita, & data valet. Est communis, & de fide.

Prob.1. ex Scoto, qui duabus conclusionibus quæstionem resolvit. 1. *Pænitentia sive interior sola, sive exterior cum susceptione sacramenti pænitentiæ sufficit ad salutem alicujus in extremis.* 2. *Pœnitentia, quæ videtur haberi in extremis, vix est vera pœnitentia sufficiens ad salutem: quia difficile tunc est habere veram pœnitentiam* (non tamen impossibile)

Prob.2. ex Script. quæ non excipit ullum tempus ad pœnitentiam, & veniam, modò sit vera. [1] *Quacumque hora ingemuerit peccator, iniquitatum ejus non ampliùs recordabor.* Et alibi, *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos;* ergo in quocumque vitæ momento peccator gemit, & convertitur petens absolutionem, validè potest, & debet illi concedi.

Prob.3. ex Concil. Nam Carthagin. IV. [2] *Is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutescat, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam.* Item Leo Magnus. [3] *Talium necessitati auxiliandum est, ut nec actio illis pœnitentiæ, nec communis gratia denegetur, si eam, etiam amisso vocis officio, per indicium integri sensus quærere comprobetur,* &c.

Prob.4. ex Patribus. Nam inquit August. seu Author libri de vera pœnit. *Pœnitentia, si in extremo hiatu vitæ advenerit, sanat, & liberat.... Multum sera fuit latronis pœnitentia, sed non fuit sera indulgentia:* & dat rationem; *quia Deus semper potens est, semper etiam in morte juvare valet, quibus placet. Cùm ergo sit opus non hominis, sed Dei fructifera pœnitentia, inspirare eam potest, quandocumque vult sua misericordia, & remunerare ex misericordia, quos damnare potest ex justitia;* ergo Sacerdos, qui negaret absolutionem verè pœnitenti, & petenti in extremis, opponeret se Dei voluntati, & misericordiæ; quæ talem pœnitentiam inspi-

[1] *Eze.15. & 33.* [2] *ca 76.* [3] *Ep 91.*

spirat moribundis, & vult eos salvare per sacramentum; ergo gravissimè peccaret; ergo valeret sacramentum.

Prob. denique ratione; quia eadem est ratio de pœnitentiæ valore in extremis, ac in quovis alio tempore vitæ; sed in quovis alio tempore valet; ergo & in isto. Min. patet ex Script. cit. quæ nullam temporis limitationem admittit. Prob. min. nam ubique est idem sacramentum.

Confir. Nam quovis tempore contritio delet peccata, & si aliqua temporis circumstantia exciperetur, id esset, vel quia Deus non posset, aut nollet hanc illi inspirare, vel ei cooperari ad veniam; sed neutrum dici potest; ergo &c. Prob. 1. non negatur potentia: *Deus enim semper est potens*, ait August. cit. 2. non negatur voluntas, quia *vult omnes salvos fieri*, & *non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat*. Item, *non vult aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti*; ergo vult inspirare, & juvare omnes ad pœnitentiam. Et hoc certum est de fide.

Dixi, *syncerè petita*: nam, ut dictum est, contritio, vel attritio vera est de materia necessaria ad valorem sacramenti, & sic absolutio petenda est ex syncero motu pœnitentiæ.

Objic. 1. Augustinus [1] de pœnitente in extremis dicit: *non præsumimus, quod benè exierit*. Et in SS. Canonibus. [2] *Periculosum est, & interitui vicinum usque ad mortem procrastinare pœnitentiæ remedium*. Item, [3] *hac animadversione percutitur peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret, oblivi scitur Dei*; ergo qui distulit pœnitentiam in finem vitæ, non potest validè absolvi. Prob. conf. nam ex August. incerta est dispositio ad validam absolutionem; ergo si absolvitur, exponitur sacramentum nullitati, & profanationi.

Resp. neg. utramque conf. 1. quidem, quia, cùm sit possibile, ut verè pœniteat, ita valere potest absolutio. 2. quia numquam Sacerdos est certus physicè de sufficienti dispositione suscipientis, & sic vel numquam absolveret, vel semper peccaret absolvendo. Patres autem, & Canones illi [4] volunt, quod illo-

 rum

[1] *hom. 41. ex 50.* [2] *de pœni. c. 17.* [3] *c. nullus.* [4] *cap. nullus. de pœnit.*

rum peccatorum pœnitentia sit rarissimè vera, & difficillima, sed non impossibilis.

Inst. pœnitentia, ut sufficiat ad sacramentum, debet esse voluntaria; sed, ex Patribus, in extremis non est voluntaria; ergo nec sufficiens. Prob. min. nam inquit August. *Si vis jam pœnitere, cùm peccare non potes, peccata dimiserunt te, non tu illa*. Ideo monet; *Nullus expectet, quando jam peccare non possit; arbitrii enim quærat libertatem, ut delere possit commissa, non necessitatem. Qui primus à peccatis relinquitur, quàm ipse relinquat ea, non liberè, sed quasi ex necessitate condemnat*; ergo in extremis pęnitentia non est libera.

Resp. neg. min. & 2. cons. August. ibi loquitur de libertate peccandi per opera externa, quam non habet infirmus, sicut nec ad opera externa pœnitentiæ; sed sicut potest internè peccare, ita & pœnitere ex corde, quod sufficit Deo.

Objic. 2. si talis pœnitens posset absolvi, daretur occasio peccatoribus perseverandi in peccato usque ad mortem; sed hoc est summum inconveniens; ergo &c.

Resp. neg. maj. Nam sicut facilitas absolvendi durante vita non impedit valorem sacramenti, si adsint alia requisita, licèt aliqui pessimi sumant inde occasionem peccandi ex fiducia obtinendæ absolutionis, ita in proposito hoc est præter intentionem Dei instituentis sacramentum, & quia longè plures inde resipiscunt, quàm indurentur, & majus illud bonum sufficit, ut rectè fiat. Denique ratio illa suadet, ut cautiores sint in hoc sacerdotes, non autem probat invaliditatem absolutionum, modò pœnitentia sit vera.

Quæres, *An homo per peccatum aliquando ad eum statum reducatur, ut non possit pœnitere, nec absolvi*.

Resp. quod regulariter id accidere non potest, benè verò per accidens.

Ratio 1. p. est, quia, ut diximus, Deus semper est potens, & paratus ad inspirandam pœnitentiam, & peccator est semper liber, si velit, ad cooperandum inspirationibus, & auxiliis Divinis. Vide, quæ diximus in tr. de Deo, & de gratia.

Ratio 2. p. est, quia peccator per depravationem suam in eum statum cadere potest indurationis, ut demereatur derelinqui à Deo post longiorem, & obstinatiorem contemptum gratiarum, ut ipse minatur.

[1] *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam*. Item, [2] *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum*. Et Apostolus: [3] *Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam .... in passiones ignominiæ .... in reprobum sensum*; sc. non per impulsum positivum, sed negativè per derelictionem; sed certum est hominem sic derelictum non posse rectè pœnitere; ergo &c. de hoc aliàs.

Quæres 2. *An valeat absolutio morientis in actu peccati, v.g. in duello, vel torneamentis, & similibus casibus, in quibus homo amittit vocem, & usum sensuum, ita ut non possit dare signa pœnitentiæ.*

Resp. non valere, nisi signa probabilissima pœnitentiæ dederit.

Ratio est, quia Sacerdos non debet applicare formam sacramenti, nisi materiæ à Christo institutæ; sed homo sine pœnitentia non est materia instituta à Christo: nam contritio est principalis actuum pœnitentis, & de materia necessaria sacramenti: & hæc debet fieri sensibilis Sacerdoti, & in his casibus potius illi constat de contrario; ergo nec licitè, nec validè potest illum absolvere.

Fortè tamen posset illum absolvere sub conditione; quia & ipse moriens posset habere aliquam dispositionem internam ad gratiam. De duellantibus posset esse specialis ratio propter excommunicationem reservatam, quam incurrunt, sed de hoc aliàs.

Quæres 3. *Quid dicendum de peccatoribus publicis; qui nec ante, nec post morbum, nec in morbo petunt absolutionem, & subito obmutescunt.*

Resp. nec istos posse absolvi validè, nisi per signa valdè probabilia ostendant pœnitentiam.

Ratio est, quia vix credi potest, quod tam subito mutaverint voluntatem, quam usque ad illud instans servarunt tam obstinatè affixam peccato suo. Tales sunt concubinarii, & usurarii publici, apostatæ, hæretici, schismatici denuntiati, & similes, qui cùm viverent liberi sensibus, noluerunt dare signum pœnitentiæ, sine grandi miraculo non videntur meliores in statu, quo non sunt compotes sui, & propter publicitatem vitiorum, & scandalum populorum debent derelinqui.

Dices. Non est impossibile Deo per gratiam extraordi-

[1] *Jer.6.* [2] *Ps.8.* [3] *Rom.1.*

ordinariam eos vehementer movere, & ad pœnitentiam excitare; ergo non debet eis negari absolutio, quæ potest esse valida. Prob. conf. ex Aug. qui docet eandem esse rationem de absolutione, ac de Baptismo; sed baptismus datur Catechumenis, qui peccarunt usque ad finem vitæ; ergo &c. Prob. maj. nam inquit: *Quæ baptismatis, eadem est reconciliationis causa, si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit: nec enim ipsos ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia*; ergo &c.

Resp. neg. conf. quia non ex possibilitate nuda, sed ex probabilitate, & apparentia rationabili debent exponi sacramenta: nec enim prætendit August. quod talibus catechumenis debeat dari baptismus sine ullo signo pœnitentiæ. Ita est de absolutione. Non dicit, quod illi Catechumeni non darent ullum signum voluntatis baptismi, aut pœnitentiæ; imò loquitur de *pœnitente*, & non de impœnitente: *si forte pœnitentem*, &c. inquit, & sic non erat in casu nostro.

Quæres 4. *Quid dicendum de piis viris, qui nullo signo externo petierint absolutionem ante amissum usum sensuum.*

Resp. probabilius illos absolvendos esse, saltem sub conditione.

Ratio est 1. quia de istis à fortiori præsumendum est ex aliis actibus christianis, & pietatis, quod nolunt mori sine sacramentis; nec de facto in eum statum devenerunt sine pœnitentia suorum peccatorum; ergo eis non debet negari sacramentum.

2. Quia id videntur docere SS. Canones. Nam cap. *Si presbyter* ex Julio I. dicitur, quòd *Presbyter reus est animarum, qui pœnitentiam morientibus negat: quia vera conversio in ultimo tempore potest esse: quia Dominus non solùm temporis, sed etiam cordis inspector est, sicut latro*, &c. ergo à fortiori hoc dici potest de iis, qui christianè vixerunt. Vide Juenin. & Bancel.

Quæres 5. *An pœnitentiæ sacramentum possit esse validum, & informe.*

Respondi probabilius affirmativè tr. de sacram. in genere, nec placet hìc repetere.

DIS-

DISPUTATIO V.

De confessione sacramentali.

EXplicatis natura, materia, & forma hujus sacramenti, & principali actu pœnitentis, qualis est contritio, ad alias partes, & actus ejusdem properamus, & sequitur confessio, quæ est nobilissima pars, & non minus essentialis ad rationem sacramenti.

QUÆSTIO PRIMA.

An, & quid sit confessio sacramentalis, & à quo instituta sit.

NOmen confessionis generaliter significat actum, quo manifestamus sensus, vel actiones nostras alioqui occultas. Alia est *externa*, quæ fit per signa sensibus obvia, & perceptibilia: alia *interna*, quæ fit coram illis, qui non utuntur sensibus, ut coram Deo, & Angelis.

Utraque dividitur in confessionem *laudis*, qua agnoscimus perfectiones, & beneficia divina, & inde laudamus, & benedicimus Deum, & hæc spectat ad Religionem: alia *fraudis*, quæ dicitur etiam *accusatrix*, qua defectus, & peccata nostra accusamus vel *internè*, & coram Deo, vel *externè* coram hominibus. Alii addunt *confessionem fidei*, qua fidem nostram, seu Religionem declaramus, unde Martyres dicebantur *Confessores*, & hæc pertinet ad fidem.

Rursus confessio *fraudis*, seu *accusatrix* alia est purè *pœnitentialis*, qua peccator ex motivo pœnitentię declarat peccata sua coram hominibus quibuscumque: alia *judicialis*, qua reus declarat delicta sua coram judice: alia *sacramentalis*, quæ fit coram idoneo ministro hujus sacramenti ad obtinendam absolutionem. De hac sola hìc loquimur.

CONCLUSIO I.

D*Atur confessio sacramentalis, quæ est declaratio sensibilis peccatorum facta legitimo sacramenti penitentiæ ministro ex intentione obtinendi absolutionem*. Est communis quoad rem.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quod *in confessione peccatum occultum propalatur homini*, & quod *Sacerdos non absolvit reum, nisi prius reus fuerit sibi accusatus in foro illo ....* Et in Reportatis, [2] *necessarium est confiteri peccata sua Sacerdoti jurisdictionem habenti, per quam recuperabit gratiam*. Et ubique hoc docet, vel supponit. Unde colligis & existentiam, & essentiam hujus confessionis.

Prob. 1. p. quam non negant Hæretici, licèt non conveniant de necessitate ejus, nec de institutione, nec quod sit sacramentalis. Et quidem 1. constat ex dictis de existentia hujus sacramenti: nam confessio est pars ejus essentialis.

Prob. 2. ex Concil. Trid. dicente, *Oportere à penitentibus omnia peccata mortalia in confessione recenseri*. Et supra dixerat, *Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius penitentis actus, nempe contritio, confessio*, &c.

Prob. 3. ex Patribus, qui talis confessionis extollunt dignitatem, & excellentiam, ut cùm dicit Tertul. *tantum relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat*. Et Origenes id probat ex Scipt. *Dic tu peccata tua, ut justificeris*. Et, *Dixi: pronuntiabo injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*. Unde infert: *Vide, quia pronuntiare peccatum remissionem peccati meretur*. Et quod magis facit ad propositum, *Si revelaverimus peccata nostra, non solùm Deo* (ut volunt Hæretici) *sed & his, qui possunt mederi vulneribus nostris, atque peccatis, delebuntur peccata nostra*. Et sic de aliis Patribus uno ore.

Prob. denique ex consensu omnium Theologorum omnis ævi, & adhuc patebit ex dicendis.

Prob. 2. p. quia sic rectè explicatur natura hujus actus, non solum in se, & prout à virtute pœnitentiæ imperatur, aut elicitur, sed etiam prout pertinet ad hoc sacramentum. Dicitur 1. *Declaratio sensibilis* pec-

[1] *d.15.q.D.& E.6.& 7.* [2] *a.17.n.18.*

peccatorum, quod ponitur loco generis, quia per id convenit cum aliis confessionibus internis, & externis. 2. *facta legitimo ministro sacramenti pœnitentiæ*, &c. & per hoc differt ab aliis, quæ fiunt coram aliis, & ob alios fines. Reliqua patebunt in sequentibus.

CONCLUSIO II.

Confessio sacramentalis fuit à Christo Domino instituta. Est de fide contra hæreticos Vvicleffistas, qui negant hanc institutionem probari in Scripturis, sed manasse ex Patrum decretis. Unde inter errores in Concilio Constantiensi damnatos legitur iste: *Si homo debitè fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua, & inutilis*. Et Calvinus dicit de nobis, [1] *Miror, qua fronte ausi sunt* (Catholici) *contendere, confessionem, de qua loquuntur, juris esse divini*. Imò & sic debacchatur, [2] *nihil mirum, si auricularem illam confessionem rem adeo pestilentem, totque nominibus Ecclesiæ nocivam damnamus, & sublatam è medio cupimus.*

Prob. 1. ex Scoto, [3] quatenus docet necessitatem confessionis hujus esse *de jure divino positivo*: nam inde sequitur, quod etiam est de institutione divina Christi; quod apertius dicit in Reportatis. *Dico igitur, quod de jure divino positivo immediatè à Christo instituto tenetur quis ad confessionem*, &c.

Prob. 2. ex Conc. Trid. [4] *Universa Ecclesia semper intellexit institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam*. Et, *Si quis negaverit confessionem sacramentalem vel institutam, vel necessariam esse jure divino, aut dixerit modum secretò confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica semper ab initio observavit, & observat, alienum ab institutione, & mandato Christi, & mandatum esse humanum, anathema sit*. Hoc diu ante docuerant alia Concilia, ut Cabilonense II. *Solerti indagatione debent inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque integra sit confessio, sc. ut & ea confiteantur, quæ per corpus gesta sunt, & ea, quibus in sola cogitatione delinquitur*. Et Turonicum III. c. 22. & Mo-

[1] *Inst. c. 4. §. 7.* [2] *§. 19.*
[3] *d. 17. F. 11.* [4] *sess. 14. c. 5.*

& Moguntinum sub Rhabano c. 26. & Vvormatiense c.25. & colligitur ex Later. ubi præcipitur annua confessio; sed falsò dicunt hæretici eam tunc primùm fuisse institutam.

Prob.3.ex Script. cùm Christus dixit discipulis, *Accipite Spiritum Sanctum, Quorum remiseritis peccata,* &c. necessariò infertur instituisse confessionem: nam quomodo remittere possent, vel retinere peccata, nisi ea cognoscerent? & quomodo cognoscere in isto tribunali misericordiæ, nisi per liberam confessionem, ex qua vident, quæ remittenda sint, & quæ retinenda?

Confir. ex aliis textibus, quibus eadem veritas insinuatur, ut cùm legimus de primis Christianis tempore Apostolorum, quod *multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus suos*: & quod *multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati* (ut magi, & venefici) *contulerunt libros, & combusserunt eos.*

Confir.2. ex figuris veteris Testamenti, in quibus eandem veritatem adumbratam putant SS. Patres: ut ex lege de leprosis mundandis, quippe non censebantur mundi, nisi ex judicio Sacerdotum, ut notat Chrysostomus: *Nostris autem Sacerdotibus non tantū lepram corporis, verum animæ sordes non tantùm purgatas probare, sed purgare prorsus concessum*; ergo sicut leprosi debebant sese ostendere Sacerdotibus Mosaicis, ita & peccatores debent se per confessionem synceram ostendere Euangelicis, ut per illos mundentur à maculis eorumdem peccatorum.

Prob.4. ex perpetua traditione SS. Patrum, quos longum esset recensere, & videre potes apud Coccium, & alios.

Prob.denique ex summa hujus sacramenti excellentia, & utilitate, ac necessitate: nam inde satis patet non esse humanum inventum, sed prorsus divinum, nec Ecclesia illud tam positivè proponeret, aut præciperet, nisi hoc haberet à Christo.

Confir. ex Scoto, qui sic argumentatur: Christus dedit potestatem Sacerdotibus, seu Ecclesiæ remittendi peccata, potestatem inquam ministerialem; sed hæc potestas non potest congruè exerceri sine confessione ex parte peccatoris; ergo hæc fuit pariter instituta à Christo. Maj.patet ex Script.cit. Prob.min. Judex mi-

ni-

nisterialis, & arbiter non potest prudenter arbitrari, nec dimittere, vel retinere peccata, nisi ipsa cognoscat; sed hæc non potest cognoscere Sacerdos ut dimittenda, vel retinenda, nisi per confessionem liberam, & fidelem peccatoris: nam inquit S. Hieron. *Si erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat, medicina non curat.*

Confir. 2. ex eodem. Si hæc institutio esset ab hominibus, ut voluit glossator, assignandus esset aliquis Canon, per quem facta fuisset: nam inquit Doctor, *Sicut turpe esset Theologo dicere aliquid esse in Biblia, si nesciret ubi illud inveniretur, ita & Canonistæ dicenti aliquid esse ex universali traditione, & non invenire in canone*, &c. Sed hoc nullibi reperitur: nam quod dicunt Hæretici de Concilio Lateranensi, in hoc turpiter errant, quia nihil ibi dicitur de institutione, sed tantùm de obligatione confessionis, quam præcipit, saltem semel in anno: *Omnia peccata sua solus confiteatur, saltem semel in anno*; ergo potius supponit eam institutam, non autem instituit.

Objic. 1. Si confessio non esset ab Ecclesia, sed à Christo, usus ejus non penderet ab illa; sed hic pendet ab Ecclesia; ergo &c. Prob. min. nam Ecclesia modò præcepit, modò prohibuit usum confessionis; ergo &c. Prob. ant. Antequam prodirent Novatiani, nulli erant in tota Ecclesia confessarii ad confessiones audiendas; ergo &c. Prob. ant. nam inquit Socrates Scholasticus, [1] *Ab eo tempore, quo Novatiani se ab Ecclesia sejunxerant, recusaverantque cum his communicare, qui tempore persecutionis regnante Decio concitatę lapsi erant, Ecclesiarum Episcopi canoni adjunxerunt, ut in singulis Ecclesiis presbyter quidam pœnitentiæ præesset, quo qui post baptismum lapsi fuissent, coram presbytero ad eam rem designando peccata sua confiterentur*; ergo ex tunc instituti sunt pœnitentiarii in singulis Ecclesiis.

Resp. neg. min. & ant. & conf. Nam pœnitentiarius ille non erat deputatus sacramentali confessioni audiendæ, sed publicæ: nam unus tot fidelibus audiendis non suffecisset, maximè Constantinopoli. Ideò amotus fuit, quia ex talibus confessionibus, quibus peccata secreta publicabantur, veniebant scandala gra-

[1] *lib. 5. c. 19.*

gravia, ut de matrona, quæ publicata est peccasse cum Diacono quodam, unde ingens scandalum ortum est. Ideo Nectarius tales confessiones prohibuit in sua diœcesi Constantinopolitana, non autem confessiones secretas, quæ nullum scandalum pariunt, quia nullo modo publicari debent.

Inst. S. Chrysostomus, [1] qui Nectario successit, confessionem pluries prohibet, & damnat; ergo non credidit eam esse juris Divini. Prob.ant. nam inquit, *Deus nobis peccata dimittit, & ipsa non revelat, nec facit manifesta, nec cogit, quæ peccavimus, nuntiare, sed sibi soli rationem reddere jubet, & sibi confiteri.* Et alibi, *Peccata tua ipse commemora, ut ea deleas. At pudet te peccata confiteri? Dic ea quotidie in oratione. Non enim dico, ut ea conservo exponas, qui te probris impetat: dic Deo, qui his medeatur.* Item alibi, *Solus te Deus confitentem videat, Deus, qui non exprobrat peccata tua, sed solvit propter confessionem, vel confusionem*; ergo non exigit aliam confessionem, quàm quæ fit Deo.

Resp. neg. 1. ant. & 2. cons. nam constat Chrysostomum loqui de confessione publica, ex qua confitentium infamia, & scandalum populi oriebatur; quia *Deus non revelat peccata nostra, quæ dimittit, nec cogit in mediũ procedẽtes, quæ peccavimus annũtiare, quid est in mediũ procedere, & annuntiare, nisi coram multitudine populi peccata secreta publicare? non cogit quibusdam præsentibus ipsa enuntiari.* Ad 2. patet, quod eodem sensu dicit ea non esse confitenda conservo, *ut ea publicet, & exprobret ad confusionem.* Nam in nostra confessione Sacerdoti confitemur quasi Deo, qui solus audiat, & dimittat. Per idem patet ad 3. nam semper aspicit ad publicitatem, & exprobrationem infamantem. *Non enim homini dicis, ut te probro afficiat, nec enim servo confiteris, ut in publicum proferat, imò verò ei, qui dominus est* (seu qui Dei personam agit) *ei, qui tui curam gerit, ei, qui humanus est, ei, qui medicus est, ostendis vulnera.* Quid clarius?

Objic. 2. Obligatio hujus confessionis non erat ante Concilium Lateran. IV. sub Innoc. III. ergo non censebatur divinitùs instituta. Prob.ant. Nullibi ante illud legitur præcepta; ergo &c.

Resp. dist. 1. ant. & 2. cons. Non erat quoad tempus de-

[1] *hom. 21. ad pop.*

determinatum confitendi, conc. quoad institutionem, & usum, neg. ant. & 2. conf. Ibi determinata est obligatio confitendi saltem semel in anno: nam antea multi ex indevotione, & negligentia sacramentum istud non frequentabant, ut constat ex Trident. *Neque enim per Lateran. Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiteantur, quod jure divino necessarium, & institutum esse intellexeris; sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus .... impleretur.*

Objic. 3. ex Scoto, *Non potest facilè improbari, qui dicit obligationem sacramenti pœnitentiæ cadere sub præcepto Ecclesiæ*; ergo probabile putat institutionem, & obligationem hanc esse de jure humano, non divino.

Resp. neg. ant. nam esto Scotus putarit id de obligatione annuæ confessionis, tamen positivè id negat de institutione. Ideò arguit glossatorem, qui dicebat, *In universali Ecclesiæ traditione ortam esse hanc obligationem*. Scotus verò dicit, *Salva gratia sua irrationabiliter loquitur*; & tempore Scoti non erat definitum, quod sit de institutione divina, sicut definitum est à tempore Conc. Flor. & Trid. Sed vide in Reportatis, ubi hoc jus Divinum agnoscit.

QUÆSTIO II.

De necessitate confessionis: an, & qualis sit.

Suppono ex dictis, sacramentum esse necessarium necessitate medii, quando sic juvat ad salutem, ut sine illo non possimus salvari: talis est baptismus in re, vel in voto; vel necessitate præcepti, quando obligatio venit ex lege positiva Dei, vel Ecclesiæ, aut ex naturali dictamine rationis. Sic quærimus, an confessio sacramentalis sit necessaria alterutra necessitate.

Suppono 2. quod quæ dicuntur de jure naturali, sunt vel prima principia practica, quæ per se, & ex terminis nota sunt, vel conclusiones ex eis immediatè illatæ, aut demonstratæ, aut saltem illis conformes, licèt ex eis non inferantur evidenter. Hæc patent ex dictis de legibus.

CON-

CONCLUSIO I.

Confessio sacramentalis non est de necessitate juris naturæ, sed divini positivi. Est communis quoad 1.p. & de fide quoad 2.contra Hæreticos.

Prob.1. p.ex Scoto: Dico, quòd non tenetur quis præ-„ cepto legis naturæ ad confessionem peccati, de qua „ quæritur, quia tunc obligatio hæc fuisset in statu, „ vel tempore cujusque legis, quod falsum est, quia „ nec erat innocentiæ, nec legis Mosaicæ, *&c.* ergo &c.

Prob.2. „ Jus naturæ est idem apud omnes natio-„ nes, eò quòd non aliqua constitutione, sed instin-„ ctu naturæ ubique habetur, *ait Isid.* Et, ut dicebat Cicero, [1] „ Jus naturale est, quod non opinio ge-„ nuit, sed innata quædam vis inseruit: Sed talis non est obligatio confessionis; ergo non est de jure naturæ.

Prob.3. Non est major, nec alia obligatio confitendi, quàm potestas absolvendi, ambæ ex eodem jure oriri debent; sed potestas absolvendi confessos non est de jure naturæ, alioqui esset eadem in omnibus, sicut & natura; ergo nec obligatio confitendi.

Prob.2.p. ex dictis tum ex Scriptura, tum ex Conciliis, & Patribus: nam constat confessionem hanc fuisse institutam à Christo ut necessariam ad remissionem peccatorum: nam hoc ipso, quod dedit potestatem, & commissionem Apostolis remittendi peccata, voluit peccatores ad illos recurrere, & illis peccata sua exponere, ut videant, quæ sint remittenda, aut retinenda; ergo &c.

Prob.2. De fide est, quòd Christus Dominus instituit Apostolos, & eorum successores ad remittenda, vel retinenda peccata; ergo de fide est, quòd voluit, ut peccatores, qui vellent sibi remitti peccata, recurrant ad eos, aperiendo eis peccata remittenda. Prob. cons. Nam qui officium aliquod instituit, & jurisdictionem confert, instituit etiam inferiores, & omnia necessaria ad usum talis officii; sed per eam potestatem instituit Apostolos judices super peccatores, ut peccata eorum dimittant, vel retineant, & illi non possunt exer-

[1] 2. *de Inv.*

exercere tale officium, nisi isti teneantur ad illos recurrere, & illis aperire peccata remittenda per confessionem; ergo hæc obligatio nascitur ex illa institutione Divina.

Calvinus dicit hanc consequentiam valere, si valeat antec. scil. si verum sit, quod Sacerdotes habeant veram potestatem à Christo remittendi peccata; sed nisi velit cæcutire ad lucem, non potest de illo dubitare, suppositis verbis Christi in Euangelio, *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c.

Confir. nam ex Conciliis Sacerdos non solum scire debet peccata, quæ remittenda sunt, & quæ retinenda, sed etiam imponere pro illis congruas satisfactiones; sed hæc scire, nec imponere potest sine confessione voluntaria peccatorum; nec enim hoc debet extorqueri per tormenta, aut per viam inquisitionis, imò id possibile non est de peccatis secretis, & mentalibus; ergo &c. Prob.maj. & simul hæc pars conclusionis: nam ex Synodo VI. in Trullo, *Oportet eos, qui solvendi, & ligandi potestatem acceperunt, peccati qualitatem considerare, & ejus, qui peccavit, ad eam conversionem promptum studium, & sic morbo convenientem afferre medicinam*, &c. Et in Carthagin.III. *Ut pœnitentibus secundum peccatorum differentiam Episcopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur*; & sic de aliis; ergo patet 1.malè Hæreticos prætendere obligationem confessionis ortam ex Concilio Lateran. 2. Confessionem debere esse exactam de omnibus peccatis; & 3.illam fuisse institutam à Christo, cùm dedit Apostolis potestatem remittendi, & retinendi peccata, seu ligandi, & solvendi.

Prob.3.ex Patribus: nam inquit Tertull. „ Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesim, sciens præterivit illam. *Et Origen.* Si revelaverimus peccata non solùm Deo, sed & iis, qui possunt mederi vulneribus nostris, & peccatis, delebuntur ab eo, qui ait: Ecce deleo ut nubem iniquitates tuas. *Et S. Basil.* Necessariò iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei. *Et S.Leo*, Jesus hanc Ecclesiæ Præpositis tradidit potestatem, ut & pœnitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri sa-

„ tisfactione purgatos ad eam communionem sacra-
„ mentorum per januam reconciliationis admitte-
„ rent. *Et Sozomenus*. Pœnitentibus veniam dare
„ jussit, & ad impetrandam veniam peccata confite-
„ ri necesse est.

Hæc autem, & similia probant non solùm usum confessionis sacramentalis esse ab initio natæ Ecclesiæ, sed etiam à Christo Domino institutum, & præceptum. Dico *sacramentalis*: nam pro confessione publica non erat necesse tot Sacerdotes destinari, nec cum tanta cura audiendi peccatorum varietates, nec erat adeò necessaria ad internam remissionem. Unde *confessio*, de qua hìc loquimur, *tantum relevat, quantum exaggerat dissimulatio*, ait Tertull.cit.

Objic.1.cont.1.par. Adam, Cain, & Job arguuntur, quia non confessi sunt peccatum suum; sed non poterant ad eam confessionem teneri, nisi ex lege naturæ; ergo hæc lex obligat ad confessionem. Min.patet: nam tunc sola illa lex vigebat. Prob. maj. Nam Adam [1] dicit, *abscondi me*; & Cain respondit Deo, *nunquid custos fratris mei sum ego?* & Job se justificat, [2] quod *non absconderit peccatum suum*; ergo tunc necessaria erat confessio peccatorum.

Resp.dist.maj. Quia non confitebantur Deo interroganti juridicè, & jure divino, conc. sacramentaliter, neg.maj. & 2.conf. Peccavit Adam, si celare voluit peccatum suum, & Cain nolens illud confiteri Deo interroganti, & sic peccasset Job, si eidem Deo peccatum aliquod celare voluisset; sed illę confessiones non fuissent sacramentales, ut nostræ, & obligatio confitendi Deo est naturalis, non ista.

Objic. Præcepta communia legibus antiquæ, & novæ sunt de jure naturæ; sed præceptum de confessione est commune utrique legi; ergo &c. Prob. min. Nam in antiqua præcipitur Sacerdoti, [3] *ut posita utraque manu super hircum, confiteatur universa peccata filiorum Israel*. Et Josue ad Acham dicebat, [4] *Fili mi da gloriam Deo Israel, & confitere quid feceris*. Et Salomon, [5] *Justus prior est accusator sui*. De lege nova id fatemur; ergo &c.

Resp.neg.maj. Non enim est necessariò vera: nam plura

[1] *Gen.*1.& 4. [2] *Job.* 13. [3] *Lev.*16.
[4] *Jos.*7. [5] *Prov.*18.

plura possunt in utraque præcipi per leges positivas distinctas.

Respon.2.dist. min. Est commune secundum quid, conc. simpliciter, neg. min. confessiones illæ in lege veteri non erant sacramentales, ut sunt in nova.

Objic.3. Propositio illata ex principiis practicis per se notis est de lege naturæ; sed talis est necessitas confessionis; ergo &c. Prob. min. Hæc propositio, *homo tenetur confiteri peccata sua*, infertur ex his principiis per se notis, *homo reus judicandus, est per alium, non per se ipsum*; sed non potest judicari per alium, nisi confiteatur reatum; ergo &c.

Resp.neg.1.min.& dist.2.maj. Per alium, qui sit Deus, vel homo, conc. qui sit homo talis, vel talis, neg. maj. & conf. nam illud principium potest intelligi de Deo, vel homine, non de isto solo. Imò id proprium est soli Deo de jure naturæ. *Quis sit iste alius, non est notum per rationem naturalem*, ait Doctor: *Ille enim solus per se est retributor meritorum, & punitor peccatorum*.

Resp.2. neg.2.min. quia Deus non eget confessione, quia *scrutatur renes, & corda*. Et, *Omnia sunt nuda, & aperta oculis ejus*; ergo illa necessitas confessionis non infertur naturaliter ex illo principio practico.

Objic.1.cont.2.p. Deus ad remittenda peccata non exigit nisi contritionem, seu gemitum cordis: *Quoties ingemuerit peccator*; ergo non exigit confessionem factam aliis hominibus.

Resp.neg.ant. Nam multa alia exigit, ver.gr. observantiam mandatorum, & de confessione patet ex fundamentis conclusionis.

Inst. Leges naturæ, nec scripta non exigebant confessionem, quæ durior erat; ergo hanc non exigit in lege nova, quæ est suavior.

Resp.neg.conf. Nam in lege nova utilitas confessionis largè compensat duritiam ejus, quia per illam cum attritione homo certissimè veniam obtinet omnium peccatorum, quam in veteri lege non obtinebat sine perfecta contritione, & longè minus abundantem cum multis aliis bonis, quæ ex hoc labore reportat, ut sunt consolationes internæ, & externæ, consilia salutaria, &c.

Inst.2. Christus à peccatoribus, quos absolvebat, non

non exigebat confessionem istam; ergo multò minus Sacerdos debet eam exigere, quia non absolvit, nisi ministerialiter.

Resp. neg. conf. quia Christus non egebat confessione, ut videret peccata; benè verò Sacerdos, ut sciat quænam debeat remittere, aut retinere, & quæ remedia adhibere.

Objic. 2. Patres videntur docere peccata remitti sine confessione, ut Ambros. [1] de Petro. „ Non invenio, quid dixerit, invenio, quod fleverit; lacrymas lego, satisfactionem non lego.... Lavant lacrymæ delictum, quod pudor est voce confiteri. *Et Aug.* [2] Quid mihi est cum hominibus, ut audiant confessiones meas, quasi sanaturi sint omnes languores meos? *&c. Et S. Prosper dicit, quòd* peccatores lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus restinguent æterna ignis incendia. Idem est de aliis; ergo sufficit contritio sine confessione.

Resp. neg. conf. 1. ex facto Petri nihil infertur, quia tunc non erat institutum hoc sacramentum, ut notat Doctor. [3] 2. August. non loquitur de confessione sacramentali, sed de satisfactoria, & ipse tot libros scripsit suarum confessionum. 3. S. Prosper loquitur de publica, ut patet ex verbis ejus.

Objic. 3. In Ecclesia diu dubitatum est, an confessio esset de jure divino, ut patet ex Gratiano. [4] „ Sunt, qui dicunt, quemlibet sine confessione facta „ Ecclesiæ Dei, Sacerdotali judicio, veniam criminis posse mereri. *Et cap.* Omnis *sic concludit*: [5] „ Non ergo in confessione peccatorum peccatum remittitur, quod jam remissum esse probatur. Fit „ itaque confessio ad ostensionem pœnitentiæ, non ad impetrationem veniæ. *Et infra.* Quibus authoritatibus, & firmamentis utraque sententia satisfactionis, & confessionis innitatur in medium breviter exposuimus. Cui autem harum potius adhærendum sit, lectoris judicio reservatur. Utraque „ enim fautores habet sapientes, & religiosos viros; ergo tempore Gratiani, qui vivebat circa ann. 1150. quæstio de necessitate confessionis erat problematica.

Resp. neg. conf. Nam licèt Gratianus fuisset in hoc erro-

[1] *lib.* 10. *in Luc.* 22. [2] 10. *conf.* 3. [3] *ibid.* X. 29. [4] *de pœnit. d.* 1. *c.* 37. [5] *c.* 89. *Quamvis.*

errore, ſicut & Gloſſator, id non præjudicaret huic veritati, nec faveret hæreticis. In cap. autem *Quamvis*, quod citat ex Leone Papa, patet ibi hæc dici de pœnitentia publica: nam ſic concludit. „ Sufficit illa confeſſio, quæ primùm Deo offertur, tum etiam „ Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator „ accedit; tunc enim demum plures ad pœnitentiam „ poterunt provocari, ſi populi auribus non provocetur conſcientia confitentis. Vides improbari confeſſiones, quæ publicantur, & commendari ſecretas. De mente verò Gratiani parum curandum eſt, ſi loquatur de ſecretis.

Inſt. Ibidem notatur ex Theodoro Cantuarienſi. „ Quidam ſoli Deo peccata confiteri debere dicunt, „ ut Græci, quidam verò Sacerdotibus confitenda „ eſſe percenſent, ut tota ferè Eccleſia; ergo apud Græcos hæc confeſſio non putabatur de jure divino.

Reſp. diſt. conſ. Apud Græcos ſchiſmaticos, tranſeat; apud Græcos fideles, neg. conſ. Nam peritiores morum, & rituum Eccleſiæ Græcæ, ut Cabaſilus explicans Liturgiam ait. „ Scimus poſt mortem Chriſti „ etiam fide, & pœnitentia, & confeſſione opus eſ- „ ſe, & Sacerdotum oratione, nec poteſt homo ab- „ ſolvi à peccatis, niſi hæc præceſſerint. Et Hieremias Patriarcha Cōſtantinopolitanus in cenſura Confeſſionis Auguſtanæ ait. „ Vidimus eum, qui con- „ fitetur, tunc demum perfectam conſequi ſuorum „ peccatorum curationem, ſi peccata omnia, omneſ- „ que eorum partes.... recenſuerit, & confeſſus fuerit; ergo malè hic error tribuitur Græcis fidelibus.

Inſt. 2. „ Confeſſio, quæ ſoli Deo fit, quod eſt ju- „ ſtorum, purgat peccata, ea verò, quæ fit Sacer- „ dotibus, docet qualiter ipſa purgentur, *&c.* ergo confeſſio coram Sacerdotibus non eſt ſacramentalis cauſans gratiam ex inſtitutione Chriſti.

Reſp. neg. conſ. Imò hæc verba docent confeſſionis efficaciam, & differentiam ejus ab interna, quæ ſoli Deo fit: nam illa eſt ſignum ſenſibile illius remiſſionis, quam confert Deus *inviſibili adminiſtratione*; cùm in illa conferatur *viſibili operatione medicorum*, ideſt Sacerdotum, ait Gloſſa; & ſic homo fit certior de venia in hac confeſſione externa, quam per confeſſionem internam ſoli Deo factam.

Inſt.

Inst.3. Joannes Teutonicus, seu Glossator [1] dicit confessionem introductam jure humano; ergo non est de jure divino.

Resp.cum Scoto, Glossatorem *irrationabiliter loqui*, quia deberet assignare tempus, & Concilium, & Canonem, quo Ecclesia id præcepit: *Certè*, inquit, *Ecclesia non tentasset tam arduum onus imponere omnibus christianis, nisi esset præceptum divinum.*

Inst.4. Ipsi Theologiæ Scholasticæ proceres docent confessionem hanc esse tantùm de jure humano, ut Hugo Victor. dicens Christum non præcepisse hominibus peccata sua confiteri. Petrus Lombardus in hoc est dubius, & affert rationes in utramque partē. Alensis dicit, quòd *Dominus non instituit confessionem, ut erat exercenda ab ipsis pœnitentibus*. S.Bonaventura: *Non est data virtus sacramenti ipsi confessioni, sed absolutioni; ideò rectè hominibus puris institutio debuit reservari*; ergo institutio, & præceptum confessionis non est de jure divino, sed humano.

Resp.dist.ant. & cons. De jure humano quoad promulgationem & explicitè, & modum confitendi, conc. implicitè, & potestativè, & quoad institutionem, neg. ant. & cons. Non enim id rectè infertur ex verbis Doctorum illorum. *Christus formaliter, & potestativè instituit sacramentum istud*, ait Alensis. Fuit ergo confessio à Domino insinuata, & ab Apostolis auctoritate illius tradita, à Domino in clavis collatione instituta, & ab Apostolo Jacobo promulgata. Idem est de S.Bonaventura, sc. quod Christus hoc sacramentum per se instituit quoad formale, quod est potestas absolvendi, quoad materiale verò, sc. confessionem, *Credo, quod non per se instituit, & si dicatur instituisse, hoc est intelligendum insinuando, & auctoritatem dando*, &c. ergo censent eam esse de jure divino, saltem mediatè, & indirectè, quod sufficit.

Objic.4. Deus impossibilia non jubet; sed confessio omnium peccatorum est impossibilis; ergo &c. Prob. min. nam peccata nostra sunt innumera, & fugiunt non solùm memoriam, sed & intellectum; ergo impossibilis est eorum omnium integra confessio. Prob. ant. [2] *Delicta quis intelligit?* Item, *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*; ergo &c.

Resp.

[1] *d.5.de initian.n.9.* [2] *Psal.19.& 38.*

Respon. neg.min.& dist.1.ant. Peccata leviora sunt innumera, transeat, graviora, neg. antec. & conseq. nam 1. cùm ista fiant majori cum deliberatione, & in materia gravi, non ita fugiunt mentem, nec memoriam. 2. non est difficile illa confiteri Sacerdoti magis, quàm Deo; sed Calvinus docet hæc esse confitenda Deo, & hanc confessionem non putat impossibilem; ergo nec illa est impossibilis. 3. quia supponit falsum, scilicet exigi confessionem integram ultra possibilitatem moralem, de quo infra. 4. quia si peccator cognoscit se esse labilioris memoriæ, debet frequentius confiteri, dum peccatorum recordatur.

Inst. Saltem illa conscientiæ scrutatio turbat nimium pacem animæ, & minuit fiduciam in Deum, & vexat mentem; ergo est onus importabile, & alienum à suavitate legis Euangelicæ, & bonitatis divinæ.

Resp.neg.ant. Nam qui diligentiam moraliter possibilem adhibuit in examine conscientiæ, & syncerè omnia, quæ occurrunt, aperire intendit, magnam potius acquirit animæ tranquillitatem, Deo ipso, qui corda novit, inspirante.

CONCLUSIO II.

Confessio sacramentalis est etiam necessaria in re, vel in voto necessitate medii ad remissionem mortalium post baptismum commissorum. Est communis.

Prob.1. ex Scoto: [1] nam inquit, *simpliciter necessaria est confessio*, ut pars sacramenti; sed hoc sacramentum est necessarium necessitate medii ad remissionem peccatorum post baptismum commissorum. *Est autem hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis baptismus.*

Prob.2.ex Conc.Trid.[2] *Universa semper intellexit Ecclesia institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam esse.* Et superiùs dixerat justificationem contritioni perfectæ non adscribi *sine voto sacramenti, quod in ea includitur*; ergo censet peccata non remitti sine sacramento confessionis in re, vel in voto, quod colligitur etiam ex can.6.& 7.

[1] *d.16.q.1.E.* [2] *sess.14.c.5.*

Prob.3. ex Script.cit. Nam frustra Christus Petro, & successoribus potestatem dedisset remittendi, & retinendi peccata, & claves Regni, si possent peccatores ingredi Regnum illud sine illis; sed hoc possent, nisi sacramentum istud esset necessarium absolutè, & necessitate medii; ergo &c.

Confirm. Id dicitur necessarium necessitate medii, sine quo finis haberi non potest; sed remissio peccatorum à lapsis haberi non potest sine confessione illorum, supposita hujus sacramenti institutione; ergo &c. Prob.min. nam si aliter haberi posset, maximè per contritionem ex charitate; sed per istam haberi non potest illa remissio sine sacramento, saltem in voto, ut patet ex Concilio cit. ergo &c.

Prob 4. ex Sanctis Patribus: nam Fabianus Papa dicit, *Peccatores in barathrum delabi, nisi eis sacerdotali auctoritate subventum fuerit*. Et Tertullianus, *An melius damnari, quàm palam absolvi*? Et Lactantius, *Negari veniam celantibus peccata*. Et Hieronymus, *Si erubescit ægrotus vulnera confiteri medico, quod ignorat, medicina non curat*. Et Augustinus, *Nemo dicat, occultè apud Deum ago, in corde ago;* (pœnitentiam) *ergo frustra dictum est: Quæ solveritis in terra, erunt soluta & in cælo; ergo frustra datæ sunt claves regni cælorum: frustramur Euangelium Christi: promittimus nobis, quod ille negavit*, scilicet si prætendimus remissionem peccatorum, & ingressum cœli sine Ecclesiæ clavibus.

Objic. Illa necessitas non constat ex Euangelio; ergo gratis asseritur. Prob.ant. si constaret, maximè his verbis: *Quorum remiseritis*, &c. sed hoc non probat; ergo &c. Prob.min. nam ille textus tam intelligitur de venialibus, quàm de mortalibus; sed ad remissionem venialium confessio non est sic necessaria; ergo nec mortalium, saltem ex hoc textu.

Respond. neg. antec. & 1. min. & 2. maj. Nam hic textus per se intelligitur de mortalibus, quia his solis clauditur nobis regnum cœlorum, & hæc sola possunt retineri à ministris hujus sacramenti; per accidens autem intelligitur de venialibus, pro quibus confessio non est necessaria.

Inst. Adhuc verba illa verificarentur, quamvis confessio non esset necessaria, sed tantùm utilis, & suffi-

sufficiens; ergo hinc non satis infertur talis necessitas.

Resp. neg.ant. Nam ex illa sufficientia non haberetur integra illa potestas remittendi, & retinendi peccata: nam quoad hoc posset frustrari non confitendo retinenda.

Objic.2. Sola præcepta decalogi sunt de necessitate medii: nam Christus aliud non exigit. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; ergo alia non sunt necessaria ad salutem; ergo &c.

Respond. neg. anteced. & conseq. Nam sicut sunt alia mandata in lege positiva, præter illa antiqua, & inter hæc adest istud; ita & confessio est adhuc necessaria, maximè pro transgressoribus mandatorum decalogi.

Objic.3. Muti, aut qui non sciunt linguam, aut qui non habent confessarium, non possunt confiteri, & tamen non damnantur, modò sint contriti; ergo confessio non est simpliciter de necessitate medii ad salutem, aut remissionem peccatorum.

Resp.1.neg. cons. Nam istis necessaria est confessio, saltem in voto, quod sufficit nobis.

Resp.2. neg.ant. Nam infra videbimus, qualiter illi homines ligentur hoc præcepto, & huic necessitati subjaceant.

Dixi, *in re, vel in voto*, quia si aliquod impedimentum obstet confessioni, & hæc sit moraliter impossibilis, sufficiet voluntas syncera, & formalis, aut virtualis confitendi quàm primùm, & illud votum concurret ad justificationem mediante contritione.

Dixi 2. *ad remissionem mortalium*: nam venialia, ut diximus, non sunt de materia necessaria hujus sacramenti, & remitti possunt aliis mediis.

Dixi 3. *post baptismum commissorum*: nam Ecclesia non utitur potestate clavium nisi in subditos; homines verò non fiunt subditi Ecclesiæ ante baptismum, ut dictum est.

QUÆSTIO III.

De subjecto confessionis sacramentalis, quibusnam sit necessaria.

EX dictis certum est, ac patet infantes ante usum rationis, nec amentes, qui non sunt capaces peccati, non teneri ad confessionem, quia non habent aliud peccatum præter originale, quod non est materia hujus sacramenti. Quæstio ergo procedit de solis baptizatis habentibus usum rationis sufficientem ad peccandum.

Suppono etiam, quod hæc necessitas considerari potest quoad jus divinum positivum, de quo diximus illam oriri, vel positivum humanum, sc. quatenus ex Ecclesiæ præcepto tenetur fidelis ad confessionem annuam, de qua infra.

CONCLUSIO I.

OMnes baptizati adulti habentes usum rationis, & peccata mortalia post baptismum commissa tenentur ad confessionem. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quia adultus habens usum rationis, & cognoscens peccatum, quod commisit ... debet confiteri*, & quidem ex jure Divino, alioqui Papa, nec infideles ad id non tenerentur, quia supponuntur subjici legibus Ecclesiæ.

Prob. 2. ex Conciliis. Nam in Lateranensi declaratur, quod *omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur*, &c. Et Tridentinum [2] declarat, *confessionem integram peccatorum omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere: quia Dominus .... Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit tanquam præsides, & judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur*, &c. ergo omnes ratione utentes, & habentes peccata mortalia post baptismum commissa tenentur ad confessionem.

Prob. 3. de baptizatis: nam ex Concilio Tridentino cit.

[1] *d. 17. K. 18. n. 10.*
[2] *sess. 14. c. 1.*

cit. *Confessio pro non baptizatis non est sacramentalis cùm Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non primùm in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. Et Christus instituit sacramentum pœnitentiæ pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur*; ergo hæc obligatio cadit in solos baptizatos; ideò dicitur *secunda post naufragium tabula*.

Prob. de adultis, & habentibus usum rationis: nam infantes, & perpetuò amentes, & alii pro tempore, quo carent usu rationis, non sunt capaces actuum, qui sunt essentiales confessioni, non discernunt peccata, nec sunt capaces peccati, nec meriti; ergo nec confessionis, nec detestationis peccati, nec propositi de non peccando, &c.

Prob. 3. p. de habentibus peccatum mortale. 1. quia inquit Doctor, [1] *Continet etiam hoc præceptum, quid debeat confiteri sc. peccatum mortale, & non aliud: nam per veniale nullus periclitatur extra navem Ecclesiæ, quia peccatum veniale stat cum perfecta charitate, quæ est navis salvans*, &c. Uno verbo, peccatum veniale non est materia necessaria confessionis sacramentalis, ut diximus.

Confir. ex Concilio Tridentino cit. dicente, quod *hoc sacramentum institutum est ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos*: Sed qui non habent peccata mortalia, non egent reconciliatione; ergo nec confessione. Idem docet, quod *Christus instituit Sacerdotes judices, ad quos omnia mortalia deferuntur*. Et quod *venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè, et utiliter in confessione dicantur ....taceri tamen citra culpam, multisque aliis mediis expiari possunt*.

Igitur omnes, & soli adulti, & baptizati habentes peccata mortalia post baptismum commissa sunt subjecti hujus confessionis, & è contra infideles ante baptismum, & fideles, qui non habent mortalia, non tenentur ad illam, licèt isti possint confiteri, & absolvi, non autem illi, saltem confessione, quæ sit sacramentalis.

Objic. 1. cont. 1. par. Obligatio ad confessionem per nos est de jure divino; sed jus divinum extenditur etiam ad infideles, & ad non baptizatos; ergo &c.

[1] *ibid. M.* 19.

Prob.min. nam infidelitas non extrahit hominem à jurisdictione divina.

Resp.dist.maj.& min. De jure divino respectu hominum capacium hujus sacramenti, conc.maj.& neg. min. respectu incapacium, neg.maj. & conf. nam infideles non sunt capaces hujus sacramenti, quia sunt extra Ecclesiam, alioqui obligaret etiam infantes, & amentes, qui subsunt juri divino.

Objic.2. Scotus supponit infideles obligari ex hoc jure; ergo sunt subjecti confessioni. Prob.antec. nam, ut probet confessionem non esse de jure positivo Canonico, sic arguit: *Si hoc esset, non videretur, quod infideles tenerentur ad præceptum de confessione, quia ex Apostolo, Quid mihi est de iis, qui foris sunt?* ergo ex Scoto si confessio est de jure divino, obligat non baptizatos.

Respon. neg. ant. & 2.conseq. nam Scotus sic argumentatur ad hominem contra Canonistas illos, qui putant hoc præceptum non esse de jure Divino, sed Ecclesiastico, non autem ex mente sua, qui putat illud esse divinum.

Inst. Qui tenetur ad totam legem, tenetur ad singulas ejus partes; sed quilibet infidelis tenetur ad totam legem divinam; ergo & ad istam partem.

Resp.dist.maj. Ad singulas partes, quarum est capax, conc. simpliciter, & absolutè, neg. maj. & conf. ob rationem mox allatam.

Inst.2. Infidelitas non eximit ab obligatione suscipiendi baptismi; ergo nec ab ista. Prob. conf. nam alioqui traherent emolumentum ex infidelitate, sc. hanc exceptionem; sed conf. est absurdum, nulli enim debet prodesse sua iniquitas; ergo &c.

Resp.neg.conf.& maj. Imo ex infidelitate privantur beneficio hujus sacramenti, nec enim illa obligatio est onerosa, sed salutaris, & maxima est pœna illius incapacitas, & privatio, donec susceperint baptismum, & fidem.

Inst.3. Saltem obligantur mediante obligatione ad baptismum; ergo &c.

Respond. neg. consequ. Hoc enim non facit contra nos, qui loquimur de obligatione immediata. Deinde etiam supposita obligatione ad baptismum, adhuc possent non obligari ad confessionem, scilicet

si post

si post baptismum non peccarent.

Objic. 3. Infideles obligantur ad Eucharistiam; ergo & ad confessionem, quæ est præparatio ad eam. Prob. ant. nam præceptum Eucharistiæ intimatum fuit non baptizatis, sc. Judæis; illis enim dixit, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, &c. ergo &c.

Respond. neg. antec. & 2. conseq. nam *panis filiorum non est mittendus canibus*. Et certè quando hæc dixit Christus, nondum instituta erat Eucharistia; ergo non intendebat Judæos, nec alios ad hoc obligare pro tunc, & in eo statu, sed pro tempore, & post baptismum.

Objic. cont. 2. par. Infantes debent baptizari; ergo & confiteri: non enim magis sunt capaces actuum baptismi, quàm confessionis, v. gr. actuum fidei, & intentionis, &c.

Respon. neg. conseq. & disparitas venit ex voluntate Christi instituentis baptismum pro parvulis, & amentibus, ita ut sufficiat fides, & consensus parentum, aut ministrorum ad eos baptizandos. Non ita est de confessione: in illo infantes se habent merè passivè, in ista pœnitens se habet activè; illi peccarunt voluntate aliena, iste propria, &c.

Objic. 1. contra 3. partem. Peccatum veniale est materia confessionis; ergo sufficit ad obligationem confitendi.

Resp. dist. ant. Est materia sufficiens, & voluntaria, conc. necessaria, neg. ant. & cons. nam hoc sacramentum est institutum, ut *secunda post naufragium tabula* necessaria, & sine qua nō emergitur ex naufragio, ut sacramentum reconciliationis; veniale autem non est naufragium animæ, nec dissolvit amicitiam Dei, ideò non eget tali tabula, nec reconciliatione.

Inst. Qui non haberet nisi venialia, adhuc teneretur ex præcepto Ecclesiæ ad confessionem annuam; ergo & ex præcepto Divino: nam istud longè magis urget.

Resp. neg. ant. Nec enim ea fuit intentio Ecclesiæ, ut diximus ex Scoto, & aliis.

Inst. 2. Si habens solùm venialia non teneretur ad confessionem jure divino, posset quis pro toto vitæ cursu eximi à confessione; sed hoc est falsum; ergo & illud, alioqui frustra esset instituta.

Resp. neg. min. & rationem ejus: nam, ut non sit frustra, sufficit, quòd sit saluberrima ferè omnibus, quia paucissimi sunt, qui per totum vitæ decursum, imò & per annum immunes sint à peccato mortali, & sufficit, quod possit prodesse omnibus.

Objic. 2. Præceptum confessionis non minùs obligat habentes venialia, quam præceptum baptismi obligat innocentes; sed istud obligat etiam innocentes; ergo &c. Prob. min. nam B. Virgo debuit baptizari, licèt purissima etiam ab originali.

Resp. neg. maj. Nam per baptismum non tantùm abluimur à peccato, sed etiam adscribimur in familiam Christi, qui illum præcepit non solum in remissionem peccati, sed ad ingressum regni ejus: *nisi quis renatus fuerit ex aqua*, *non potest introire*, &c. istud autem sacramentum præcisè institutum est ad remissionem peccati, *Quorum remiseritis*, &c.

Hinc colligis, quod B. Virgo non tenebatur ad hanc confessionem, quæ dicitur *fraudis*, seu *pœnitentialis*, quia immunis fuit ab omni genere peccati.

Idem est de Apostolis post eorum confirmationem in gratia per adventum Spiritus Sancti, maximè si abstinuissent ab omni veniali, non autem si mortaliter peccassent: nam tunc obligati fuissent ad hanc confessionem, sicut & nos.

Idem est de aliis sanctis viris, aut fœminis, qui dicuntur mortui in gratia baptismali, licèt non fuerint sine aliquot venialibus.

Dices: per nos B. Virgo fuit capax habitus pœnitentiæ; ergo & actuum ejus, seu confessionis, alioqui frustra esset ille habitus.

Resp. neg. conf. & prob. ejus: nam habitus ille inclinat ad amandam virtutem pœnitentiæ, & confessionis etiam in aliis, quod sufficit, ut non sit frustra.

CONCLUSIO II.

Justificati extra sacramentum per contritionem tenentur ad confessionem quàm primum possunt; muti etiam tenentur per signa. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod contritio habet propositum, seu promissionem confessionis secuturæ, et sic non* dele-

[1] *d. 17. X. 30.*

deletur peccatum sine proposito confitendi. Et quoad mutum, qui non potest loqui, dicit, [1] quod *talis debet confiteri per interpretem, vel per aliqua signa, quæ possunt nota esse sacerdoti.*

Prob. 1. p. ex Constit. Sixti IV. [2] an. 1478. contra Petrum de Oxima, quatenus docebat, *peccata mortalia quantum ad pœnam, et culpam alterius sæculi deleri per solam contritionem cordis, sine ordine ad claves.* Et Papa definit, *necessariam esse confessionem in re, vel in voto.* Et Concil. Trident. [3] dicit, *Pœnitentiam, qua justificamur post baptismum, continere non modo cessationem à peccatis, et eorum detestationem, aut cor contritum, et humiliatum, verum etiam eorumdem confessionem sacramentalem, saltem in voto, et suo tempore faciendam.* Et infra docet, [4] *reconciliationem perfecta contritione obtentam non esse illi contritioni adscribendam sine sacramenti voto, quod in ea continetur.* Item agnoscit confessionem ut partem essentialem actuum pœnitentis, in quibus consistit quasi materia hujus sacramenti. Denique docet, [5] quod *si Sacerdos, necessitate urgente, absque prævia confessione celebraverit, et licet per contritionem perfectam justificatus fuerit, debet quàm primum confiteri;* ergo illa contritio continet votum sacramenti, quod quàm primùm debet impleri.

Prob. 3. quia si sic justificati non tenerentur justificari, frustraretur institutio hujus sacramenti, & potestatis clavium, & præceptum confessionis; sed hæc sunt absurda; ergo &c. Prob. maj. nullus esset peccator, qui non conaretur conteri ad vitandum laborem, & ruborem confessionis; ergo &c.

Confir. ex dictis de baptismo in pari casu: nam eadem est ratio de utroque: nam sicut baptismus est necessarius ad primam justificationem, ita & pœnitentia *est secunda post naufragium tabula* necessaria; ergo sicut adultis necessarius est baptismus in re, vel in voto ad primam justificationem, ita & pœnitentia ad secundam, qualiscumque sit contritio.

Prob. 2. pars: nam muti non dispensantur à lege Euangelica, & possunt peccare mortaliter, & tenentur ad alia præcepta, & sacramenta; ergo & ad istud:

 nam

[1] *ibid. Y. 1.* [2] *c. Lic. pro.* [3] *sess. 6. c. 14.*
[4] *sess. 14. c. 4.* [5] *ibid.*

nam eadem est ratio de isto, ac de aliis.

Confirm. Si quid eos eximeret, maximè quia non possunt loqui, & exprimere verbis peccata; sed hoc non eximit eos; ergo &c. Prob. min. nam possunt ea exprimere aliis signis, sicut & alios suos conceptus, & desideria; ergo & peccata. Prob.ant.Nutibus possunt contrahere matrimonium,&c.

Confir.2. ex praxi Ecclesiæ, quæ admittit eos ad confessionem, & absolutionem; ergo censet eos capaces hujus sacramenti; ergo & ipsi ad illud tenentur. Unde in Concilio Arausicano I. dicitur, quod *si pœnitens obmutescit, & nutibus confiteatur, absolvendus est.*

Objic.1.cont.1.par. Justificati non habent materiam confessionis, nec absolutionis; ergo non tenentur confiteri, imò nec possunt, quia sacramentum non potest esse sine sua materia. Prob.ant. Non habent peccata, alioqui non essent justificati, nec verè dici potest illis, *absolvo te à peccatis tuis*; ergo &c.

Resp.neg.1.ant. & 2.conf. nam peccata, etiam remissa, sunt materia sufficiens absolutionis. Deinde sunt remissa coram Deo, & insensibiliter, non sacramentaliter, & remanent obligati ad sacramentum ex præcepto, & voto.

Inst. Illa absolutio non solum esset falsa, sed & frustra; ergo & confessio.

Resp.neg.ant. quia novam gratiam operatur, quæ de se est remissiva peccati, quod sufficit, ut non sit frustra, nec inutilis.

Objic.cont.2.par. Confessio debet esse vocalis æque, ac absolutio; sed in muto confessio non potest esse vocalis; ergo nec bona, aut saltem non est necessaria. Prob.maj. nam in Concilio Florent. [1] dicitur *oris confessio*; ergo debet esse vocalis.

Resp.dist.maj. & ant. vocalis, & oris regulariter, & quoad fieri potest, conc. absolutè, ita ut non valeat, nec sit necessaria, quando aliter fieri potest,& non vocaliter, neg.maj. & ant. In casu nostro non potest fieri vocaliter, benè verò per alia signa.

Objic.2. Ut fiat validè per signa, hæc debent intelligi à Sacerdote, & ab ipso muto; sed neutrum dici potest; ergo nec quod sit necessaria. Prob. min. nam ipse

[1] *in Decr.*

ipſe mutus deberet doceri hæc ſigna, per quæ ſe poſſit explicare de ſingulis peccatis, & Sacerdos debet ſcire quid ſingula ſignificent; ſed neutrum eſt moraliter poſſibile, maximè ſi pœnitens ſit ſurdus, & mutus; ergo &c.

Reſpon.neg.utramque min. nam experientia docet nullum eſſe mutum, qui per aliqua ſigna non explicet aliquo modo ſuas cogitationes, ac deſideria. Ipſa bruta animalia non ſunt omninò indiſciplinabilia.

Inſt. Muti, & ſurdi non poſſunt doceri obligationem præcepti, nec alias conditiones eſſentiales confeſſionis ſacramentalis; ergo nec ad iſtam obligari, quia impoſſibilis eſt illis impletio præcepti.

Reſp.neg.ant. Nam poſſunt doceri per exempla aliorum, & per aliqua ſigna, ſicut & de aliis rebus.

Objic.3. Non habens copiam Sacerdotis excuſatur ab hac obligatione;ergo & mutus,& quidem à fortiori, quia in iſto eſt major difficultas, & quaſi phyſica impoſſibilitas.

Reſp.diſt.conſ. Si ſit æqualis ratio, & impoſſibilitas, conc. abſolutè, & per ſe, neg.conſ. Nam cùm deeſt Sacerdos, qui ſciat, quid ſignificent nutus, & ſigna, tunc excuſatur ille, quia perinde eſt, ac ſi nullus adeſſet;ſed hoc rarum eſt, & caſus metaphyſicus.

CONCLUSIO III.

P*Robabilius eſt peregrinum, vel eum, qui non habet confeſſarium, cui non poſſit confiteri, niſi per interpretem, non teneri ſic confiteri*. Eſt communior inter Scotiſtas, & alios.

Prob.1.ex Scoto cit.[2] qui non approbat opinionem eorum, qui dicunt, quod ille confiteri debet per ſigna, vel interpretem, dicens, quod *primum illud non videtur neceſſarium, quia forum iſtud ex natura ſua eſt ſecretiſſimum; ergo non tenetur aliquis ad iſtud forum aliquo modo publicum. Sed licet interpres velit celare, & teneatur celare, ſicut Sacerdos, tamen ſi velit malignari, & ipſe, et Sacerdos poſſunt eſſe teſtes contra accuſatum, et ita ex natura hujus accuſationis hæc accuſatio poteſt venire in publicum, et ita non eſt pœnitentialis.*

L 6 Prob.

[1] *ibid.Y.31.*

Prob.2. ex Tridentino. [1] *Cæterum quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, et si Christus non vetuerit, quin aliquis ...... in sui humiliationem .... delicta sua confiteri possit: non est tamen hoc divino decreto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda*, sc. si præciperetur confessio per interpretem, illa non esset secreta; ergo inconsultè præciperetur. Hinc

Prob.3. quia ex institutione divina confessio sacramentalis debet esse secreta; ergo qui non potest confiteri secretò, non tenetur confiteri: sed confessio per interpretem non esset secreta, saltem ex natura sua; ergo ad eam non tenetur homo. Patet antec. nam Christus, qui jubet correptionem fraternam fieri privatim *inter te, et ipsum solum*, noluit præcipere confessionem publicam de peccatis occultis, quę posset vergere in detrimentum famæ, aut vitæ, aut bonorum confitentis, nec ita, ut posset publicari. Prob. subs. nam hæc confessio posset publicari: interpres, & Sacerdos esse possunt duo testes contra confitentem, inquit Scotus. *In ore* autem *duorum, vel trium stat omne verbum.*

Dices. Saltem obligat ex præcepto Ecclesiæ de annua confessione.

Contra. Si non obligat ex jure divino, multo minùs de jure Ecclesiastico.

Objic.1. Confessio est secreta coram solo Sacerdote; ergo & coram interprete. Prob. ant. Est secreta coram Sacerdote, hic tenetur jure divino, & naturali non revelare; sed ita est de interprete; ergo tam est secreta per interpretem, quam coram solo Sacerdote.

Resp. neg. conf. & maj. quia Sacerdos solus quando ex perfidia sacrilega vellet confessa revelare, dicta ejus solius non facerent fidem, sicut facerent duo; ideò ratio est diminuta.

Objic.2. ex Scoto. Non esset confitendum per interpretem, quia timeretur publicatio; sed hæc non est timenda ex tali confessione; ergo &c. Prob. min. Non debet timeri de fidelitate interpretis magis, quàm Sacerdotis, quia eodem jure teneretur ad secretum; sed non timetur de fidelitate Sacerdotis; ergo &c.

Resp.

[1] *sess.14.c.5.*

Resp. neg. min. & dist. 2. de fidelitate Sacerdotis solius, & seorsim, conc. simul cum interprete, neg. min. ob rationem datam, quia sc. Sacerdos solus, & seorsim non faceret fidem, sicut cum interprete, & ambo simul possent ex malignitate publicare confessa.

Inst. Si inde eximeretur peccator ab hac obligatione, id esset detrimentum famæ; sed ista ratio non semper valet; ergo &c. Prob. min. Qui habet peccata reservata, quæ non vult confiteri superiori, tenetur ab eo petere licentiam absolvendi pro alio confessario; sed tunc deberet peccata revelare pluribus; ergo illa ratio non valet. Hanc rationem magni faciunt adversarii.

Resp. neg. min. & 2. maj. Nam 1. ille potest confiteri soli superiori, qui tenetur eum audire, & tunc non valebit argumentum. 2. cùm plura soleant reservari eidem superiori, poterit in confuso petere licentiam pro reservato, non specificando illud: sic superior sciet quidem illum habere aliquod reservatum, sed nesciet illud in specie. 3. quia, ut docent Patres Poncius, & Frassen, qui commisit reservata, & non vult ea confiteri superiori, videtur renuntiasse huic rationi suæ exemptionis. 4. potest obtinere ab ipso confessario inferiori, ut petat ipse licentiam absolvendi, non declarando nequidem personam pœnitentis. 5. solet Ecclesia deputare in singulis diœcesibus, imò & conventibus aliquos pœnitentiarios pro reservatis. 6. denique in articulo mortis, vel casu necessitatis potest cessare reservatio. Hæc autem omnia non valent in casu conclusionis, excepto, quòd pœnitens pro securitate salutis potest non uti hac libertate, adhibendo interpretem.

Dico, *pro securitate*, & quod potest sic confiteri, imo & ex charitate naturali erga Deum, & seipsum hoc deberet facere in periculo mortis, & salutis: nec deberet præsumere de sua contritione, quamvis hæc à parte rei posset sufficere.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quandonam urgeat præceptum confessionis Divinum; aut Ecclesiasticum.

JAm diximus præceptum confessionis absolutè, & indeterminatè esse divinum, & Ecclesiam non præcepisse, nisi aliquod tempus, ultra quod illa non debet differri, quamvis aliis temporibus, & sæpiùs fieri possit; sed multæ sunt occasiones, in quibus præceptum Divinum poterit obligare ex natura rei, quandoquidem ex verbis Euangelii nullum determinatur. Nam Christus tantùm dixit: *Quorum remiseritis*, &c. & sic dedit potestatem Ecclesiæ, ut quoties ad illam recurrit peccator confessurus peccata pro remissione, illa habeat potestatem audiendi, & remittendi, aut retinendi.

Ex parte autem peccatoris dubitari potest, an dentur casus, in quibus teneatur ex jure divino sic recurrere, & confiteri, v. g. an statim atque peccavit mortaliter, an in periculo mortis, & sic de aliis. Idem quæritur de præcepto Ecclesiæ.

CONCLUSIO I.

JUre divino tenentur omnes ad confessionem sacramentalem in articulo, vel periculo mortis, si habent peccata mortalia, non autem statim post peccatum mortale, per se loquendo. Est communis.

Prob.1. ex Scoto. [1] *Quilibet enim, quando imminet periculum damnationis, vel misericordiæ, debet se præparare ad misericordiam quantùm potest. Istud autem non est tantùm in infirmitate mortali, sed quando aggreditur actus arduos, in quibus fit verisimile, quòd mors immineat, in bello mortali, vel naufragio, & hujusmodi.* Clariùs loquitur in Reportatis, [2] ubi specificat casus, in quibus urget hoc præceptum Divinum.

Prob.2. quoad 1. & 2. p. Certum est, quod præceptum Divinum de confessione obligat pro aliquando; sed non potest assignari tempus ullum, pro quo obliget

[1] *Ibid.O.21.* [2] *n.27.*

get aptius, quàm instante morte ex morbo, vel alio periculo imminenti; ergo tunc obligat. Prob. min. Nisi enim tunc obligaret, posset numquam impleri: nam si accidat mors, non amplius poterit confiteri; ergo &c.

Confirm. ex dictis de necessitate contritionis; nam eadem est obligatio confitendi, & conterendi, quia contritio includit votum confitendi, ex Concil. Trident. ergo &c.

Confir.2. ex praxi Ecclesiæ, quæ in utroque casu summè sollicita est inducere moribundos ad hoc sacramentum, & alia suscipienda.

Prob. denique: nam ex charitate naturali, ac divina omnis homo debet esse sollicitus de sua salute æterna, & tenetur providere animæ suæ contra periculum damnationis imminentis, & inevitabilis, si impœnitens, & inconfessus moriatur, maximè si conscius sit peccati mortalis; sed numquam magis imminet periculum damnationis, quàm in his casibus; ergo &c.

Prob.3. p.1. ex Scoto, [1] qui magis inclinat in sententiam eorum, qui dicunt sufficere Christiano, quod post peccatum habeat votum confitendi tempore Paschatis, *quia hoc videtur mitius; quia præcepta pœnalia non sunt amplianda, sed restringenda; nec invenitur, quod hoc præceptum affirmativum obliget, nisi ad aliquando; & istud, quando arctè præceptum Ecclesiæ fuit indeterminatum ad quodcumque, quando unicum in anno .... semper tamen oportet habere votum confitendi*; ergo ex Scoto præceptum confessionis non urget ad statim post peccatum.

Prob.2. Nullibi constat de tali obligatione ex ullo præcepto naturali, aut positivo; ergo gratis asseritur.

Confir.1. Nam si Christianus deberet statim confiteri post peccatum mortale, Ecclesia non benè determinasset tempus ad semel in anno; & hoc præceptum esset potiùs relaxatio, quàm reformatio, ut dicebant aliqui apud Scotum cit.

Confir.2. Quia si esset talis obligatio, deberet semper in confessione exprimi tempus, in quo commissa sunt singula mortalia, quia quoties adfuit commodi-tas

[1] *Ibid.V.*28.

tas confitendi, toties peccaretur mortaliter contra hanc obligationem, & alioqui confessio non esset integra; sed conf. est contra praxim Ecclesiæ, & Theologorum mentem; ergo &c.

Objic. 1. con. 1. & 2. p. Non est potior ratio in periculo mortis, quàm in alio quovis tempore; sed non est in aliis temporibus; ergo nec in isto. Prob. maj. ratio talis obligationis in illis casibus est reconciliatio cum Deo; sed hæc militat pro quovis tempore; ergo &c.

Resp. neg. 1. maj. & dist. 2. Reconciliatio in ea circumstantia, con. absolutè, & præcisè, & sola, neg. maj. & conf. Nam hæc obligatio venit præcipuè, quia in illis periculis urget necessitas reconciliationis, quæ non poterit aliàs obtineri.

Inst. Potest tunc obtineri per contritionem; ergo hæc ratio non urget.

Resp. neg. conf. quia contritio continet votum confitendi, quod votum non poterit aliàs impleri.

Objic. 2. Deus non determinavit ullum tempus; ergo gratis illud determinamus ad hos casus.

Resp. dist. ant. Non determinavit explicitè, conc. implicitè, neg. ant. Nam hoc ipso, quod præcepit pro aliquando confessionem, satis patet, quod eam præcepit pro illis casibus, ultra quos non poterit impleri præceptum.

Objic. 1. con. 3. p. Scriptura monet, *ne tardes converti ad Dominum*, *& ne differas*; sed sine confessione non est bona conversio; ergo sine dilatione confiteri debemus post peccatum.

Resp. neg. min. Nam conversio bona est per contritionem cum voto confitendi suo tempore.

Inst. qui post peccatum mortale moritur sine confessione, damnatur; ergo debuit statim confiteri, & peccavit differendo, nam se exposuit periculo damnationis.

Resp. neg. conf. quia nullum per se instat periculum, ut supponimus.

Objic. 3. quoad jus divinum assignari non potest aliud tempus, quàm prima opportunitas post peccatum; ergo tunc urget præceptum. Prob. ant. Nam de aliis omnibus occurrentiis est eadem ratio.

Resp. neg. utrumque ant. Nam periculum mortis est tempus satis determinatum; alioqui modò confes-

sio fiat ante mortem, sufficit quoad hoc, præciso alio præcepto Ecclesiæ id determinante ad semel in anno.

CONCLUSIO II.

CHristianus adultus habens peccatum mortale tenetur confiteri, quando tenetur recipere Euchariſtiam, vel aliud sacramentum, aut ea ministrare, & denique semel in anno. Est etiam communissima quoad 1. p. & certa quoad ultimam.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui hoc asserit, *quoties vult exercere aliquos actus, quibus debetur reverentia specialis, ut quando vult communicare, quia, ut dictum est supra, habita opportunitate confessoris, nullus debet sine confessione communicare*, sc. si habeat peccatum mortale: & eadem est ratio de actibus ministrandi, vel recipiendi alia sacramenta: nam illis actibus debetur summa reverentia.

Dico, *si habeat mortale*: nam inquit, [2] *Quantum capio ex statutis Ecclesiæ generalibus, nullus tenetur ad confessionem venialium in quocumque casu*, &c.

Prob. specialiter 1. p. ex Trident. [3] *Ne tantum sacramentum indignè, atque ideo in mortem sumatur, statuit, atque declarat ipsa S. Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque se contritos existiment, habita copia confessarii, necessariò præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis dixerit contrarium, eo ipso excommunicatus existat.*

Prob. 2. quia, ut patet ex hoc can. qui aliter facit, exponit se periculo profanandi sacramentum illud, cujus summa dignitas exigit hanc puritatem, ut diximus tr. super.

Prob. 2. ex dictis de ministro sacramentorum: nam sancta sanctè tractanda sunt; ergo non sunt tractanda in statu peccati mortalis, & multò minùs recipienda: nam in utroque esset maxima irreverentia, præter quam quod reciperentur invalidè, aut saltem infructuosè: nam alia omnia, præter baptismum, & pœnitentiam, exigunt statum gratiæ in suscipiente, ideo dicuntur sacramenta vivorum.

Prob. 3. p. ex Concilio Later. in quo decernitur, *ut omnis*

[1] *Ibid. Q. 21.* [2] *Ibid. Q. & R. 22.* [3] *Sess. 11.*

omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti. Quod approbat Trid. Neque de hoc dubitatur.

Objic. 1. con. 1. p. & 2. Ad suscipienda sacramenta sufficit status gratiæ; sed ad hoc non requiritur confessio in re; ergo nec ad Eucharistiam, vel alia sacramenta. Prob. min. Nam potest haberi gratia per contritionem cum voto confessionis suo tempore faciendę; ergo &c.

Resp. dist. min. Non requiritur absolutè, & in casu necessitatis, & si non adsit confessarius, con. si adsit confessarius, & nulla urgeat necessitas, neg. min. & dist. ant. potest haberi minùs perfectè, & minùs securè, con. tam perfectè, & securè, neg. ant. Unde si negligat fidelis purgare se per confessionem, exponit se periculo sacrilegii erga sacramentum, quod reciperet, aut ministraret. Et quandoquidem contritio includit votum confessionis, ut justificet, cur non recipit eam in re, si commodè potest?

Objic. 2. Nullum habemus præceptum de confessione ad recipienda, vel ministranda sacramenta; ergo gratis hoc asseritur: non enim debet aggravari onus legis hujus, quæ jam de se gravis est.

Resp. 1. neg. ant. Nam pro Eucharistia sumenda extat decretum Concilii Trid. cit. ergo idem est de aliis: nam *in similibus simile est judicium*, inquit Doctor.

Resp. 2. dist. ant. Nullum explicitum, conc. implicitum, neg. ant. Nam generaliter præcipitur, & ipsa naturalis ratio dictat sancta sanctè tractanda esse. Unde peccatori dicit Deus, *quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum, tu verò odisti disciplinam*?

Objic. con. 3. p. Illud præceptum Ecclesiæ respiceret directè ipsum sacramentum, vel præceptum ejus; sed neutrum dici potest; ergo nec quod existat ullum tale præceptum. Prob. min. 1. Non ipsum sacramentum: nam Ecclesia non præcipit actus internos, quibus constant sacramenta. 2. Non præceptum ejus divinum: nam istud sufficeret, & illud frustra esset; nec enim ullam vim adderet divino.

Resp. neg. min. Nam utrumque respiceret quoad præfixionem temporis, in quo divinum deberet imple-

pleri, nempe semel in anno. Ad prob. neg. conf.quia confessio est actus externus sacramenti pœnitentiæ, sicut & absolutio.

Quæres, *An obligatio confessionis urgeat tempore gravis tentationis*.

Resp. negativè. 1. quia nullum extat de hac re præceptum. 2. si extaret aliquod, Ecclesia non debuisset determinare obligationem ad semel in anno; sed debuisset determinare ad tempus, quod sæpius occurrit, ut occasiones tentationum. 3. ex praxi Ecclesiæ constat non solere pœnitentes confiteri, nec interrogari de hac omissione in illis occasionibus, in quibus illa esset grave peccatum contra talem obligationem. 4. plurimi deberent sæpissimè, & quasi continuè confiteri, quia quasi continuis tentationibus vexantur.

CONCLUSIO IV.

AD observantiam hujus præcepti annualis confessionis in rigore, & per se sufficit, ut semel in singulis annis fiat quocumque die; sed congruenter id faciendum est circa festa Paschalia.

Prob.1. ex Scoto. [1] *Quoad quando*, inquit, *Ecclesia determinat præceptum, sc. semel in anno, & illud semel videtur ad minùs circa Pascha, quo tempore secundum illud capitulum debet quilibet Christianus communicare*. Et in Reportatis. *Quoad quando, specificatur quadragesima ante Pascha*, &c.

Prob.2. ex terminis legis, nullum enim determinat tempus, nisi *semel in anno saltem*. Et Concilium Trident. [2] *Jam in universa Ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo .... tempore quadragesimæ; quem morem hæc S. Synodus maximè approbat*, &c. ergo habes utramque partem conclusionis, scil. non præcipi confessionem, nisi semel in anno, & eam congruenter fieri in quadragesima, & ante Pascha.

Prob.3. Nam si Ecclesia voluisset determinare positivè aliquod tempus, illud non tacuisset, sicut non tacuit tempus communionis; sed hanc determinavit ad Pascha, & confessionis tempus reliquit liberum, modò fiat semel in anno; ergo &c.

Prob.

[1] *Ibid. V.28.* [2] *Sess. 14. cap. fin.*

Prob.2. p. Nam in Paschate urget præceptum communionis, ad quam debet necessariò, vel congruenter præmitti confessio; ergo &c. Prob. ant. Nam habens peccatum mortale debet necessariò præmittere confessionem; qui verò non habet tale peccatum, adhuc laudabiliter eam præmittit, ut digniùs communicet, & fructuosiùs.

Objic. 1. ex praxi Ecclesiæ confessio fit circa Pascha; ergo talis est intentio præcepti.

Resp. ex praxi per accidens, & ex occasione communionis Paschalis, con. per se, & præcisè ex vi præcepti confessionis annualis, neg. ant. Nam per se, & in rigore sufficit facta quovis tempore, & qui confessus esset ab initio Januarii, non teneretur confiteri in Paschate, si sciret se non habere mortale peccatum.

Inst. si idem haberet peccatum mortale in paschate, non sufficeret illa prior confessio pro impletione præcepti; ergo non sufficit confessio in aliis temporibus, quam in Paschate.

Resp. ut supra: non sufficeret per accidens, & ratione communionis celebrandæ, conc. per se, & ex vi præcepti confessionis, neg. ant. ut patet.

Quæres, *Unde incipiat computari annus confessionis.*

Respond. probabiliùs computandum ab initio anni communis, sc. à mense Januario, ut multis placet; quia sic facilior, & securior est computatio, & minoribus scrupulis, & difficultatibus subjacet.

Quæres 2. *An qui in prima confessione non habuit nisi venialia, teneatur ex hoc præcepto iterum confiteri intra eundem annum, si peccet mortaliter.*

Resp. probabiliter affirmativè: quia, ut diximus, confessio venialium non cadit sub præceptum; ergo hoc ipso, quòd intra annum habet mortalia, tenetur ex hoc præcepto illa confiteri: sicut qui per annum abstineret à mortali, non teneretur confiteri, quia non habet materiam necessariam confessionis.

Idem est de illo, qui in una, vel pluribus oblitus fuisset confiteri aliquod mortale, quod habebat, scilicet tenetur ex vi præcepti illud confiteri intra annum, si de illo recordetur.

Quæ-

Quæres 3. *An qui intra annum unum omisit confiteri, teneatur bis confiteri in sequenti.*

Resp. negativè, saltem ex vi præcepti. Sicut qui omisit jejunium unius vigiliæ, non satisfacit in rigore jejunando alia die. Dico, *ex vi præcepti*: nam optimè faciet, si per aliud jejunium compenset quantum poterit omissionem.

Quæres 4. *An satisfiat per confessionem invalidam.*

Resp. negativè, quia hæc non fuit vera confessio instituta à Christo, & ab Ecclesia præcepta.

Quæres 5. *An teneatur, qui non habet nisi peccata dubia.*

Resp. affirmativè, quandiu manet dubius: nam illa peccata sunt materia confessionis, ut vidimus. Dico, *quandiu manet dubius*: nam in dubiis tutior pars eligenda est, & standum pro lege.

Quæres 6. *An prævidens impedimentum confessionis per reliquos undecim menses unius anni teneatur ex tunc confiteri.*

Resp. affirmativè: non enim debet exponere se periculo peccati, & transgressionis, & ex tunc omissio fieret voluntaria, saltem in causa.

QUÆSTIO V.

Qualis debeat esse confessio, & de illius secreto.

Multa communiter requiruntur à Theologis in bona, & perfecta confessione sacramentali, quæ his versibus continentur.

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Dicitur 1. *Simplex*, verbis ingenuis, & sine artificio, quo vel peccatorum natura pallietur, vel pœnitentis eloquentia ostentetur. 2. *Humilis*, scilicet cum mentis, cordis, & corporis demissione, qua magis pœnitentiæ interioris fervor ostendatur. 3. *Pura*, sine verbo, aut circumstantiis inutilibus, & alienis. 4. *Fidelis*, sine mendacio, vel falsitate, non tacendo, quod

quod est, nec dicendo, quod non est, & explicando qualiter est. 5. *Frequens*, ne longius dilata fiat minùs integra ex oblivione, quæ ferè inevitabilis est in rarioribus confessionibus. 6. *Nuda*, seu distincta, & clara sine velamine, aut obscuritate, aut metaphoris. 7. *Discreta*, verbis honestis expressa. 8. *Libens*, seu voluntaria, non coacta ex timore, vel respectu humano. 9. *Verecunda*, modesta, & cum aliquo pudore, propter peccati turpitudinem, & atrocitatem; non ex impudentia, qua quis narraret illud quasi per jactantiam. 10. *Integra* quoad speciem, & numerum, & circumstantias notabiliores. 11. *Secreta*, uni, & soli Sacerdoti. 12. *Lacrymabilis*, cum signis aliquot sensibilibus veri doloris interni. 13. *Accelerata*, quam citò peccatum grave agnoscitur, & remordet, & habetur occasio confitendi, fiat. 14. *Fortis*, non ex timore, aut verecundia taceantur, vel dissimulentur peccata. 15. *Accusans*, sibi, & non aliis imputans peccata sua. 16. *Parere parata*, ut pœnitens velit implere, quæ sibi à Sacerdote imponuntur in satisfactionem, aut remedium, & cautelam. Porrò ex tot qualitatibus aliquæ satis conveniunt, ut *simplicitas*, *puritas*, *nuditas*, & *accusatio*: quædam sunt minùs, quædam magis essentiales; ideo in prioribus non immoror, sed posterioribus, dicam quæ magis necessariò sciri debent, & quæ difficultatem aliquam scholasticam habere videbuntur. Et 1. occurrit secretum, an hoc adeò confessioni essentiale sit, ut omnis publicitas illi repugnet ex parte tam pœnitentis, qui soli Sacerdoti, & ad aures confiteatur, & quoad hoc dicitur *auricularis*, quàm Sacerdotis, qui nullo modo potest audita revelare, & dicitur *sigillum confessionis*, quod est inviolabile; & de isto dicemus q. sequenti. Nam de primo quærimus, an adeo sit essentiale, ut confessio publica non possit esse valida.

CONCLUSIO.

Confessio publica ex parte pœnitentis potest esse valida, sed regulariter debet esse secreta. Est communis.

Prob.

Prob.1. ex Scoto. [1] *Forum istud ex natura sua est secretissimum; ergo non tenetur aliquis ad istud forum, ut aliquo modo sit publicum*. Ideò dicebamus non teneri hominem confiteri per interpretem, quia inde posset violari secretum.

Prob.2. ex Trid. [2] *Quoad modum confitendi secretò apud solum sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem tum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur*, &c. ergo confessio debet regulariter esse secreta, sed tamen publica valeret.

Prob.3. ex Patribus: nam olim quidem vigebat confessio publica, sed priùs erat secreta, quam fieret publicè. Qui sic volebat confiteri, adibat privatim Episcopum, aut Pœnitentiarium, cui confitebatur, & ejus consilio, si quædam publicè dicenda erant, audiebat. Eò facit illud Origenis: [3] *Circumspice diligentiùs cui confiteri debeas peccatum tuum .... si intellexerit languorem tuum talem esse, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt .... & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito illius medici consilio procurandum est*. Idem patet ex Ep.80. Leonis [4] prohibentis, *ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publicè recitetur, cùm reatum conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter timorem Dei apud homines erubescere non veretur, video tamen secretam imperari, & publicam laudari, sed non permitti.* Et August. [5] *Veniat ille* (peccator) *ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrentur...& à Præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum*, an sc. secretò, vel publicè pœnitendum sit.

Prob. specialiter 1. p. Nam, ut colligitur ex Trid. Christus non vetuit peccata nostra nos publicè confiteri; ergo talis confessio esset valida. Prob. cons. quod Christus non vetuit instituendo sacramentum, sed per-

[1] *d.17.T.31.* [2] *Sess.4.c.5.* [3] *ho.2.ps.37.*
[4] *Ep.80.* [5] *ho.50.& 51.*

permisit, non invalidat sacramentum; sed Christus permisit saltem tacitè publicam confessionem, ut patet ex verbis cit. Concilii; ergo &c.

Prob. denique: nam publica confessio potest habere omnia essentialia ex parte pœnitentis, ut ab idoneo ministro absolvatur: potest adesse debitus dolor, debita accusatio cum debito proposito non peccandi, & satisfaciendi; ergo potest esse valida.

Confir. ex praxi Ecclesiæ, quæ sæpius tales confessiones admittit, saltem in aliquibus casibus, in quibus fieri non possunt secretæ: ergo &c. Prob. ant. admittit confessiones per interpretes sive in mutis, sive in peregrinis non callentibus linguas, sive in infirmis tempore pestis, quæ non patitur, ut confessarii propiùs accedant, sive in bello, cùm morientes non possunt à sociis separari, ut seorsim possint audiri; ergo ex praxi Ecclesiæ admittuntur aliquando confessiones publicæ; ergo secretum ex parte pœnitentis non est de essentia confessionis sacramentalis.

Prob.2. p. ex eodem Concil. cit. dicente, quod *publica confessio non satis consultè præciperetur ulla lege humana*; ergo regulariter, & ex positiva intentione Christi confessio debet esse secreta, licèt permittatur publica.

Confir.1. ex primaria Christi intentione talis est confessio, qualis fuit, & est in usu in universa Ecclesia ab initio usque in præsens; sed ex Concil. cit. patet, quod secreta semper fuit, ut modò est in usu; ergo &c. Prob. maj. Alioqui *in illo unanimi consensu, & usu errasset Ecclesia*, quod est erroneum in fide.

Confir.2. Nam idem Concil. addit esse calumniam dicere confessionem auricularem *esse à divino mandato alienam, & inventum humanum*; ergo censet eam, ut talem, divinæ institutioni conformem.

Objic.1. con.1. p. Præceptum, & institutio confessionis non est aliud ab institutione ipsius sacramenti pœnitentiæ; sed istud præceptum non potuit esse nisi de tribunali secreto; ergo nec præceptum confessionis. Prob. min. tum ex Concilio cit. dicente, quod *confessio publica non consultè præciperetur ulla lege humana*: tum quia præceptum illud videretur contra jus naturæ, quod quisque habet in suam famam, &

licet Deus hoc posset præcipere, adhuc noluit propter hanc difficultatem.

Resp. dist. min. Præceptum positivum, con. negativum, seu permissivum, neg. min. & 2. conf. Nam licèt Deus ex sua bonitate noluerit positivè præcipere confessionem publicam in hoc sacramento, potuit tamen eam permittere devotioni fidelium, qui vellent sic humiliari spontè per talem confessionem, & de facto permisisse constat ex praxi Ecclesiæ.

Inst. Illa sola confessio est sacramentalis, quæ instituta est à Christo in hoc sacramento; sed sola secreta instituta est; ergo &c.

Resp. ut supra de institutione positiva, & negativa.

Objic. 2. ex Scoto, forum istud est secretissimum ex natura sua; ergo peccata ibi remittenda, aut retinenda non debent publicari, nec illud debet exerceri publicè: nam quæ publicantur, pertinent ad forum publicum.

Resp. cum eodem dist. conf. Non debent publicari ex necessitate præcepti positivi, conc. ex libera devotione, neg. conf. Aliud est dicere *non tenetur*, & aliud *non licet*, *nec valet*. Primum relinquit libertatem, & tollit solam necessitatem, 2. verò tollit libertatem confitendi publicè.

Inst. Peccata publica non pertinent ampliùs ad forum secretum, sed ad externum; sed per confessionem publicam fiunt publica; ergo desinunt pertinere ad forum sacramentale; ergo confessio illa non esset sacramentalis.

Resp. dist. maj. & min. Non pertinent ad forum secretum quoad pœnas externas, & temporales, con. maj. & neg. min. quoad culpam, & reatum pœnæ æternæ, neg. maj. & conf. *Datur duplex forum in Ecclesia, unum secretissimum, in quo idem est accusator, & reus, & aliud publicum, in quo Ecclesia habet potestatem corrigendi delicta publica*, scil. per censuras, per excommunicationem, &c. in 1. remittitur peccatum quoad reatum pœnæ æternæ, sive illud sit secretè, sive publicè confessum, licèt ex intentione positiva Christi debeat secretè dici, & judicari.

Inst. 2. Scotus dicit, quòd si confessio fiat pluribus sacerdotibus simul, non est sacramentalis; ergo sola secreta est sacramentalis, & secretum est illi essentiale,

Resp. dist. ant. Si fiat ex necessitate, & ut melius judicetur, conc. si sponte, & ex libera devotione, neg. ant. id enim non cogitavit Doctor, ut patebit legenti. Fateor, quod confessio ut publica non est sacramentalis, quia publicitas non est de ratione confessionis, ut est sacramentum.

Objic.3. ex confessione sacramentali oritur obligatio inviolabilis sigilli; sed hæc obligatio non adest in confessione publica; ergo hæc non est sacramentalis.

Resp.1. dist. maj. ex confessione sacramentali secreta, conc. ex publica, neg. maj. nam si auditores loquantur inter se de auditis, non violant sigillum, nec secretum, quia nullum est.

Resp.2. dist. min. Non oritur inter auditores immediatos, conc. inter istos, & alios, qui non audierunt immediatè, neg. min. Nam sicut interpres non potest revelare audita, nisi confessario, ita nec isti auditores immediati, maximè cùm quis ex necessitate confitetur coram multis, ut in casu incendii, belli, pestis, & in quibus pœnitens vellet audiri à solo Sacerdote. Ita respondent aliqui, sed magis placet 1. responsio.

Objic.4. Nemo potest dispensare in jure naturæ, præter Deum; sed Deus non dispensat, ut quis per confessionem publicet peccata sua secreta; ergo nemo potest publicè confiteri. Prob. min. ex dictis: nam Christus non præcepit confessionem publicam talium peccatorum; ergo reliquit in hoc jus naturale integrum; sed ex hoc jure, & propria charitate, quæ est de illo jure, tenetur omnis homo tueri famam suam, quæ læditur per illam confessionem; ergo hæc est contra jus naturæ.

Resp.1. Non esse quæstionem, an confessio publica lædat jus naturæ, sed an invalidet sacramentum hoc, quod pendet à summo jure divino.

Resp.2. Hoc nimis probare: nam multi ex arguentibus tenent licere confiteri per interpretem in casu necessitatis, licèt ex tali confessione lædatur fama confitentis. Imo & ipsi, & alii permittunt confessionem publicam non sacramentalem, per quam multò magis læditur fama; ergo longè magis debent admittere sacramentalem.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De integritate confessionis; an, & qualis esse debeat.

DIximus integritatem confessionis in eo consistere, ut peccata omnia quoad speciem, & numerum, & circumstantias notabiles recitentur. Et duplex est. 1. *materialis*, quæ consistit in hoc, quod illa omnia, qualia sunt à parte rei, recitentur. 2. *formalis*, quæ consistit in hoc, quod omnia mortalia, quæ post diligens examen occurrunt memoriæ, dicantur, licèt inculpabiliter, & involuntariè aliqua prætereantur, vel ex rationabili causa teneantur, ita ut absolutio sit valida. Loquimur de confessione sacramentali, quidquid sit de aliis.

Suppono etiam circumstantias alias esse *minuentes*, quæ reddunt peccatum minùs grave, alias *aggravantes*, sed *leviter*, alias *notabiliter aggravantes*, & alias *mutantes speciem* peccati, ut furtum in loco sacro, vel rei sacræ, quod est sacrilegium, & contra justitiam, & Religionem. Et sic de aliis. De *leviter aggravantibus* non disputatur: nam convenit apud omnes, quod licèt omittantur, non impediunt integritatem confessionis, neque de *mutantibus speciem* ullus dubitat, quin sint aperiendæ, alioqui confessio non erit integra. Controversia est de gravibus, quæ non mutant speciem.

Certum est etiam, quòd quæstio procedit de mortalibus post baptismum commissis, & aliàs non confessis, nec remissis: nam quæ præcesserunt baptismum, aut aliàs confessa, & remissa sunt, non pertinent ad hoc sacramentum, saltem ut materia ejus necessaria.

CONCLUSIO I.

COnfessio sacramentalis debet esse formaliter integra de omnibus mortalibus quoad numerum, & singulas species. Est communis de fide.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Continet hoc præceptum, quid debet confiteri, quia peccatum mortale .... sed quod peccatum mortale? Resp. quòd omne, de quo habetur memo-*

[1] *d.17.M.19.*

ria, *& præmissa inquisitione diligenti secundum possibilitatem fragilitatis humanæ*. Ecce integritatem formalem.

Prob.2. ex Concil. Trid. [1] docente, *institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem*. Et apertè, *à pænitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint .... Qui verò secùs faciunt, & scienter aliqua reticent, nihil divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt*. Et infrà. *Si quis dixerit, in sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum jure divino necessarium non esse omnia, & singula, quorum memoria cum diligenti præmeditatione habetur, & circumstantias, quæ speciem immutant..... anath. sit*. Idem colligitur ex Concil. Lateran.[2] & Florent. in decreto Eugen.

Prob.3. ex Patribus. Nam inquit Cyprian. *Apud Sacerdotes Domini dolentes, & simpliciter confitentes exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, & salutarem medelam parvis licèt, & modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse, Deus non irridetur*, sc. non fallitur, ut illi taceantur peccata ulla. Et Author libri de vera, & fal. pœnit. *Pœnitens cautus sit, ne verecundia ductus dividat apud se confessionem*, &c. Et Pacianus, *Prudentes ægri medicos non verentur etiam in occultis partibus corporis etiam perusturos*, &c. Et Hieron. *Quod ignorat medicina non curat*, &c. ergo absolutio non valet, si confessio non est integra. Et idem docent alii.

Prob.4. quia præceptum confessionis infertur ex institutione hujus sacramenti, & verbis Christi: *Quorum remiseritis*, &c. quatenùs instituitur per modum judicii, ita ut Sacerdos debeat cognoscere omnia, ut sciat, quæ peccata remittenda sunt, & quæ retinenda, & ut singula perpendat, & proportionatas imponat satisfactiones, & remedia. Denique unum peccatum non remittitur sine aliis; ergo absolutè, & ex intentione Christi confessio sacramentalis debet esse integra de omnibus mortalibus post baptismum commissis, nec aliàs confessis, nec remissis.

Objic.1. ex institutione Christi sufficit, ut omnia peccata remittenda dicantur idoneis ministris; sed hoc fieri

[1] *Sess.14.c.5.* [2] *can.7.*

fieri potest per plures confessiones non integras pluribus ministris; ergo confessio non integra valet. Prob. ant. Quilibet sacerdos habens illam potestatem potest remittere peccata sibi confessa, nec aliud infertur ex verbis Christi, *Quorum remiseritis*, &c. ergo &c.

Resp. neg. utrumque ant. nam hæc potestas data est Sacerdoti, ut possit absolvere peccatorem, & illum sanctificare, & reconciliare Deo, quod facere nequit, quamdiu restat in eo aliquid mortale, alioqui esset justus, & reus, in gratia, & in peccato, amicus, & inimicus; & neuter Sacerdos potest remittere peccata, quæ non novit.

Inst. Posset confiteri mortalia uni, & venialia alteri, & à singulis valeret absolutio; ergo ita est de mortalibus per confessiones dimidiatas. Prob. conf. Non est potior ratio de uno casu, quam de alio; ergo &c.

Resp. 1. neg. conf. & parit. quia 1. confessio de omnibus mortalibus esset substantialiter integra, habens totam suam materiam necessariam. 2. etiam haberet totam suam sufficientem: nam venialia potuerunt taceri in prima.

Resp. 2. Posse fieri ut neutra valeat, quia si hoc fiat per hypocrisim, peccabit mortaliter in utraque, aut saltem in 2. si prima fuit syncera. Sed quidquid sit de hoc peccato, mihi certum est, quod si in prima syncerè dicat omnia mortalia, tacens venialia, velut non necessaria, valebit absolutio, & si in 2. syncerè etiam dicat venialia sine prava intentione fingendi se meliorem, & decipiendi 2. confessarium, hæc etiam valebit.

Objic. 2. Qui habet aliqua mortalia non reservata, & alia reservata, potest priora confiteri sacerdoti inferiori, & deinde reservata superiori, maximè quando urget præceptum confessionis; ergo potest aliquando valere confessio non integra mortalium.

Resp. probabilius, neg. ant. Nam, ut diximus aliàs, in hoc casu deberet utraque dicere inferiori, qui eum indirectè, & ad cautelam absolveret, si urgeret necessitas, cum obligatione adeundi superiorem quàm primùm.

Inst. Nullus tenetur eadem bis confiteri; sed si responsio valeret, pœnitens ille deberet eadem bis confi-

teri; ergo &c. Prob. maj. nam Christus, nec Ecclesia tantum onus noluerunt imponere fidelibus, ut eadem bis confiteantur.

Resp. dist. maj. & ant. Nullus tenetur per se, & de lege ordinaria, con. per accidens, & in casibus extraordinariis, neg. maj. & ant. Nam illud onus non tam venit à Christo, vel Ecclesia, quàm ab ipso pœnitente per ipsum suum peccatum, à quo debuit deterreri per reservationem.

Inst.2. saltem dimidiaret confessionem apud superiorem, cui sufficeret dicere reservata, quia esset absolutus ab aliis; ergo valet dimidiata.

Resp.1. neg. ant. utrumque: nam si superior velit eum per se absolvere, debebit omnia audire. Sed de his difficultatibus dicemus infra, ubi de casibus reservatis. Interim vide Brancatum, & Mastrium.

Resp.2. neg. conf. Nam in eo casu utraque confessio esset integra, non materialiter, sed formaliter.

Objic.4. Integritas illa est impossibilis; ergo non obligat. Prob. ant. Nam plures non possunt recordari, vel distinguere omnia mortalia, ut rustici, & fœminæ; ergo &c.

Resp. dist. 1. ant. & conf. Integritas materialis, transeat, formalis, neg. ant. & conf. nam hæc integritas exigit tantùm, ut dicantur omnia mortalia, quæ post exactum conscientiæ examen occurrunt memoriæ, & qui non discernunt mortalia, debent omnia dicere, qualia occurrunt.

CONCLUSIO II.

AD *valorem hujus sacramenti, & confessionis non est necessaria integritas materialis*. Ita communiter.

Prob.1. ex Scoto. [2] *Confiteri debet omne peccatum mortale, de quo habetur memoria, præmissa inquisitione diligenti secundum possibilitatem fragilitatis humanæ*: Sed ad hoc non requiritur integritas materialis: nam fragilis est memoria, & facile est aliqua oblivisci; ergo &c.

Prob.2. ex Concil. Trid. cit. *Dum omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt, Christi fideles confiteri student*,

[1] *Ibid. M.19.*

dent,procul dubio omnia divinæ misericordiæ ignoscenda exponunt ..... Constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm ut, postquam quisque diligentiùs se excussit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Deum suum offendisse meminerit. Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt in universum, in eadem confessione inclusa esse intelliguntur; ergo Concilium, nec Ecclesia non exigunt integritatem materialem confessionis.

Prob 3. Deus non præcipit impossibile; sed moraliter impossibile est, saltem pluribus, qui rarò, & semel tantum in anno confitentur, recordari omnium mortalium, quæ per totum annum fecerunt tam quoad speciem, quàm quoad numerum: item moraliter est impossibile, quin aliqua labantur ex memoria, aut prætereantur inadvertenter; ergo Deus noluit præcipere hanc integritatem, modò præteritio non sit culpabilis: nam in hoc integritas non esset formalis, sicut nec materialis.

Confirm. Nam jugum Christi suave est, & secundum providentiæ suæ suavitatem, attenta fragilitate humana, noluit obligare hominem, non dico ad impossibile physicum, sed nec ad multùm difficile, quod dicimus impossibile moraliter, qualis est ista integritas pro multis peccatoribus; ergo &c.

Requiritur ergo, & sufficit in pœnitente syncera voluntas dicendi omnia peccata sua nudè, & apertè, qualia ipse cognoscere potest per diligentem sui discussionem: & si post confessionem aliqua occurrunt omissa, debet ea quàm primùm confiteri, licèt in præcedenti remissa fuerint.

Illam autem diligentiam sic describit Doctor, *ut quantam inquisitionem posset aliquis apponere circa aliquid multùm arduum, quod sibi multùm esset cordi, tantam deberet apponere circa omnia peccata mortalia reducenda in memoriam, & illa reducta debet eidem confiteri, non dividendo confessionem*. Denique hæc diligentia ex prudentum judicio est taxanda.

Quæres, *An ad integram confessionem debeant dici peccata dubia*.

Resp. ut supra, quod quæ sunt dubia, debent dici ut dubia, nisi deponatur dubitatio: nam in dubiis tu-

tior pars est eligenda, & qui talia peccata omitteret, exponeret confessionem suam periculo nullitatis.

Quæres 2. *Qui dixit peccatum suum ut dubium, & postea reperit illud certum, debetne iterum dicere illud ut certum?*

Resp. probabiliter non teneri, quia jam de illo confessus est, & absolutus quoad omnem culpam, quam potest habere.

QUÆSTIO VII.

An ad integritatem confessionis debeant explicari circumstantiæ purè aggravantes.

JAm diximus, quod inter circumstantias aggravantes quædam mutant speciem, ad quam pertinent peccata ex objecto suo: v. g. circumstantia loci, in quo committitur furtum, facit, ut evaserit sacrilegium per adventum malitiæ contra religionem, cùm ex genere suo, & ex objecto esset tantùm contra justitiam. Aliæ sunt purè aggravantes, quæ augent quidem malitiam peccati, sed non extrahunt illud ex sua specie, ut furtum centum florenorum est gravius furto quinquaginta, aut 20. sed utrumque est contra justitiam. De primis certum est, eas esse dicendas, quia dicendæ sunt species æquè, ac numerus peccatorum; sed dubium est de purè aggravantibus, an necessariò sint explicandæ, maximè si notabiliter aggravent: ut furtum centum præ quinquaginta, an vero sufficiat dicere, commisi furtum mortale.

CONCLUSIO.

P*Robabilius est has circumstantias non esse necessariò explicandas, consultius tamen, & tutum est, & utile eas explicare.* Quoad 1. p. est controversa, non quoad 2.

Prob. ex Scoto. [1] *Saltem illas dico aggravantes esse necessariò confitendas, quæ speciali prohibitione prohibet accipi de loco sancto; & ideo speciale peccatum, sc. sacrilegii, per hanc circumstantiam* (loci) *constituitur .... multæ autem sunt circumstantiæ, ex quibus pec-*

[1] *Ibid. N. 20.*

peccatum est aliquo modo gravius, quia si minor tentatio, & hoc vel ex parte objecti, vel ex parte peccantis, inde crescit malitia, quia arguitur major voluntarietas de quibus (circumstantiis) *non est ita certum, quod oporteat eas confiteri, tamen tutum, & utile est hoc fieri.* Vides Scotum in hoc quasi problematicum, sed reducit hoc ad securitatem, & utilitatem, non ad necessitatem.

Prob. 2. Nihil debet dici necessarium ad valorem confessionis, & sacramenti, quod non constet ex præcepto divino, vel Ecclesiastico; sed hæc necessitas de his circumstantiis non constat ex ullo tali præcepto; ergo non est asserenda. Maj. patet, quia hæc sunt onerosa, & non debent ampliari sine fundamento. Prob. min. de Divino nullibi constat: de Ecclesiastico potiùs infertur contrarium ex Concil. Trident. Præcipit enim, *eas circumstantias explicandas, quæ speciem peccati mutant, sine quibus peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponuntur, nec judicibus innotescunt*; ergo nihil præcipit de non mutantibus speciem, sed potiùs eas relinquit arbitrio pœnitentium: neque enim hanc partem tacuisset, si putasset necessariam.

Confir. Nam Concilium intendit solùm, ut omnia, & singula dicantur secundum speciem, & numerum, non autem *in genere dumtaxat*: sed utrumque fit absque circumstantiis purè aggravantibus, quia istæ non mutant speciem, nec impediunt numerum; ergo &c.

Prob. 2 p. Nam sic confessio est magis clara, & nuda, & fidelis, & integra, & sedat omnes scrupulos conscientiæ timoratæ, maximè pro simplicioribus, & indoctis, & juvat sacerdotem ad satisfactiones, & remedia magis proportionata morbis animarum applicanda; ergo &c.

Objic. 1. ex cap. *Consideret* dicitur, quod debet considerari locus, tempus, perseverantia, tentatio, executio, modus, & aliæ multæ circumstantiæ minutiores, quæ non mutant speciem; ergo à fortiori debent dici notabiliter aggravantes. 2. Concil. Uvormatiense statuit, pœnitentiam singulis imponendam secundum peccatorum varietatem. 3. Innocent. XI. damnat hanc propositionem: *Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem relicta tutiori*; & istam: *Non tenemur confessario interro-*

roganti, fateri peccati alicujus consuetudinem; sed hæc non essent vera, si possent taceri circumstantiæ aggravantes; ergo &c. Prob. min. 1. quia plures circumstantiæ, quas enumerat ille Canon, sunt purè aggravantes. 2. non posset imponi pœnitentia proportionata secundum diversas gravitates. 3. opinio de necessitate dicendi has circumstantias est tutior. Et 4. consuetudo peccati non est nisi circumstantia aggravans; ergo &c.

Resp. neg. 1. cons. & min. 1. quia si caput illud faceret legem, non solum notabiles, sed etiam minutiores essent dicendæ, ut ex verbis, & glossa constabit legenti. 2. Idem est de can. Vvormatiensi. Nam minutissimę circumstantiæ faciunt aliquam diversitatem. Item dico Concil. loqui de diversitate specifica. 3. nostra opinio non solùm est probabilis, sed probabilior, & tuta, fundata in doctrina Concilii Trid. quod diminutè docuisset conditiones necessarias ad valorem hujus sacramenti, quod una voce potuisset exprimere: & 4. illa censura 2. propositionis salvatur independenter ab hac controversia. Nam consuetudo explicanda est non propter aggravationem peccati præcisè, & per se (imò fieri potest, ut aliquando inde allevietur) sed quia ex consuetudine, & frequentia peccandi fit difficilior detestatio peccati, & propositum incertius non peccandi, quod tamdiu, & tam sæpè violatum est: ideòque incertior est dispositio pœnitentis, & diversa remedia sunt applicanda, nec tam citò, nec facilè danda est absolutio.

Inst. Conc. Trid. hanc integritatem requirit, *quæ sufficiat Sacerdoti ad æquitatem servandam in pœnis injungendis*: Sed hæc æquitas servari non potest, nisi aggravantes dicantur, ex quibus crescit gravitas peccati; ergo &c. Prob. min. Nam graviores pœnæ debentur gravioribus peccatis.

Resp. dist. min. Aggravantes extra species, con. intra eandem speciem, neg. min. certè si secundum gravitatem mathematicam, & exactam æqualitatem taxarentur pœnæ, non solùm notabiles, sed etiam leviores circumstantiæ essent dicendæ, imò & alleviantes; quod adversarii non admittent.

Objic. 2. Potest peccatum esse ita intensum, vel durans, ut æquivaleat pluribus in eadem specie; ergo

illæ circumſtantiæ intenſionis,aut durationis ,& malitiæ majoris erunt dicendę; ſed illæ non ſunt niſi aggravantes; ergò aggravantes ſunt confitendæ. Prob. ant. Odium proximi ut quatuor æquivalet duobus odiis ut duo, & odium hebdomadæ unius æquivalet ſeptem diurnis; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. æquivalet phyſicè,aut mathematicè, con. moraliter, neg. ant. Nam in foro pœnitentiali æquivalentia illa non ſic attenditur præcisè in ordine ad plurificanda peccata ſpecificè, aut numericè, ſaltem præcisè, & per ſe,benè verò per accidens, v.g. ſi homo ille durante hebdomada iteraret actus odii poſt diverſas advertentias,& interruptiones per ſingulos illos actus, & conſenſus toties peccaret. Per ſe autem attenditur ſola diverſitas objectorum, vel actuum.

Inſt. Furtum centum ſcutorum æquivalet centum furtis unius ſcuti, & non ſufficit dicere, furatus ſum ſummam notabilem. Idem eſt de volente occidere centum homines; non ſufficeret dicere, volui committere homicidium; ſed illæ circumſtantiæ ſunt purè aggravantes; ergo &c.

Reſp. neg.min. Nam vel uno actu voluit furtum illud, & tunc eſt unum peccatum unius ſpeciei, & ſic de iſto dici poteſt ſufficere, ſi dicat, furatus ſum grandem ſummam. Non ita eſt de volitione homicidii centum hominum. Nam hìc tot ſunt homicidia in voluntate, quot homines: quia vix una volitione,& uno actu hæc fieri poſſunt. Sic de concupiſcenti decem fœminas, ſcil. numerus explicandus eſt, ob eandem rationem.

Reſp.2. cum Poncio, neg. maj. Nam ſi uno ſimplici actu voluerit occidere tot homines,concupierit tot fęminas,unicum habet peccatum,& ſufficiet dicere,occidi plures homines, vel concupivi plures fœminas, & furatus ſum plurima ſcuta,niſi aliunde major, aut minor quantitas redderet peccatum reſervatum diverſis ſuperioribus, ut eſt apud nos, & in regulis noſtris.

Objic.4. Niſi confitendæ ſint circumſtantiæ aggravantes, non poterunt reſervari graviora præ levioribus, v. g. gravis percuſſio, aut furtum tantæ ſummæ tali ſuperiori; ſed conſ. eſt falſum, & contra praxim Eccleſiæ; ergo &c. Prob. maj. Nam gravis, & levis percuſſio clerici, furtum unius, & centum ſcu-

torum sunt in eadem specie percussionis, & furti, & tamen illa reservantur diversis superioribus; sed hoc fieri non posset, nisi circumstantiæ numeri, & gravitatis essent necessariò dicendæ; ergo frustra esset reservatio. Min. etiam patet: nam apud nos furtum decem scutorum reservatur custodi, & supra decem Provinciali, & supra 30. Generali, levis percussio non reservatur, sed gravis, &c.

Resp. neg. maj. Nam gravitas materiæ dat locum reservationi, quæ per accidens mutat speciem, & facit differre furtum 30. scutorum à furto unius, & sic debet quantitas illa accusari: idem est de percussione, & similibus.

Inst. Ecclesia non reservat unum peccatum præ alio ejusdem speciei, nisi adsit obligatio confitendi circumstantiam, quæ facit reservationem; ergo &c.

Resp. neg. ant. Nam Ecclesia prohibet sæpe sub reservatione, & censuris res de se indifferentes, ut nutrire comam, ludere foliis, cauponari, &c. & hæc sicut possent non prohiberi, saltem graviter, ita propter prohibitionem, & reservationem fiunt peccata alterius speciei, & confitenda.

Objic. 5. Actus externus non mutat speciem interni, sed est tantum circumstantia aggravans, & sic posset non declarari in confessione, & sufficeret dicere, *volui occidere hominem*, aut fornicari; sed conf. est falsum, & absurdum; ergo & quod non debeant dici circumstantiæ aggravantes. Prob. maj. Nam tota malitia actus humani est in actu interno voluntatis; ergo &c.

Resp. neg. maj. Nam, ut diximus tr. de act. hum. actus externus addit malitiam distinctam interno & ideo hæc circumstantia est exprimenda.

Igitur speculativè loquendo non est necessarium ad valorem confessionis sacramentalis dicere circumstantias peccati purè aggravantes intra eandem speciem; sed in praxi tutius, & consultius est illas aperire, quia sic integrior, & clarior, & perfectior est confessio, & sedantur omnes scrupuli, & anxietates conscientiæ.

2. Et à fortiori aperiendæ sunt illæ, quæ vel mutant speciem peccatorum, vel addunt distinctam malitiam in eadem specie, ut dicebamus de actu externo.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De circumstantiis, quæ possunt diversificare, et multiplicare peccata, et aperiendæ sunt in confessione, ut sit integra.

TAles circumstantiæ communiter dicuntur septem, & hoc versu continentur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Porrò non dubitatur, quin illæ aperiendæ sint, quoties specificant, vel multiplicant peccata, quia, ut valeat confessio sacramentalis, debent narrari omnia peccata mortalia quoad speciem, & numerum: sed breviter explicandæ sunt pro tyronibus, ne quid scitu necessarium omittamus.

1. Circumstantia *Quis* designat conditionem personæ agentis, & patientis, quia ex utroque crescit, aut minuitur, aut mutatur species peccati, sed præcipuè ex persona agentis: nam patiens reduci potest ad circumstantiam quid.

Quoties ergo peculiari lege aliquod peccatum prohibetur uni personæ, tunc debet dici, qualis sit pœnitens, v.g. an Sacerdos, vel professus religiosus, si peccavit contra castitatem; quia hæ, & similes qualitates diversificant, aut multiplicant peccata. Si enim sit uxoratus, erit adulterium, si prælatus, addit malitiam scandali, si professus, vel sacerdos, aut in sacris, aut voto ligatus, erit sacrilegium, &c.

2. *Quid* respicit actum, seu opus peccati, non quidem in se, sed in qualitate aliqua entitati ejus superaddita, vel in quantitate objecti, aut materiæ, circa quam peccatur, v.g. si furatus es rem sacram, vel in notabili quantitate, quæ reddat peccatum mortale, aut reservatum, vel cum censura, &c.

3. *Ubi* designat locum, in quo peccatur, & aliquando non est circumstantia, sed ratio constitutiva peccati, ut cùm opus non est prohibitum, nisi ratione loci, ut copula conjugalis in Ecclesia, quia hæc non habet malitiam, nisi ratione loci. Quando verò actio est aliunde mala in se, ut homicidium, vel fornicatio, locus est circumstantia, ex qua augetur, aut mutatur spe-

species peccati,ut si fiat in Ecclesia,evadit sacrilegium, & ideo declaranda est in confessione.

4. *Quibus auxiliis* significat instrumenta, seu media, quibus utimur ad peccandum, ut ferrum, vel sclopetum, aut venenum in homicidio, & hæc non sunt necessariò explicanda, nisi sint specialiter prohibita, vel mutent speciem peccati, ut si quis utatur re sacra, vel socios, & adjutores criminis inducat, vel seducat, in hoc esset novum peccatum, vel si utatur ope dæmonis per invocationem, aut pactum tacitum, vel expressum, &c.

5. *Cur*, seu propter quid, hæc est circumstantia finis, propter quem operatur peccator: nam si finis extrinsecus est malus, addit peccato novam, & distinctam malitiam, quæ si gravis est, ac mortalis, necessariò explicanda est in confessione; imò & inficit,malamque reddit actionem, quæ de se, & ex objecto esset bona. Exemplum prioris est, si quis furetur, ut fornicetur; posterioris verò, si det eleemosynam pauperi fœminæ, ut eam seducat. Quod si malitia finis est ejusdem speciei cum ipso actu peccati, non videtur necessariò explicanda, quia non facit nisi unum peccatum moraliter.

6. *Quomodo* significat modum, quo peccatur, ut si fœmina corrumpatur violenter, aut fraudulenter, minis, aut promissis; si ex contemptu præcepti, vel superioris omittatur actus debitus, aut præceptum violetur, si scienter, & ex determinata malitia, vel inadvertenter, aut ex ignorantia crassa, &c.

7. *Quando* significat tempus, aut durationem peccati; & hoc dicendum est, si addit malitiam gravem, & distinctam actui; si quis se inebriavit in die jejunii, si celebravit hora indebita, si fecit opus servile in die festo, &c. Nam, ut dicit Concilium Colon. *Bis peccat, qui agit rixas per diem Dominicum pugnis, scortis, & aliis obscœnis*. Et August. *Melius faceret Judæus in agro suo aliquid in sabbato, quàm in theatro desidiosus existeret, & fæminæ Judæorum melius lanam facerent, quàm in neomeniis impudicè saltarent*, scilicet circumstantia diei festi addit malitiam operibus malis, & sic aperienda est in confessione.

Hæc autem tetigisse sufficiat: nec enim hìc casus

omnes

omnes decidere possumus, servata brevitate moderata, quam profitemur.

QUÆSTIO IX.

An, & quomodò licitè, & validè possit dimidiari confessio, & esse non integra.

PLures excogitantur casus, in quibus impossibilis est moraliter integritas materialis confessionis: nam de formali jam diximus eam absolutè necessariam esse. 1. si peccator postquam cœpit confiteri obmutescat, aut in apoplexiam incidat, nec possit perficere confessionem, vel si obmutescens non possit nutibus exprimere nisi aliquot peccata, & non alia. 2. an possit absolvi, qui morbo correptus nullum peccatum, nequidem in genere, potest significare, det tamen signa aliqua doloris coram Sacerdote in ordine ad confessionem. 3. an qui absente Sacerdote petiit confessionem cum signis pœnitentiæ, sed ante adventum ejus amittit usum vocis, & sensuum. 4. an si non possit dicere speciem peccati sui sine manifestatione complicis, ex quo timeatur ejus infamia, vel aliud damnum, possit tacere circumstantiam specificantem illud peccatum, ex qua proveniret ejus cognitio, &c. Hæc autem dubia hìc breviter resolvemus.

CONCLUSIO I.

Absolvi debet moribundus, qui non nisi generalissimo modo confiteri potest, sed dat aliqua signa pœnitentiæ, ex quibus colligi potest eum velle confiteri. Est communior.

Prob. 1. ex Rituali Romano, ubi dicitur, quod *si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægro deficiat, nutibus, & signis conetur Sacerdos quoad fieri poterit peccata pœnitentis cognoscere, quibus utcumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium vel per se, vel per alios ostenderit, absolvendus est.* Habes hìc præcipuos ex dictis casibus. Hujus autem Ritualis au-

ctoritas patet ex Bulla Pauli V. illi præfixa. Adde Canones citandos in sequenti: nam à fortiori valent in hoc casu, in quo hæc signa fiunt coram Sacerdote.

Prob. 2. ratione, quia in his casibus non est probabile Deum voluisse fideles moribundos, qui sine culpa sua sic præveniuntur, privari beneficio tanti sacramenti, & eis præcludi viam salutis; sed præsumendum est eum noluisse illos obligari tam strictè ad integritatem confessionis, ut cum illis signis non possit valere absolutio sacramentalis; ergo hæc eis non est deneganda.

Objic. 1. Sacramentum non valet sine sua materia; sed confessio est materia proxima hujus sacramenti, & hæc deesset in hoc casu; ergo non valeret sacramentum. Prob. min. Confessio essentialiter est omnium peccatorum in specie, & numero integra declaratio; sed hic deesset illa declaratio; ergo & materia proxima sacramenti.

Resp. neg. 1. min. quoad 2. p. & dist. 2. maj. Declaratio distincta, & integra formaliter, quantum fieri potest, conc. maj. & neg. min. absolutè simpliciter, & materialiter, & si adest aliqua impossibilitas, neg. maj. & cons. nam in casibus conclusionis sufficit confessio generalis, qua homo quantum potest confiteatur se peccatorem.

Objic. 2. Absolutio sacramentalis debet terminari directè ad aliquid remittendum; sed in tali confessione nihil apparet remittendum; ergo illa absolutio non erit sacramentalis. Prob. min. Si absolutio illa remitteret peccata illius hominis, hæc non essent amplius confitenda; sed sunt adhuc confitenda, si convalescat; ergo &c. Prob. maj. nam peccata remissa non sunt de materia necessaria confessionis; ergo &c.

Resp. dist. 1. min. Nihil apparet explicitè remittendum, conc. indirectè, & implicitè, neg. min. apparet enim, quod homo ille habeat peccata, quorum petit remissionem, & quæ remittuntur directè in genere, qualiter apparent, & indirectè, qualia sunt à parte rei; & dist. 2. maj. si essent remissa, & explicitè confessa, conc. si remissa implicitè cum obligatione ea explicitè subjiciendi clavibus Ecclesiæ, cum potuerit, neg. maj. nam remanet illi homini, si convaluerit, obliga-

ligatio peccata eadem, licèt remissa quoad culpam, distinctè confitendi, quia hoc requiritur ex institutione hujus sacramenti, quantum est possibile.

Objic.3. ex Concil. Trid. Ad hoc sacramentum necessaria est distincta peccatorum confessio in specie, & numero, ut de singulis Sacerdos possit sententiam ferre ex cognitione causæ; sed hic nulla talis adest confessio; ergo nec validum est sacramentum.

Respon. dist. maj. Necessaria est regulariter, & quoad fieri potest, conc. absolutè, & simpliciter, neg. maj. & consf. nam hìc adest confessio possibilis, & non aliam exigit Christus, quàm possibilem.

Objic.4. Ille homo haberet contritionem, vel non; sed neutrum salvat conclusionem; ergo &c. Prob. min. si haberet, illa sufficeret sine sacramento; si non haberet, absolutio non prodesset: nam in extremis necessaria est contritio ex charitate.

Respond. neg min. & 2. prob. nam sufficeret attritio cum sacramento, ut dictum est, & maximè in illo casu.

CONCLUSIO II.

D*eberet absolvi moribundus, qui coram Sacerdote nullum posset dare signum confessionis, aut pœnitentiæ, modò ante casum, & impotentiam petierit confessarium, & dederit signa pœnitentiæ coram testibus*: Est etiam communior.

Prob.1. ex Rituali cit. in quo præcipitur dari absolutio morienti, *si desiderium confitendi sive per se, sive per alios ostenderit*. Item ex cap. *Is, qui*; ubi S. Leo [1] dixit, quod *is, qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam*. Idem decernitur in Concil. Carthagin. IV. & in Arausic. I. *subitò obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat Sacerdos, aut præsentis in suo nutu.*

Prob.2. Ad absolutionem validè recipiendam sufficit aliqua confessio, qualis est possibilis, cum dolore debito de peccatis; sed in casu conclusionis adest utrum-

[1] *Epist.*91.

trumque: nam qui petiit confessarium ante casum apoplexiæ v. g. cum signis pœnitentiæ habuit utrumque, confessus est se peccasse, & voluit dicere peccata, & dolebat de peccatis, & jam illa voluntas confitendi, ille dolor censetur durare moraliter, quia non sunt retractata: voluntas enim censetur durare, nisi probetur mutata, ut docent jura; ergo &c.

Objic. 1. ut supra. Deest ibi confessio peccatorum; ergo & materia sacramenti.

Resp. similiter dist. ant. deest confessio explicita singulorum in specie, & numero, conc. implicita, & generalis, qualis est possibilis, neg. ant. nam hæc ibi adest.

Inst. Materia sacramenti debet esse præsens ministro; sed in hoc casu materia, seu confessio non est præsens ministro, quando advenit; ergo non potest validè absolvere sacramentaliter.

Respon. dist. maj. Præsens moraliter, & aliquo modo, conc. præsens physicè, si hæc præsentia non est possibilis, neg. maj. & min. Nam confessio est præsens moraliter, & fit sensibilis Sacerdoti per adstantes, & testes dignos fide, quod in tali casu sufficit ex institutione divina, quæ non vult animas ullas perire, quantum est ex se, sed vult omnes salvare.

Objic. 2. ex Decreto Clem. VIII. non licet confiteri per litteras, vel nuntios; sed illa confessio istius est minus realis, quàm per litteras, vel nuntios; ergo minus valet.

Resp. neg. min. nam in illa absolvitur absens, in ista verò præsens: Clemens autem prohibet absolvi per litteras, & absentes, ut patet ex verbis Decreti.

Resp. 2. neg. maj. Nam Papa ipse declaravit Armacano, *non fuisse sibi propositum damnare, aut prohibere, quòd absolutio impendatur incidenti in eo casu*, ut testantur insignes Theologi apud Coninch, Mastrium, & Erinx; imò & Aversa dicit, quòd Sacra Congregatio Inquisitorum generalium 2. Decembris 1621. declaravit in tali casu observandum esse Rituale Romanum, nec id repugnare Decreto Clementis. Denique Decretum Clementis faceret, ut absolutio esset illicita, non invalida. Hoc magis patebit ex sequenti.

Quæres, *An testificatio debeat fieri in præsentia infirmi; an sufficiat, quod illa signa nuntientur Sacerdoti.*

Resp.

Resp.istud sufficere: nam Ritualia, nec Canones illi non exigunt, ut testificatio fiat coram infirmo, qui non potest assentiri, nec dissentiri.

Dices. In cap.*Is, qui*, requiruntur testimonia adstantium; sed nuntii non sunt adstantes; ergo non sufficiunt.

Resp.dist.maj. Adstantium, quando fiunt, aut facta sunt signa, conc.quando advenit Sacerdos, neg. maj. & conseq. nam ad testificandum sufficit, quod fuerint præsentes, quando infirmus petiit confessarium cum signis pœnitentiæ.

CONCLUSIO III.

P*Robabile est absolvi posse infirmum, qui nec signis, nec verbis petiit confessionem, nec sensibiliter ostendit dolorem de peccatis, sed vixit catholicè, ostendens affectum erga istud, et alia sacramenta, et hoc saltem sub conditione*. Ita multi insignes Theologi apud P. Erinx cit. & Pasqualigum de privilegiis morientium.

Prob. 1. ex Sacerdotali Rom. in quo ex S.Antonino legitur. *Infirmus, qui amisit loquelam, vel usum rationis, si benè vivebat, quamvis non petierit sacramenta, debet præsupponi contritus; et Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia, et peccato*. Et Augustinus docet baptismum debere dari Catechumeno, qui vivebat in adulterio, quique morbo repentino correptus, non poterat petere baptismum, nec ostendere pœnitentiam. *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pænitentes finiendæ vitæ periculum præoccupaverit: nec enim ipsos ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia*. Audi rationem August. *Non solum incredibile est, nec in fine vitæ baptizari velle catechumenum* (idem est de velle confiteri, & absolvi catholicum) *verùm, etiamsi voluntas ejus incerta est, multò satius est nolenti dare, quàm volenti negare, ubi velit, an nolit, sic non apparet, ut tamen credibilius sit eum, si posset, velle se potiùs esse dicturum ea sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire*. Tum concludit idem dicendum de pœnitentia, quod de baptismo; ergo ex his Patribus satis præsumitur de homine isto, quod velit hoc sacramentum cum debita dispositione

tione

tione ad hoc, ut illi debeat dari, licèt nullis signis externis id ostenderit.

Prob.2.ex precedentibus. Confessio, & dolor de peccatis sufficienter supponuntur per aliquot signa data coram testibus absente Sacerdote; sed vita catholicè transacta, & pius affectus erga Sacramenta sunt signa satis manifesta desiderii confessionis, & doloris de peccato; ergo est sufficiens motivum Sacerdoti illum absolvendi, saltem sub conditione: nam vita illa est tacita, perpetua, & sufficiens petitio confessionis, & professio pœnitentiæ.

Confir. Hæc sufficiunt, ut illi detur extrema unctio in tali casu; ergo à fortiori non debet ei denegari absolutio, quæ est longè magis necessaria.

Prob.3. ubi probabile est adesse sufficientem materiam absolutionis, hæc probabiliter potest, aut debet concedi; sed in casu nostro probabile est hanc materiam adesse; ergo & absolutio debet concedi. Prob. min. Non est impossibile, ut fidelis, & pius catholicus habeat internum dolorem de peccatis, & desiderium ea confitendi. Hæc probabilitas fundatur in auxiliis gratiæ, quæ nulli deest in tali necessitate, & hæc innotescunt Sacerdoti ex actibus vitæ christianę, & fortè eò tendunt motus oculorum, suspiria, aut respirationes, & alii motus corporis, quæ sunt signa quidem æquivoca, sed piè credi possunt esse tam signa pęnitentiæ, quàm motus naturæ patientis; ergo &c.

Confirmat Pasqualigus cit. ex Marchatio, qui hoc de seipso testatur in pari casu, & ex propria experientia inductus fuit ad hanc opinionem tenendam, & ad suadendam ejus praxim; & idem narrat de alio Sacerdote, cui hoc idem contigerat; ergo &c.

Objic.1. Signa, quibus movetur Sacerdos ad absolvendum, debent dirigi ab infirmo in hunc finem, ut signa petitionis, & doloris; sed nihil tale adest in isto; ergo nec debet absolvi. Prob. min. Nam in toto cursu vitæ non cogitavit de hoc casu; ergo non potuit dirigere motus illos ut signa hujus desiderii, nec in hunc finem.

Resp. neg. min. & dist.ant. Non cogitavit explicitè, vel expresè, conc. implicitè, & virtualiter, neg. antec. Nam ad hoc sufficit, ut vivens catholicè voluerit ita mori, & salvari. Imo & multi explicitè à Deo petunt,

ne

ne permittat eos mori sine sacramentis.

Objic.2. Rituale Romanum prohibet eos absolvi, qui nulla dant signa doloris de peccatis; sed iste nulla dedit, ut supponitur; ergo &c.

Resp.dist.maj. Qui nulla dant, cùm possunt, & nolunt dare ex irreligione, vel obstinatione, conc.ex impotentia, neg.maj. nam de istis non loquitur Rituale, ut patet.

Inst. Id exigit de infirmis omnibus; ergo & de istis; quia de omnibus eadem est ratio. Prob.ant.dicit,quòd si hæc signa non dentur præsente Sacerdote,saltem de illis testentur adstantes; ergo &c.

Resp.dist.ant. De infirmis, qui possunt, aut potuerunt, conc. de istis, qui non possunt, nec potuerunt, neg.1.ant. & 2.conf. Non enim loquitur de casu nostro. Imò si Rituale vult sufficere aliqua signa absente Sacerdote, cur non sufficient tot signa pietatis data coram ipso, & omnibus per totam vitam?

Objic.3. Non debent facilè exponi sacramenta; sed in hoc casu exponeretur sacramentum absolutionis; ergo non debet dari. Prob min. Sine signis certis,& non æquivocis nescitur dispositio sufficiens morientis; ergo &c.

Resp.neg.min. 1. quia non exponitur, si detur sub conditione. 2.neg.ant. nam anteacta vita in exercitio pietatis, & frequentatione sacramentorum sunt signa sufficientia præsentis dispositionis.

Objic.4. Non debet introduci nova praxis in usu sacramentorum; sed hæc opinio inducit novam praxim, & contrariam antiquæ in usu sacramenti hujus; ergo &c.

Resp.neg.min. nam contrarium patet ex Sacerdotali Romano, ex SS Augustino, & Antonino, nec Ecclesia habet usum contrarium, nisi ad summum negativè, quod non sufficit ad inferendam prohibitionem, aut nullitatem talis absolutionis.

Objic.5. Concilia requirunt confessionem sensibilem, ut valeat absolutio: nam ex Trident.[1] & Carthagin.& Arausic.& Leo.I.supra cit.requiruntur signa confessionis, & doloris; ergo &c.

Resp.dist. ant. & prob. Requiruntur ordinariè, & quando possunt adesse, conc. per accidens, & in casibus

[1] *sess.14.c.9.*

busextraordinariis, & impossibilitatis, & quidem signa univoca, explicita, seu specifica, neg.ant. & rationem ejus: nec enim de his casibus raris loquuntur Concilia, sed de sacramentis secundum se, & regulariter: hìc autem adsunt signa generalia quædam, ex quibus probabiliter infertur dispositio interna sufficiens, ut diximus.

Dixi 1. *probabiliter*: non enim nego, quin contrarium sit valdè probabile, sed paulò durius est, nostra autem opinio est magis pia, & mavult exponi sacramentum, quàm salutem animæ fidelis, & hoc magis conforme videtur divinæ pietati.

Dixi 2. *saltem sub conditione*: nam cum hac cautela non exponitur sacramentum, nec æterna salus animæ fidelis.

CONCLUSIO IV.

UT valeat confessio, non debet taceri circumstantia specificans, vel peccatum præcisè, ne confessarius cognoscat complicem, nisi ex tali cognitione imminere timeatur probabiliter grave malum confitenti, vel complici per imprudentiam, vel malitiam confessarii. Est communior.

Pro intelligentia conclusionis suppono casum, in quo urgeat necessitas confitendi, nec adsit nisi confessarius, cui non possit dici circumstantia specificativa peccati, aut peccatum ipsum, quod cum alio commisit, quin confessarius cognoscat complicem: ex tali autem cognitione vel complex ipse diffamabitur quidem apud confessarium, sed nihil aliud inde timetur, v.g. si pœnitens non habens nisi matrem, aut unam sororem, dicat, commisi incestum in primo gradu, confessarius statim sciet matrem ejus, aut sororem peccasse, inde illam contemnet in corde suo: si nihil aliud timeatur, non licebit tacere circumstantiam illam incestus, & 1. gradus: sed si ex illa cognitione immineat pœnitenti, aut complici diffamatio, vel mors ex parte mariti, aut aliud grave malum, nec possit differri confessio, vel non adsit alius Sacerdos, putant gravissimi, & plurimi Theologi tunc posse taceri peccatum, aut circumstantiam illam, & tamen valere illam confessionem, sed cum obligatione confiten-

fiten-

fitendi apud alium suo tempore. Hoc posito

Prob.1. ex Scoto docente, [1] quod *sub sigillo cadit non tantùm peccatum confitentis, & circumstantiæ peccati, sed etiam persona secunda, cum qua peccatur, quia etiam confitens vult salvare famam personæ, cum qua peccavit*; ergo supponit complicis qualitatem, & circumstantiam non debere taceri, quando aliter non potest specificari peccatum.

Prob.2. quia integritas confessionis est de jure divino, nisi aliquod gravius malum excuset: sed hìc nihil excusat; ergo &c. Prob. min. Si quid excusaret, esset præceptum charitatis de non infamando proximum; sed hoc non urget in tali casu; ergo &c. Prob. min. Non magis urget charitas de non infamando proximum in hoc tribunali secreto, quàm seipsum: non enim tenemur magis diligere proximum, quàm nos ipsos; sed hæc cura famæ propriæ non tollit obligationem confitendi proprium peccatum, quãtumvis atrox; ergo nec cura famæ proximi, quando id exigit essentia confessionis.

Confir. quia sicut ex hac confessione non infamatur pœnitens, quia est secreta, & de inviolabili secreto, ita ut confessarius non possit loqui, nec ad extra uti hac cognitione, ita nec complex infamatur ob eandem rationem; ergo talis confessio non est diffamatio complicis. Eadem enim est obligatio secreti pro complice, & pro pœnitente.

Confir.2. Manifestare occultum proximi peccatum præcisè, & per se non est malum, si fiat ex rationabili causa, & sine intentione diffamandi; sed ita est in hoc casu; ergo &c. Prob.maj. nam si esset intrinsecè malum, nunquam posset communicari peccatum occultum proximi amico ejus ad consulendum ejus saluti, aut emendationi, nec liceret juxta præceptum Euangelicum corripere fratrem coram testibus, nec eum denuntiare Ecclesiæ: nam quæ intrinsecè, & ex objecto, & lege naturæ sunt mala, numquam rectificantur; sed hæc falsa sunt; ergo & illud.

Confir.3. quia non teneor diligere proximum supra meipsum, nec curare famam ejus supra meam; ergo quando non possum consulere saluti meæ, nec famæ propriæ, sed teneor confiteri peccata mea, nec pos-

sum

[1] *d.29.q.2.K.16.*

ſum huic debito ſatisfacere, quam dicendo complicem, & peccatum ejus, cujus ſum particeps, non pecco contra juſtitiam, nec contra charitatem; ſed non poſſum conſulere ſaluti, & famæ propriæ, & ſatisfacere debito confeſſionis, quin aperiam circumſtantiam complicis; ergo &c.

Prob. denique ex D.Bernardo. [1] *De nullo ſiniſtrè loquaris, quantumcumque ſit verum, vel manifeſtum, niſi in confeſſione, & hoc, ubi non potes aliter manifeſtare peccatum tuum*; ergo quando pœnitens non poteſt aliter declarare peccatum ſuum, niſi dicendo circumſtantiam complicis, illa non debet taceri, niſi aliunde excuſetur.

Prob. 2.p. Nam cùm ex confeſſione talis circumſtantiæ timetur rationabiliter grave detrimentum famæ, aut vitæ, poſſunt taceri peccata, ex quorum confeſſione timetur; ergo & circumſtantiæ complicis, & aliæ, ex quibus timentur eadem mala.

Prob.2. Deus noluit imponere obligationem adeo duram, maximè reſpectu complicis, cui talis declaratio eſſet inutilis, aut fatalis, pœnitenti quidem eſt utiliſſima ſui peccati confeſſio, & per gratiam, quam inde recipit, compenſatur illud famæ detrimentum; ſed complex nihil inde proficit, ſed graviter læditur, & ſi pœnitens taceat circumſtantiam ex tali neceſſitate, non minus juſtificatur, confeſsio eſt integra, non quidem materialiter, ſed formaliter; ergo pœnitens non tenetur explicare illam circumſtantiam, imò tenetur tacere, v.g. ſi rationabiliter metuat, ne confeſſarius moneat maritum illius, cum qua dicit ſe peccaſſe: nam inde accendi poteſt furor ejus in uxorē, & occidere, &c.

Objic.1. Præceptum ſervandi famam proximi magis urget, quam præceptum integritatis confeſſionis, quia illud eſt de jure divino poſitivo, & naturali, iſtud autem de jure poſitivo tantùm; ſed in hoc caſu læditur fama proximi, ut ſervetur integritas confeſſionis; ergo malè aſſeritur.

Reſp. neg. min. Nam in hoc caſu non læditur fama proximi, ſaltem irrationabiliter, nec urget illud præceptum, ſicut nec læditur fama ipſius pœnitentis per confeſſionem, quam tamen non minori jure ſervare tenetur, quam proximi. Idem eſt in correptione fra-

[1] *de formula vitæ.*

terna, quando per secretam monitionem non corrigitur, ut dictum est.

Inst. Ideo non tenemur confiteri per interpretem, ne prodatur peccatum nostrum; ergo nec tenemur dicere complicem ob eandem rationem.

Resp. neg. conf. Nam ideo non tenemur confiteri per interpretem, quia præceptum confessionis non obligat nisi ad unum confessarium, & sacerdotem, non autem ad duos, quorum unus non esset Sacerdos, hic autem confitemur unico, & hæc confessio debet esse integra.

Objic. 2. Integritas confessionis non est in damnum proximi, sed in bonum animarum; sed in hoc casu esset in damnum proximi sine bono animæ ejus; ergo læderetur fama ejus, & nihil boni ei inde proveniret; ergo &c.

Resp. neg. min. nam, ut diximus, cùm notitia illa complicis sit de secreto inviolabili in Sacerdote, non nocet famæ complicis, saltem in damno, quod præponeret bono Sacramenti, & pœnitentis.

QUÆSTIO X.

An, & quando sit iteranda confessio.

Quia diximus sacramentum pœnitentiæ non posse esse validum, & informe, non dubium est, quin confessio sit iteranda, quoties non habuit effectum suum, quia toties fuit invalida. Invaliditas autem venit vel ex parte pœnitentis, vel ministri. Ex dictis autem patet eam esse invalidam ex parte pœnitentis, si desit integritas formalis, vel contritio, aut attritio, & propositum syncerum amplius non peccandi formale, aut virtuale; & de his nihil restat disputandum. De ministro autem patebit ex dicendis, quandonam ex parte ejus confessio, seu sacramentum sit invalidum, & confessio repetenda. Ideò pauca hìc restant dicenda.

CONCLUSIO I.

Quoties confessio, & absolutio est invalida, toties utraque est repetenda. Est communissima.

Prob. ex dictis: nam jure divino tenemur ad confessionem, & jure positivo Ecclesiastico hæc fieri debet semel in anno, & aliàs sæpè, ut diximus; sed confessio invalida non est vera confessio; ergo iteranda est, donec sit vera, & valida.

Confir. Per confessionem invalidam non satisfit præcepto confitendi, sed potius adest novum peccatum, & nova obligatio confitendi ex parte nostra, cùm ex nobis veniat nullitas; ergo &c. Nec his immorandum.

CONCLUSIO II.

Quando iteratur confessio invalida, debent dici omnia peccata præcedentis, & posteriora deinceps commissa, nisi fortè Sacerdos recordetur priorum. Est etiam communis.

Prob. 1. quia patet peccata non remitti in hoc sacramento, nisi prout subjiciuntur clavibus Ecclesiæ, nec separatim remittuntur; sed illa priora non sunt remissa propter nullitatem confessionis; ergo hæc de novo dicenda sunt per confessionem validam. Maj. patet ex Conc. Trid. [1] sæpe cit. *Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non possunt.... oportet à pœnitentibus omnia peccata mortalia.... in confessione recenseri.... Qui secùs fecerint, & scienter aliqua retinent, nihil divinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt*, &c. Denique confessio, ut sit valida, debet esse formaliter integra; sed nisi secunda fiat coram Sacerdote, qui recordetur eorum, quæ dicta sunt in prima, ad quam se referat, illa non erit integra magis, quam ista nec materialiter, nec formaliter, nisi priora repetantur cum posterioribus; ergo illa omnia repetenda sunt.

Confir. quia sine hac repetitione Sacerdos non poterit judicare de peccatis remittendis, aut retinendis, nec justa remedia, & satisfactiones congruas imponere magis, quam si nunquam dicta fuissent, quippe illa non audivit, si est alius ab eo, qui audivit priorem, vel si audivit, non magis eorum recordatur, quàm si non audivisset; ergo debent repeti.

Prob. 2. Nullitas venit vel ex parte pœnitentis, qui omisit necessarios actus, & dispositiones, vel ex parte

[1] *sess.* 14. *c.* 5.

te ministri, qui non adhibuit formam debitam, vel noluit, aut non potuit absolvere; sed undecumque sit invaliditas, semper debent repeti priora cum novis; ergo &c. Prob. min. de parte pœnitentis patet ex dictis: 2. de parte ministri debet iste dare validam absolutionem; sed non potest dare hanc validam, nisi audita integra confessione, sine qua non adest materia debita; ergo &c.

Dixi, *nisi fiat coram eodem Sacerdote, qui recordetur omnium, quæ audiverat in priori*: quia tunc sufficiet, si pœnitens dicat: *accuso me de iisdem peccatis, quæ in præcedenti dixeram tibi, & addo peccatum sacrilegii, & omissionis, & omissa ex negligentia, vel malitia, & ex tunc peccavi, &c.*

Dices, sufficeret Sacerdotem recordari pœnitentiæ injunctæ, ex qua judicaret de confessis.

Contra: nam pœna imposita, nec recordatio ejus non sunt confessio formalis peccatorum, nec materia sufficiens absolutionis sacramentalis; ergo non sufficiunt.

Objic. Si Sacerdos deberet recordari peccatorum prius auditorum, sequeretur, quod in prolixis confessionibus, in quibus, quando ultima dicuntur, ipse non recordatur primorum, nec majoris partis omnium, absolutio non valeret; sed conf. est falsum; ergo non est necessaria talis recordatio dictorum in prima confessione, ut valida sit absolutio in secunda.

Respon. neg. maj. Nam in prolixis omnia remanent præsentia moraliter confessario per continuationem confessionis, quod non accidit in casu conclusionis, vel si adesset scrupulus, Sacerdos posset monere pœnitentem, ut priora repeteret, quod tamen fieri non solet, nisi de aliquibus non bene intellectis.

De aliis dispositionibus, & conditionibus bonæ confessionis, sc. contritione, attritione, & proposito non peccandi jam dictum est supra.

DISPUTATIO VI.

De satisfactione pœnitentiali.

Satisfactio est unus ex præcipuis actibus veræ pœnitentiæ ex partibus hujus sacramenti, imò & prima in intentione, licèt ultima in executione: nam finis penitentiæ est satisfacere Deo pro offensis, & sic placare ipsum, ac prævenire vindictã, quam peccator demeretur. Ideo pœnitentia dicitur [1] *quasi pœna tenentia. Pœnitere est quasi penam tenere*, ait Author libri de vera, & falsa pœnitentia. Et August. *Non sufficit penitenti mores in melius commutare, & à malis recedere, nisi & iis, quæ malè facta sunt satisfiat Domino per penitentiæ dolorem, & humilitatis gemitum, & per contriti cordis sacrificium. Nullus siquidem penæ debitæ gravioris accipiet veniam, nisi qualemcumque, & si minor est, quàm deberet, solverit penam.* Et ut loquitur Doctor, [2] *Cùm culpa faciat delinquentem debitorem, ei, in quem peccat, potest ibi ista satisfactio inveniri.* De hac ergo parte pœnitentiæ hìc disputamus.

QUÆSTIO PRIMA.

An sit, & quid sit satisfactio penitentialis.

VOX *satisfactionis* varias habet significationes; sed iis remissis ad Grammaticos, significat *redditionem voluntariam æquivalentis pro æquivalenti ex aliàs indebitis*; & hoc sensu pertinet ad justitiam, & differt à restitutione in eo, quòd hæc fiat in rebus ablatis, illa verò in actibus oppositis illis, per quos offendimus aliquem. Hic igitur sumitur satisfactio pro actione afflictiva interna, vel externa, per quam Deo satisfacimus pro peccatis quoad pœnas, quæ restant solvendæ post acceptam absolutionem à pœna æterna cum culpa.

Non repetam quæstionem, an inter Deum, & homi-

[2] *Isid.c.19.*
[2] *d.15.q.1.a.2.*

minem possit esse justitia rigorosa, de qua dixi tract. 1. ubi de justitia Dei, & tract. de Incarnatione, an pura creatura, aut ipse Christus potuerit satisfacere Deo de rigore justitiæ pro peccato.

Neque hìc disputamus, sed supponimus, quòd post remissum peccatum quoad culpam, & reatum pœnæ æternæ ex peccato mortali, remanent pœnæ temporales, pro quibus hìc, vel in purgatorio satisfaciendum est.

Rursus satisfactio hæc vel est *sacramentalis*, quia in sacramento imponitur, & taxatur à Sacerdote, estque aliqualis pars sacramenti, vel *extrasacramentalis*, quia independenter à sacramento pœnitens eam sibi spontè sumit, & offert Deo in reparationem offensarum, & expiationem pœnarum, quas pro peccatis demeretur. Utramque improbant Lutherani, & Calvinistæ velut inutilem, imò & injuriosam Christo, quasi ipse non satisfecerit superabundanter. Nos verò hìc quærimus, an sint in homine opera aliqua, per quæ sic possit Deo satisfacere, & quid sit illa satisfactio.

CONCLUSIO I.

D*Antur in homine opera satisfactoria pro peccatis ex meritis Christi*. Est de fide contra dictos hæreticos.

Dico, *ex meritis Christi*: nam inquit Scotus, [1] *de potentia ordinaria non est possibile satisfieri Deo pro peccato, nisi in virtute passionis Christi.*

Prob. 1. ex eodem. [2] *De possibilitate satisfactionis strictè sumptæ non habet hìc difficultatem .... non consistit satisfactio, nisi in operibus difficilibus, sc. in jejunio, & oratione, & eleemosyna.* Et superius dixerat, [2] quod *magis consistit in actibus pœnalibus, vel passionibus voluntariis, quàm in aliis actibus bonis non pœnalibus, licèt quandoque posset per aliquem actum bonum non pœnalem fieri, quia Deus benè potest actum magnum charitatis acceptare pro punitione debita uni culpę*, &c. ergo Scotus agnoscit opera satisfactoria pro peccatis.

Prob. 2. ex Script. quæ talia opera suadet, ut Daniel Nabuchodonosori, *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*; & Joannes Ju-

[1] *d. 15. q. 1. E. 7.* [2] *ibid. L. 11. M. 12. F. 8.*

dæis, *Facite fructus dignos pœnitentiæ*. Et D. Petrus iisdem, *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna peccatum .... Eleemosyna à peccato liberat*. Et D. Paulus, *Tristitia, quæ secundum Deum est pœnitentia, ea salutem operatur:* nam ait Ambros. *Quicumque inde tristis est, quia hoc ei in se displicet, quod Deo displicet, elaborat, ut illud pœnitendo delere, & Deo satisfacere possit, ut ad salutem, quam amiserat, pervenire possit*; ergo ex Scriptura dantur opera redemptoria, & satisfactoria pro peccatis.

Prob. 3. ex Conc. Florent. [1] ubi satisfactio ponitur inter partes hujus sacramenti. *Tertius* (actus) *est satisfactio pro peccatis .... quæ quidem fit præcipuè per orationem, jejunium, & eleemosynam*. Et Trid. [2] dicit, *Satisfactionem ex omnibus pœnitentiæ partibus à Patribus nostris fuisse populo perpetuò commendatam*. Et Can. 13. 14. & 15. *Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem minimè Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, ut jejuniis ...., atque adeo optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam, anathema sit*; & infra, *Satisfactio pœnitentialis à peccato revocat, Deum placat, merita parit, misericordiam divinam impetrat, peccatis medetur*, &c.

Prob. 4. ex perpetua praxi Ecclesiæ, & traditione: nam inquit Tertullianus, *Satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur .... de ipso quoque habitu, & victu mandat sacco, & cineri incubare .... animum mœroribus dejicere*, &c. Ecce opera satisfactoria. Et addit, *Quàm porrò ineptum pœnitentiam non implere, & delictorum veniam sustinere! hoc est pretium non exhibere* (quo redimantur); & Origen. *Dominus creaturæ humanæ non vult mortem, sed ut convertatur, & vivat, pœnitendo, flendo, satisfaciendo doleat*, &c. Et Concil. Cabilon. *Pœnitentiam peccatorum, quæ est medela animæ, utilem omnibus censemus, & ut pœnitentibus à Sacerdotibus facta confessione indicatur pœnitentia, universitas Sacerdotum noscitur consentire*. Et sic de aliis, quos habes apud Coxium.

Prob. denique. Potest homo justus per bona opera ex meritis Christi mereri vitam æternam, ut diximus tract.

[1] *decr. unic.* [2] *sess. 14. c. 8.*

tract.de merito; ergo à fortiori potest mereri remissionem pœnæ temporalis. Dico *à fortiori*, quia plus est mereri gloriam æternam, quàm satisfacere pro pœna temporali, quæ remanet exolvenda post remissionẽ culpę.

Objic. 1. pro hæreticis. Hæc opera derogarent gloriæ, ac meritis Christi, quasi hæc non essent sufficientia, nec infinita; sed hoc impium est; ergo &c.

Resp. neg. maj. Non enim hæ satisfactiones exiguntur ex defectu meritorum Christi, sed ut per hæc opera mereamur illorum applicationem, & imputationem: nam ad hoc requiritur cooperatio nostra: *Si non compatimur, non conglorificabimur*, &c.

Objic. 2. De fide est nos justificari gratis; ergo non ex operibus satisfactoriis.

Resp. dist. ant. Gratis, id est sine meritis condignis, & independenter à meritis Christi, conc. sine dispositionibus congruis, neg. ant. & conf. Nam ipsa opera satisfactoria primum valorem habent ex meritis Christi, & sunt effectus gratiæ excitantis, & adjuvantis, sine qua nihil possumus.

Objic. 3. Hæc opera deberent esse infinita, ut peccati demeritum est infinitum; sed hoc est impossibile; ergo & satisfactio per ulla opera.

Resp. neg. maj. cujus falsitas patet ex tr. de peccatis.

Inst. Purus homo non potest satisfacere pro uno mortali; ergo &c.

Resp. dist. ant. Purus homo independenter à meritis Christi, conc. ex meritis Christi, neg. ant. Nam opera omnia meritoria valorem primarium habent ex illis meritis. 2. non dicimus satisfactionem cadere in peccatum quoad reatum pœnæ æternæ, sed temporalis tantùm, quæ non restat infinita.

Objic. 4. Non datur justitia inter Dominum, & servum, & minus inter Deum, & hominem; ergo nec vera satisfactio, quia est actus justitiæ veræ.

Resp. dist. antec. Justitia rigorosa, & seclusa libera Dei acceptatione, & pacto, conc. ex acceptatione, & pacto, & minus rigorosa, neg. ant. & conf. nam Deus ex misericordia, & pacto libero vult ad hoc acceptare opera nostra, sicut *reposita est nobis corona justitiæ, quam reddet*, &c.

Objic. 5. Satisfactio supponit debitum; sed post pœnitentiam, & remissionem culpæ non remanet debi-

tum; ergo nec satisfactio debita. Prob.min. ex Script. [1] *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit*. Et, *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor*; ergo post pœnitentiam nihil à nobis exigit Deus, nec remanet debitum pro peccatis.

Resp.2.neg.min.& 2.consf. Si pœnitentia fuerit perfectissima, & ex summa charitate, conc. si non fuerit, neg. min. & 2.cons. nam Propheta loquitur de perfectissima.

Resp. 2. neg. min. & dist. ant. Non nocebit, non recordabor in ordine ad damnationem, quam demerentur, conc. ad aliquas pœnas temporales, neg. ant. nam de istis non loquitur Deus, aut Propheta, quia non tam sunt pœnæ, quàm remedia purgantia,& meritoria majoris gratiæ.

Inst. Christus absolvens, & remittens peccata nihil reservabat; ergo nec Deus in peccatoribus contritis ad puniendum. Prob.ant. ex textu de Adultera, de Paralitico, de Magdalena, &c.

Resp.1.neg.cons. nam in sacramento Deus remittit peccata per sacerdotes, quibus dedit potestatem ministerialem, & limitatam, prout voluit: Christus verò remittebat ex potestate authoritativa, & illimitata, quam ex se ipso habebat ratione unionis hypostaticæ.

Resp.2.neg.ant. nam reservabat eis debitum resipiscentiæ, & pœnitentiæ, dicens, *vade, & noli amplius peccare*. Idem patet exemplis de Adam, & Eva, de Cain, & David. Adæ reservat labores, & sudores, & spinas, &c. Evæ dolores, & subjectionem, Caino divagationem, Davidi famem, &c.

Inst. ex Patribus, *Infidelitas est ab eo, qui justus est, dimidiatam expectare veniam*; sed si Deus reservaret pœnas temporales, cùm remittit peccata, dimidiaret veniam; ergo &c.

Resp. dist.maj. Dimidiam quoad pœnam æternam, conc.quoad omnem temporalem, neg.maj. & conf.nec enim mutatio damnationis æternæ in pęnam aliquam temporalem dedecet Dei misericordiam, quia talis reservatio est nobis utilis ad cautelam contra peccatum, & ne dicamus cum impiis: *Peccavi, & quid mihi accidit triste*? totalis impunitas libidinem faceret peccandi.

Inst.

[1] *Ezech.3.& 18.*

Inst.2. Per gratiam justificantem peccator reconciliatur Deo, & fit amicus; sed reservatio pœnæ est incompatibilis cum vera amicitia, est enim animus vindictæ, & ex reliquiis odii; ergo &c.

Resp.dist.min. Reservatio pœnæ æternæ, conc.min. pœnæ temporalis, neg.min.& rationem ejus: non enim venit ex odio, nec ex animo vindictæ, sed ex providentia bonitatis: nam inquit Gregor. [1] *Ab electis suis iniquitatum maculas studet afflictione temporali abstergere, quas in perpetuum non vult in eis videre*. Denique illæ pœnæ sunt salutares; ergo non ex odio, sed potius ex misericordia, qua *quos amat, castigat.*

Objic. denique. Sublata causa, tollitur effectus; sed reatus culpæ in peccato est causa reatus pœnæ, & ille tollitur per gratiam justificantem; ergo & iste.

Resp.dist.maj. Effectus physicus, conc. moralis, neg. maj. reatus autem pœnæ temporalis est effectus moralis culpæ, seu peccati, & ideò remanet post delictum reatus pœnæ æternæ per gratiam.

CONCLUSIO II.

Satisfactio sacramentalis rectè describitur operatio laboriosa, et pœnalis voluntariè accepta, vel tolerata ad puniendum peccatum, et compensandam offensam Dei ex Sacerdotis impositione.

Prob.1. ex Scoto, [2] qui ferè in terminis eam sic describit, ut diximus: *Est operatio exterior laboriosa*, &c. dicit *exteriorem*, nec tamen intendit excludere actus internos charitatis, contritionis, &c. sed solum quia regulariter imponitur, & impletur per actus externos, ut diximus.

Prob.2. ex sensu communi Theologorum, qui per satisfactionem sacramentalem intelligunt talia opera.

Confirm. ex August. [3] *Satisfactio est peccatorum causas excidere, nec suggestionibus eorum aditũ indulgere*; sed per talia opera, in quibus consistere dicimus satisfactionem, causæ peccatorum exciduntur, & suggestionibus eorum aditus præcluditur: sunt enim actus virtutum oppositarum vitiis peccantibus; ergo &c.

Dicitur autem 1. *operatio laboriosa, et pœnalis*, quia

N 5 de

[1] *9.moral.17.* [2] *ibid.L.11.*
[3] *de dogm.54.*

de ratione pœnitentiæ est *tenere pœnam* pro peccatis, in quo differt à restitutione, quæ est pura redditio rei ablatæ. 2. *voluntariè accepta, vel tolerata*, quia utroque modo fit, sc. vel ex impositione Sacerdotis, vel ex propria electione. 3. *ad puniendum peccata propria*; quia talis est finis satisfactionis. 4. *ex Sacerdotis taxatione*, seu impositione, alioqui non est sacramentalis: nam quæ fit per opera ex proprio motu pœnitentis, est extrasacramentalis. Hæc lucem accipient ex sequentibus.

QUÆSTIO II.

Qualis debeat esse satisfactio, & opera satisfactoria.

Certum est 1. eam debere fieri per actus bonos honestate supernaturali, quia debent respicere Deum, & ejus cultum, ex Concilio Tridentino. [1] Ad Deum autem non respiciunt actus nequidem indifferentes, & procedere debent ex influxu gratiæ, & fidei in Christum, ex cujus meritis sumant valorem. Nam inquit idem Concil. [2] *Neque verò ita nostra est hæc satisfactio, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum, in quo vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ.* Quæ autem sic fiunt, sine dubio sunt supernaturalia.

2. Certum est 2. eos actus debere esse liberos elicitivè, aut imperativè, quatenus liberè acceptantur, vel tolerantur; cæteras conditiones examinamus.

CONCLUSIO I.

Opera satisfactionis sacramentalis regulariter debent esse pœnalia, & externa, possunt tamen fieri in actibus internis, & non pœnalibus. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto cit. [3] *Dico, quod satisfactio in isto intellectu magis consistit in actibus pœnalibus, vel passionibus voluntariis, quàm in aliis actibus bonis non pœnalibus, licèt quandoque posset per aliquem actum bonum non pœnalem satisfieri, quia benè posset Deus acce-*

[1] can. 14. [2] cap. 8. [3] ibid. F. 8.

acceptare actum magnum charitatis pro punitione debita uni culpæ , &c.

Prob. 2. ex Trident. [1] quod definit, *satisfieri Deo quoad pœnam temporalem pœnis ab eo inflictis , & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, aut sponte susceptis , ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus* ,&c.

Confir. ex Script. [2] *Convertimini . . . in jejunio, fletu, & planctu*, &c. Et de pœnitentia Ninivitarum dicitur , [3] quod illam *egerunt , et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis* , &c. Et Christus de Sidoniis dicit, quod *in cinere , et cilicio pœnitentiam egissent;* ergo pœnitentia impletur his operibus pœnalibus.

Prob. 3. ex PP. nam inquit Gregor.[4] *Justum est, ut peccator tantò majora inferat sibi lamenta per pœnitentiam, quantò majora intulit damna per culpam.* Et Auctor libri de vera pœnit. *Sunt digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitentibus: pœnitentia enim graviores fructus postulat, ut dolore , et gemitibus mortuus postulet vitam* . Et Chrysost.[5] suadet pœnitenti , *largos lacrymarum effunde fluvios , laboribus , ac vigiliis te ipsum afflige* , &c. Denique Patres omnes commendant talia opera laboriosa , & externa.

Prob. 4. ex praxi Ecclesiæ, quæ solet tales pœnas imponere pœnitentibus, sc. jejunia, orationes, & eleemosynas, vigilias, cilicia , & similes carnis macerationes, & Sancti omnes per hæc opera suam pœnitentiam commendarunt . Et certè sicut sacramentum est essentialiter signum sensibile, ita & partes ejus regulariter debent esse sensibiles; ergo & satisfactio.

Prob. 2. p. tum ex Scoto cit. [6] qui docet satisfieri posse *per actum magnum charitatis*, tum quia ex omnium consensu potest aliquando contritio interior esse tam fervens , ut totaliter deleat peccatum quoad culpam , & pœnam , & tunc tota satisfactio consistit in illo actu interno . Patet ant. exemplis adductis ex Script. nam sine dubio peccata Magdalenæ remissa sunt ei quoad pœnam omnem , *quoniam dilexit multum* , scil. remissio tam tribuitur dilectioni internæ, quàm lacrymis ejus.

[1] *sess. 14 c. 13.* [2] *Ezech. 18.*
[3] *Jonæ 3.* [4] *hom. 20. in Euang.*
[5] *hom. 42. in Matth,* [6] *ibid.*

Confir. Dantur peccata purè interna ; ergo & satisfactiones : nam offensa reparatur per actus oppositos, v.g. per actus amoris Dei, & proximi reparantur peccata odii, contemptus, invidiæ, &c.

Objic. 1. cont. 1. par. Actus satisfactorius debet esse liber ; sed actus externi non sunt liberi : nam libertas non est in potentiis externis ; ergo illi actus non sunt satisfactorii.

Resp. dist. maj. Liber elicitivè, aut imperativè, conc. elicitivè tantùm, neg. maj. & cons. quia illi actus, & potentiæ externæ agunt, & moventur liberè per libertatem voluntatis imperantis, & moventis, alioqui furtum, vel homicidium non esset peccatum in se, &c.

Inst. Ergo totum meritum, & valor operis est in actu interno, & non in externo, nisi denominativè, & extrinsecè.

Resp. neg. subs. nam sicut homicidium, furtum, & similes actus externi sunt in se, & verè peccata ; ita & orationes, jejunia, &c. sunt verè in se bona, & satisfactoria, licèt non sint in se libera, nisi ab imperio interno voluntatis.

Objic. 2. Actus externi non habent in se honestatem ; ergo nec valorem satisfactorium. Prob. ant. Tota bonitas est in actibus internis ; ergo &c.

Resp. eodem modo dist. ant. bonitatem seorsim ab internis, conc. simul cum internis, neg. ant. utrumque : nam, ut diximus aliàs, actus externus addit bonitatem, & malitiam internis, nam habet suam conformitatem, & difformitatem cum lege.

Inst. Bonitas illa actus externi est eadem, vel distincta à bonitate interni ; sed neutrum dici potest ; ergo &c. Prob. min. 1. non distincta, quia distincta non est libertas. 2. non eadem, nam frustra esset externa.

Resp. eam esse numericè distinctam : nam stante volitione jejunandi, quæ bona est, posses non jejunare, mutata voluntate ; sicut data intentione furandi, potes non furari, & sic duæ sunt numero libertates, & moralitates ejusdem speciei.

Objic. 3. Opera ut pœnalia non habent bonitatem, per quam placeant Deo ; ergo ut pœnalia non satisfaciunt.

Respon. dist. ant. Bonitatem præcisè ab intentione satis-

satisfaciendi, & puniendi peccata per illa, con. ex illa intentione, & fine, neg. ant. Nam sub his respectibus habent bonitatem justitiæ, & pœnitentiæ, & obedientiæ, & virtutum, in quarum materia fiunt, & quæ opponuntur peccatis illis, quæ punire intendimus.

Objic.4. Si pœnalitas esset de ratione operis satisfactorii, ille, qui delectabiliter jejunaret, vel oraret, non satisfaceret, quia illa opera non essent ei laboriosa; sed conf. est falsum; ergo &c.

Resp. dist. maj. & dist. rationem ejus: non essent laboriosa ex fervore virtutis, conc. ex se, & natura sua, neg. ant. Nam de ratione operis satisfactorii non est, ut fiat cum repugnantia actuali appetitus, sed sufficit, ut de se, & præcisa perfectione virtutis, vel habitus influentis delectabilitatem, aut tollentis repugnantiam actualem exerceantur ex intentione puniendi peccatum, & satisfaciendi Deo.

Objic.1. con.2. p. Scotus definit satisfactionem per opus externum, & laboriosum; sed neutrum dici potest de actibus purè internis; ergo non sunt satisfactorii. Prob. min. Quia anima non laborat in suis actibus, nulla ei cognitio, vel cogitatio, vel volitio repugnat de se, sed tantùm ratione appetitus sensitivi, ergo &c.

Resp.1. Scotum loqui de satisfactione, prout regulariter fieri, & imponi solet, ut patet ex ejus textu, in quo admittit eam fieri posse per actum internum charitatis.

Resp.2.neg.min. Nam certum est animam magis delectari in quibusdam actibus, quam in aliis, & indigere majoribus auxiliis gratiæ ad actus fidei, quàm scientiæ, ad actus charitatis, quam odii, &c.

CONCLUSIO II.

Omne opus bonum internum, & externum potest esse satisfactorium pro pœnis temporalibus peccatorum, licèt non sit pœnale. Est etiam communior.

Prob.1. ex Scoto cit. [1] dicit enim expressè, quòd *potest per aliquem actum bonum non pœnalem satisfieri*, v. g. per actum charitatis.

Prob.

[1] *Ibid.*

Prob.2. Homo per actus virtutum fidei, spei, & charitatis potest delere pœnam æternam, & mereri gloriam; ergo à fortiori potest mereri per eosdem remissionem pœnæ temporalis, & pro illa satisfacere. Prob. conf. Actus, quibus meremur deletionem culpæ, & pœnæ, & gloriam, debent magis placere Deo, quàm displiceant peccata; ergo illi actus debent esse magis satisfactorii, & acceptabiliores pro pœnis temporalibus.

Confir. ex Trident. cit. dicente, [1] quod *satisfieri potest non solum jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis pietatis operibus*. Sed omnia pietatis opera non sunt pœnalia: comprehendunt actus omnes Religionis in Deum, denique actus omnes omnium virtutum; ergo &c.

Confir.2. Nam orationes, & eleemosynæ non sunt per se opera pœnalia, nec laboriosa, sed valde conformia naturæ rationali; sed Concilia, Patres, & ipsa Script. hæc opera enumerant inter satisfactoria; ergo &c.

Objic.1. Opera satisfactoria debent æquivalere rebus, pro quibus satisfit; sed satisfit pro pœnis: & sola opera pœnalia æquivalent illis pœnis; ergo hæc sola sunt satisfactoria.

Resp. dist. maj. Æquivalere morali æstimatione, con. maj. & neg. min. in physica entitate, neg. maj. & conf. Nam in morali æstimatione, & acceptatione divina pietatis opera omnia æquivalent pœnis temporalibus peccatorum æque, ac 10. aut 20. asses æquivalent labori diurno fabri, &c.

Inst. Non legitur in Script. quod Deus sic acceptet, vel æstimet illa opera; ergo gratis hoc dicitur.

Resp. neg. conf. Nam licet Script. non dicat illam satisfactionem esse per opera pœnalia potius, quàm per alia, ita non est necesse, ut expresse doceat illam æstimationem, & acceptationem.

Resp.2. neg. ant. Nam ex generali æstimatione operum pietatis pro mercede gloriæ æternæ satis apertè colligitur pro remissione pœnæ temporalis, & aliis meritis inferiorum bonorum. Habemus in Euangelio, quod Deus promittit regnum suum pro operibus omnibus misericordiæ, etiam pro potu aquæ frigidæ, &c.

[1] *can.* 23.

&c. Quæ autem comparatio regni æterni cum potu aquæ frigidæ?

Resp. 3. neg. eandem conf. Nam sufficit, quod illa æstimatio legatur in praxi, & doctrina Ecclesiæ, quæ est depositaria intentionum Dei.

Inst. 2. Justitia commutativa exigit æqualitatem, & similitudinem dati, & accepti, seu debiti, & soluti; sed hæc satisfactio est actus justitiæ commutativæ; ergo exigit pœnalia pro redimendis pœnis.

Resp. dist. maj. Æqualitatem juxta moralem æstimationem, con. æqualitatem, & similitudinem physicam, neg. maj. & conf. in civilibus, & humanis injuriæ compensantur pecuniis, labores militares præmiis, & honoribus.

Objic. 2. Pœnitentia debet fieri in operibus laboriosis, ac pœnalibus; ergo & satisfactio, quæ est pars pœnitentiæ. Prob. ant. quia debet fieri *in jejuniis, & vigiliis, in fletu, & planctu*; ergo &c.

Resp. dist. ant. Regulariter, & non excludendo alia opera, con. absolutè, & ita ut non valeat in aliis piis operibus, neg. ant. & 2. conf. Nam, ut diximus, regulariter, & ordinariè quidem pœnitentia fit in his operibus; sed valet etiam in aliis etiam internis coram Deo, qui corda novit, & intuetur.

Objic. 3. Satisfactio est actus pœnitentiæ; ergo debet esse pœnalis; nam illa est pœnæ tenentia.

Resp. dist. ant. Actus pœnitentiæ elicitus, vel imperatus, con. elicitus, neg. ant. Nam sufficit, quod opera virtutum imperentur à pœnitentia, & offerantur Deo in satisfactionem pro peccatis.

CONCLUSIO III.

Hæc satisfactio fieri potest per voluntariam patientiam in pœnis, & afflictionibus, quas Deus permittit nobis accidere. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] dicente, *satisfactionem esse vel operationem, vel passionem, seu pœnam voluntariè toleratam in ordine prædicto, id. ad placandam divinam offensam*. Et alibi dicit, quòd *mors voluntariè accepta sit sufficiens pro pœna cujuscumque peccati venialis, & fortè pro magna parte pœnæ debitæ pro mortali-*

[1] *Ibid. L. 11. d. 21. q. 1. 10.*

talibus dimissis .... nec obstat, quod est pœna necessaria, quia aliquis potest voluntariè acceptare necessariam; ergo ex Scoto acceptatio, & patientia voluntaria afflictionum potest esse satisfactoria pro peccatis.

Prob.2. ex Concil. Trid. [1] docente, *tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solùm pœnis à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum est amoris argumentum, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis ..... satisfacere valeamus*. Quod definit can.13.

Prob.3. quia talis acceptatio, & patientia tali motivo est verum opus virtutis obedientiæ, & conformitatis, humilitatis, pœnitentiæ, imò & amoris in Deum; ergo tam est satisfactoria, quàm quilibet actus alterius virtutis. Prob. ant. Nam hæc acceptatio potest operari ab illis omnibus virtutibus in eum finem.

Confir. tum quia pœnæ istæ non magis sunt necessariæ, quam pœnæ purgatorii; sed per istas expiantur peccata quoad pœnas temporales, licèt earum acceptatio non sit amplius libera; ergo à fortiori acceptatio pœnarum, quas Deus immittit, quia hæc libera est.

Prob.4. Talis est regulariter voluntas Dei, qui tales pœnas permittit in purificationem, & emendationem nostram; ergo vult eas acceptemus libenter, & per patientiam illi placeamus. Prob ant. tum ex doctrina Conc. cit. tum ex Script. quæ docet Deum sæpe infligere, aut permittere tales pœnas ex amore: nam *quem diligit Dominus, corripit, & castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit*; &, ut notat Hieron. *Scitote ideo Deum ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret*; ergo ex intentione Dei hæc mala nobis eveniunt, ut per eorum tolerantiam purificemur, & satisfaciamus pro peccatis, & à peccatis retrahamur.

Objic.1. Actus satisfactorius est voluntaria redditio debiti; sed talis non est hæc patientia; ergo non est satisfactoria. Prob. min. quia pendet à voluntate Dei, & ab aliis causis talium malorum; ergo &c.

Resp. neg. min. & conf. Nam voluntaria illa accepta-

[1] *Ibid.c.9.*

ptatio est actus humilitatis, & obedientiæ, per quam reparantur rebelliones peccati.

Inst. Illæ pœnæ sunt justa supplicia immissa in vindictam peccatorum; ergo non sunt materia satisfactionis, quia debentur alio titulo.

Resp. transf. ant. Non enim semper ita est, ut patet de Job, & Tobia, & neg. conf. nam per voluntariam acceptationem suppliciorum etiam placemus Deo, & meremur apud illum; & hæc non est alio titulo debita, cùm offertur ex amore in Deum, & ex intentione satisfaciendi, &c. Filius amanter acceptans flagellationem, & osculando virgas placet patri castiganti, & meretur apud illum ampliorem gratiam.

Objic.2. Multæ calamitates casualiter accidunt ex creaturis cum sola permissione Divina; ergo per eas non satisfacimus, nec meremur.

Resp. dist. conf. ex parte causarum, conc. ex libera nostra acceptatione, & applicatione, seu oblatione; neg. conf. nam per hos actus virtutum verè placemus Deo, & placamus eum.

CONCLUSIO IV.

A*bsolutè loquendo possumus satisfacere per opera aliundè præcepta, modò adsint cætera.* Est communior contra aliquos nolentes posse satisfieri, nisi per opera supererogationis.

Dico, *absolute loquendo*: nam fateor, quod regulariter, & extra casus raros necessitatis, debent imponi opera supererogationis, & aliàs indebita, quod apertè colligitur ex textu Doctoris cit.

Prob.2. ex Concil. Trid.[1] docente, quod *per observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ* (fideles) *in ipsa justitia per Christum accepta crescunt, atque magis justificantur, cooperante fide bonis operibus*; &c. Idem patet ex locis allatis in præcedenti de patientia in afflictionibus: hæc enim aliunde est debita de lege naturæ, nec minus calamitates illæ sunt nobis necessariæ, quàm ulla opera ex quibuscumque præceptis debita. Imò hæc possumus non observare, non autem mala illa vitare. Unde

Prob.3. Patientia in malis, quæ patimur à Deo, vel crea-

[1] *Sess.6.*

tum; ergo nec satisfactio debita. Prob.min. ex Script. [1] *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die conversus fuerit*. Et, *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor*; ergo post pœnitentiam nihil à nobis exigit Deus, nec remanet debitum pro peccatis.

Resp.2.neg.min. & 2.conf. Si pœnitentia fuerit perfectissima, & ex summa charitate, conc. si non fuerit, neg. min. & 2.conf. nam Propheta loquitur de perfectissima.

Resp. 2. neg. min. & dist. ant. Non nocebit, non recordabor in ordine ad damnationem, quam demerentur, conc. ad aliquas pœnas temporales, neg. ant. nam de istis non loquitur Deus, aut Propheta, quia non tam sunt pœnæ, quàm remedia purgantia, & meritoria majoris gratiæ.

Inst. Christus absolvens, & remittens peccata nihil reservabat; ergo nec Deus in peccatoribus contritis ad puniendum. Prob.ant. ex textu de Adultera, de Paralitico, de Magdalena, &c.

Resp.1.neg.conf. nam in sacramento Deus remittit peccata per sacerdotes, quibus dedit potestatem ministerialem, & limitatam, prout voluit: Christus verò remittebat ex potestate authoritativa, & illimitata, quam ex se ipso habebat ratione unionis hypostaticæ.

Resp.2.neg.ant. nam reservabat eis debitum resipiscentiæ, & pœnitentiæ, dicens, *vade, & noli amplius peccare*. Idem patet exemplis de Adam, & Eva, de Cain, & David. Adæ reservat labores, & sudores, & spinas, &c. Evæ dolores, & subjectionem, Caino divagationem, Davidi famem, &c.

Inst. ex Patribus, *Infidelitas est ab eo, qui justus est, dimidiatam expectare veniam*; sed si Deus reservaret pœnas temporales, cùm remittit peccata, dimidiaret veniam; ergo &c.

Resp. dist.maj. Dimidiam quoad pœnam æternam, conc.quoad omnem temporalem, neg.maj. & conf.nec enim mutatio damnationis æternæ in pęnam aliquam temporalem dedecet Dei misericordiam, quia talis reservatio est nobis utilis ad cautelam contra peccatum, & ne dicamus cum impiis: *Peccavi, & quid mihi accidit triste*? totális impunitas libidinem faceret peccandi. Inst.

[1] *Ezech.3.& 18.*

Inst.2. Per gratiam justificantem peccator reconciliatur Deo, & fit amicus; sed reservatio pœnæ est incompatibilis cum vera amicitia, est enim animus vindictæ, & ex reliquiis odii; ergo &c.

Resp.dist.min. Reservatio pœnæ æternæ, conc.min. pœnæ temporalis, neg.min.& rationem ejus: non enim venit ex odio, nec ex animo vindictæ, sed ex providentia bonitatis: nam inquit Gregor. [1] *Ab electis suis iniquitatum maculas studet afflictione temporali abstergere, quas in perpetuum non vult in eis videre*. Denique illæ pœnæ sunt salutares; ergo non ex odio, sed potius ex misericordia, qua *quos amat, castigat.*

Objic. denique. Sublata causa, tollitur effectus; sed reatus culpæ in peccato est causa reatus pœnæ, & ille tollitur per gratiam justificantem; ergo & iste.

Resp.dist.maj. Effectus physicus, conc. moralis, neg. maj. reatus autem pœnæ temporalis est effectus moralis culpæ, seu peccati, & ideò remanet post delictum reatus pœnæ æternæ per gratiam.

CONCLUSIO II.

Satisfactio sacramentalis rectè describitur operatio laboriosa, et pœnalis voluntariè accepta, vel tolerata ad puniendum peccatum, et compensandam offensam Dei ex Sacerdotis impositione.

Prob.1. ex Scoto, [2] qui ferè in terminis eam sic describit, ut diximus: *Est operatio exterior laboriosa*, &c. dicit *exteriorem*, nec tamen intendit excludere actus internos charitatis, contritionis, &c. sed solum quia regulariter imponitur, & impletur per actus externos, ut diximus.

Prob.2. ex sensu communi Theologorum, qui per satisfactionem sacramentalem intelligunt talia opera.

Confirm. ex August. [3] *Satisfactio est peccatorum causas excidere, nec suggestionibus eorum aditū indulgere*; sed per talia opera, in quibus consistere dicimus satisfactionem, causæ peccatorum exciduntur, & suggestionibus eorum aditus præcluditur: sunt enim actus virtutum oppositarum vitiis peccantibus; ergo &c.

Dicitur autem 1. *operatio laboriosa, et pœnalis*, quia

[1] *9.moral.17.* [2] *ibid.L.11,*
[3] *de dogm.54.*

de ratione pœnitentiæ est *tenere pœnam* pro peccatis, in quo differt à restitutione, quæ est pura redditio rei ablatę. 2. *voluntariè accepta, vel tolerata*, quia utroque modo fit, sc. vel ex impositione Sacerdotis, vel ex propria electione. 3. *ad puniendum peccata propria*; quia talis est finis satisfactionis. 4. *ex Sacerdotis taxatione*, seu impositione, alioqui non est sacramentalis: nam quæ fit per opera ex proprio motu pœnitentis, est extrasacramentalis. Hæc lucem accipient ex sequentibus.

QUÆSTIO II.

Qualis debeat esse satisfactio, & opera satisfactoria.

CErtum est 1. eam debere fieri per actus bonos honestate supernaturali, quia debent respicere Deum, & ejus cultum, ex Concilio Tridentino. [1] Ad Deum autem non respiciunt actus nequidem indifferentes, & procedere debent ex influxu gratiæ, & fidei in Christum, ex cujus meritis sumant valorem. Nam inquit idem Concil. [2] *Neque verò ita nostra est hæc satisfactio, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum, in quo vivimus, in quo movemur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ.* Quæ autem sic fiunt, sine dubio sunt supernaturalia.

2. Certum est 2. eos actus debere esse liberos elicitivè, aut imperativè, quatenus liberè acceptantur, vel tolerantur; cæteras conditiones examinamus.

CONCLUSIO I.

OPera satisfactionis sacramentalis regulariter debent esse pœnalia, & externa, possunt tamen fieri in actibus internis, & non pœnalibus. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto cit. [3] *Dico, quod satisfactio in isto intellectu magis consistit in actibus pœnalibus, vel passionibus voluntariis, quàm in aliis actibus bonis non pœnalibus, licèt quandoque posset per aliquem actum bonum non pœnalem satisfieri, quia benè posset Deus* acce-

[1] can. 14. [2] cap. 8. [3] ibid. F. 8.

acceptare actum magnum charitatis pro punitione debita uni culpæ, &c.

Prob. 2. ex Trident. [1] quod definit, *satisfieri Deo quoad pœnam temporalem pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, aut sponte susceptis, ut jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus*, &c.

Confir. ex Script. [2] *Convertimini... in jejunio, fletu, & planctu*, &c. Et de pœnitentia Ninivitarum dicitur, [3] quod illam *egerunt, et prædicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis*, &c. Et Christus de Sidoniis dicit, quod *in cinere, et cilicio pœnitentiam egissent*; ergo pœnitentia impletur his operibus pœnalibus.

Prob. 3. ex PP. nam inquit Gregor. [4] *Justum est, ut peccator tantò majora inferat sibi lamenta per pœnitentiam, quantò majora intulit damna per culpam*. Et Auctor libri de vera pœnit. *Sunt digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitentibus: pœnitentia enim graviores fructus postulat, ut dolore, et gemitibus mortuus postulet vitam*. Et Chrysost. [5] suadet pœnitenti, *largos lacrymarum effunde fluvios, laboribus, ac vigiliis te ipsum afflige*, &c. Denique Patres omnes commendant talia opera laboriosa, & externa.

Prob. 4. ex praxi Ecclesiæ, quæ solet tales pœnas imponere pœnitentibus, sc. jejunia, orationes, & eleemosynas, vigilias, cilicia, & similes carnis macerationes, & Sancti omnes per hæc opera suam pœnitentiam commendarunt. Et certè sicut sacramentum est essentialiter signum sensibile, ita & partes ejus regulariter debent esse sensibiles; ergo & satisfactio.

Prob. 2. p. tum ex Scoto cit. [6] qui docet satisfieri posse *per actum magnum charitatis*, tum quia ex omnium consensu potest aliquando contritio interior esse tam fervens, ut totaliter deleat peccatum quoad culpam, & pœnam, & tunc tota satisfactio consistit in illo actu interno. Patet ant. exemplis adductis ex Script. nam sine dubio peccata Magdalenæ remissa sunt ei quoad pœnam omnem, *quoniam dilexit multum*, scil. remissio tam tribuitur dilectioni internæ, quàm lacrymis ejus.

N 6 Con-

[1] *sess.* 14 *c.* 13. [2] *Ezech.* 18.
[3] *Jonæ* 3. [4] *hom.* 20. *in Euang.*
[5] *hom.* 42. *in Matth.* [6] *ibid.*

Confir. Dantur peccata purè interna ; ergo & satisfactiones : nam offensa reparatur per actus oppositos, v.g. per actus amoris Dei, & proximi reparantur peccata odii, contemptus, invidiæ, &c.

Objic. 1. cont. 1. par. Actus satisfactorius debet esse liber ; sed actus externi non sunt liberi : nam libertas non est in potentiis externis ; ergo illi actus non sunt satisfactorii.

Resp. dist. maj. Liber elicitivè, aut imperativè, conc. elicitivè tantùm, neg. maj. & cons. quia illi actus, & potentiæ externæ agunt, & moventur liberè per libertatem voluntatis imperantis, & moventis, alioqui furtum, vel homicidium non esset peccatum in se, &c.

Inst. Ergo totum meritum, & valor operis est in actu interno, & non in externo, nisi denominativè, & extrinsecè.

Resp. neg. subs. nam sicut homicidium, furtum, & similes actus externi sunt in se, & verè peccata ; ita & orationes, jejunia, &c. sunt verè in se bona, & satisfactoria, licèt non sint in se libera, nisi ab imperio interno voluntatis.

Objic. 2. Actus externi non habent in se honestatem ; ergo nec valorem satisfactorium. Prob. ant. Tota bonitas est in actibus internis ; ergo &c.

Resp. eodem modo dist. ant. bonitatem seorsim ab internis, conc. simul cum internis, neg. ant. utrumque: nam, ut diximus aliàs, actus externus addit bonitatem, & malitiam internis, nam habet suam conformitatem, & difformitatem cum lege.

Inst. Bonitas illa actus externi est eadem, vel distincta à bonitate interni ; sed neutrum dici potest ; ergo &c. Prob. min. 1. non distincta, quia distincta non est libertas. 2. non eadem, nam frustra esset externa.

Resp. eam esse numericè distinctam : nam stante volitione jejunandi, quæ bona est, posses non jejunare, mutata voluntate ; sicut data intentione furandi, potes non furari, & sic duæ sunt numero libertates, & moralitates ejusdem speciei.

Objic. 3. Opera ut pœnalia non habent bonitatem, per quam placeant Deo ; ergo ut pœnalia non satisfaciunt.

Respon. dist. ant. Bonitatem præcisè ab intentione satis-

ſatisfaciendi, & puniendi peccata per illa, con. ex illa intentione, & fine, neg. ant. Nam ſub his reſpectibus habent bonitatem juſtitiæ, & pœnitentiæ, & obedientiæ, & virtutum, in quarum materia fiunt, & quæ opponuntur peccatis illis, quæ punire intendimus.

Objic.4. Si pœnalitas eſſet de ratione operis ſatisfactorii, ille, qui delectabiliter jejunaret, vel oraret, non ſatisfaceret, quia illa opera non eſſent ei laborioſa; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. & diſt. rationem ejus: non eſſent laborioſa ex fervore virtutis, conc. ex ſe, & natura ſua, neg. ant. Nam de ratione operis ſatisfactorii non eſt, ut fiat cum repugnantia actuali appetitus, ſed ſufficit, ut de ſe, & præciſa perfectione virtutis, vel habitus influentis delectabilitatem, aut tollentis repugnantiam actualem exerceantur ex intentione puniendi peccatum, & ſatisfaciendi Deo.

Objic.1. con.2. p. Scotus definit ſatisfactionem per opus externum, & laborioſum; ſed neutrum dici poteſt de actibus purè internis; ergo non ſunt ſatisfactorii. Prob. min. Quia anima non laborat in ſuis actibus, nulla ei cognitio, vel cogitatio, vel volitio repugnat de ſe, ſed tantùm ratione appetitus ſenſitivi, ergo &c.

Reſp.1. Scotum loqui de ſatisfactione, prout regulariter fieri, & imponi ſolet, ut patet ex ejus textu, in quo admittit eam fieri poſſe per actum internum charitatis.

Reſp.2.neg.min. Nam certum eſt animam magis delectari in quibuſdam actibus, quam in aliis, & indigere majoribus auxiliis gratiæ ad actus fidei, quàm ſcientiæ, ad actus charitatis, quam odii, &c.

CONCLUSIO II.

Omne opus bonum internum, & externum poteſt eſſe ſatisfactorium pro pœnis temporalibus peccatorum, licèt non ſit pœnale. Eſt etiam communior.

Prob.1. ex Scoto cit. [1] dicit enim expreſsè, quòd *poteſt per aliquem actum bonum non pœnalem ſatisfieri*, v. g. per actum charitatis.

Prob.

[1] *Ibid.*

Prob.2. Homo per actus virtutum fidei, spei, & charitatis potest delere pœnam æternam, & mereri gloriam; ergo à fortiori potest mereri per eosdem remissionem pœnæ temporalis, & pro illa satisfacere. Prob.conf. Actus, quibus meremur deletionem culpæ, & pœnæ, & gloriam, debent magis placere Deo, quàm displiceant peccata; ergo illi actus debent esse magis satisfactorii, & acceptabiliores pro pœnis temporalibus.

Confir. ex Trident. cit. dicente, [1] quod *satisfieri potest non solum jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis pietatis operibus*. Sed omnia pietatis opera non sunt pœnalia: comprehendunt actus omnes Religionis in Deum, denique actus omnes omnium virtutum; ergo &c.

Confir.2. Nam orationes, & eleemosynæ non sunt per se opera pœnalia, nec laboriosa, sed valde conformia naturæ rationali; sed Concilia, Patres, & ipsa Script. hæc opera enumerant inter satisfactoria; ergo &c.

Objic.1. Opera satisfactoria debent æquivalere rebus, pro quibus satisfit; sed satisfit pro pœnis: & sola opera pœnalia æquivalent illis pœnis; ergo hæc sola sunt satisfactoria.

Resp. dist. maj. Æquivalere morali æstimatione, con. maj. & neg. min. in physica entitate, neg. maj. & cons. Nam in morali æstimatione, & acceptatione divina pietatis opera omnia æquivalent pœnis temporalibus peccatorum æque, ac 10. aut 20. asses æquivalent labori diurno fabri, &c.

Inst. Non legitur in Script. quod Deus sic acceptet, vel æstimet illa opera; ergo gratis hoc dicitur.

Resp. neg. conf. Nam licèt Script. non dicat illam satisfactionem esse per opera pœnalia potius, quàm per alia, ita non est necesse, ut expressè doceat illam æstimationem, & acceptationem.

Resp.2. neg. ant. Nam ex generali æstimatione operum pietatis pro mercede gloriæ æternæ satis apertè colligitur pro remissione pœnæ temporalis, & aliis meritis inferiorum bonorum. Habemus in Euangelio, quod Deus promittit regnum suum pro operibus omnibus misericordiæ, etiam pro potu aquæ frigidæ, &c.

[1] *can.*23.

&c. Quæ autem comparatio regni æterni cum potu aquæ frigidæ?

Resp. 3. neg. eandem conf. Nam sufficit, quod illa æstimatio legatur in praxi, & doctrina Ecclesiæ, quæ est depositaria intentionum Dei.

Inst. 2. Justitia commutativa exigit æqualitatem, & similitudinem dati, & accepti, seu debiti, & soluti; sed hæc satisfactio est actus justitiæ commutativæ; ergo exigit pœnalia pro redimendis pœnis.

Resp. dist. maj. Æqualitatem juxta moralem æstimationem, con. æqualitatem, & similitudinem physicam, neg. maj. & conf. in civilibus, & humanis injuriæ compensantur pecuniis, labores militares præmiis, & honoribus.

Objic. 2. Pœnitentia debet fieri in operibus laboriosis, ac pœnalibus; ergo & satisfactio, quæ est pars pœnitentiæ. Prob. ant. quia debet fieri *in jejuniis*, *&* *vigiliis*, *in fletu*, *&* *planctu*; ergo &c.

Resp. dist. ant. Regulariter, & non excludendo alia opera, con. absolutè, & ita ut non valeat in aliis piis operibus, neg. ant. & 2. conf. Nam, ut diximus, regulariter, & ordinariè quidem pœnitentia fit in his operibus; sed valet etiam in aliis etiam internis coram Deo, qui corda novit, & intuetur.

Objic. 3. Satisfactio est actus pœnitentiæ; ergo debet esse pœnalis; nam illa est pœnæ tenentia.

Resp. dist. ant. Actus pœnitentiæ elicitus, vel imperatus, con. elicitus, neg. ant. Nam sufficit, quod opera virtutum imperentur à pœnitentia, & offerantur Deo in satisfactionem pro peccatis.

CONCLUSIO III.

Hæc satisfactio fieri potest per voluntariam patientiam in pœnis, & afflictionibus, quas Deus permittit nobis accidere. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] dicente, *satisfactionem esse vel operationem, vel passionem, seu pœnam voluntariè toleratam in ordine prædicto, id. ad placandam divinam offensam.* Et alibi dicit, quòd *mors voluntariè accepta sit sufficiens pro pœna cujuscumque peccati venialis, & fortè pro magna parte pœnæ debitæ pro mortali-*

[1] *Ibid. L. 11. d. 21. q. 1. 10.*

talibus dimissis .... nec obstat, quod est pœna necessaria, quia aliquis potest voluntariè acceptare necessariam; ergo ex Scoto acceptatio, & patientia voluntaria afflictionum potest esse satisfactoria pro peccatis.

Prob. 2. ex Concil. Trid. [1] docente, *tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solùm pœnis à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum est amoris argumentum, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis ..... satisfacere valeamus*. Quod definit can. 13.

Prob. 3. quia talis acceptatio, & patientia tali motivo est verum opus virtutis obedientiæ, & conformitatis, humilitatis, pœnitentiæ, imò & amoris in Deum; ergo tam est satisfactoria, quàm quilibet actus alterius virtutis. Prob. ant. Nam hæc acceptatio potest operari ab illis omnibus virtutibus in eum finem.

Confir. tum quia pœnæ istæ non magis sunt necessariæ, quam pœnæ purgatorii; sed per istas expiantur peccata quoad pœnas temporales, licèt earum acceptatio non sit amplius libera; ergo à fortiori acceptatio pœnarum, quas Deus immittit, quia hæc libera est.

Prob. 4. Talis est regulariter voluntas Dei, qui tales pœnas permittit in purificationem, & emendationem nostram; ergo vult eas acceptemus libenter, & per patientiam illi placeamus. Prob ant. tum ex doctrina Conc. cit. tum ex Script. quæ docet Deum sæpe infligere, aut permittere tales pœnas ex amore: nam *quem diligit Dominus, corripit, & castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit*; &, ut notat Hieron. *Scitote ideo Deum ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret*; ergo ex intentione Dei hæc mala nobis eveniunt, ut per eorum tolerantiam purificemur, & satisfaciamus pro peccatis, & à peccatis retrahamur.

Objic. 1. Actus satisfactorius est voluntaria redditio debiti; sed talis non est hæc patientia; ergo non est satisfactoria. Prob. min. quia pendet à voluntate Dei, & ab aliis causis talium malorum; ergo &c.

Resp. neg. min. & conf. Nam voluntaria illa accepta-

[1] *Ibid. c. 9.*

ptatio est actus humilitatis, & obedientiæ, per quam reparantur rebelliones peccati.

Inst. Illæ pœnæ sunt justa supplicia immissa in vindictam peccatorum; ergo non sunt materia satisfactionis, quia debentur alio titulo.

Resp. transf. ant. Non enim semper ita est, ut patet de Job, & Tobia, & neg. conf. nam per voluntariam acceptationem suppliciorum etiam placemus Deo, & meremur apud illum; & hæc non est alio titulo debita, cùm offertur ex amore in Deum, & ex intentione satisfaciendi, &c. Filius amanter acceptans flagellationem, & osculando virgas placet patri castiganti, & meretur apud illum ampliorem gratiam.

Objic.2. Multæ calamitates casualiter accidunt ex creaturis cum sola permissione Divina; ergo per eas non satisfacimus, nec meremur.

Resp. dist. conf. ex parte causarum, conc. ex libera nostra acceptatione, & applicatione, seu oblatione; neg. conf. nam per hos actus virtutum verè placemus Deo, & placamus eum.

CONCLUSIO IV.

A*bsolutè loquendo possumus satisfacere per opera aliundè præcepta, modò adsint cætera*. Est communior contra aliquos nolentes posse satisfieri, nisi per opera supererogationis.

Dico, *absolute loquendo*: nam fateor, quod regulariter, & extra casus raros necessitatis, debent imponi opera supererogationis, & aliàs indebita, quod apertè colligitur ex textu Doctoris cit.

Prob.2. ex Concil. Trid.[1] docente, quod *per observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ* (fideles) *in ipsa justitia per Christum accepta crescunt, atque magis justificantur, cooperante fide bonis operibus*; &c. Idem patet ex locis allatis in præcedenti de patientia in afflictionibus: hæc enim aliunde est debita de lege naturæ, nec minus calamitates illæ sunt nobis necessariæ, quàm ulla opera ex quibuscumque præceptis debita. Imò hæc possumus non observare, non autem mala illa vitare. Unde

Prob.3. Patientia in malis, quæ patimur à Deo, vel crea-

[1] *Sess.6.*

creaturis, est de præcepto naturali, & divino; sed per illam meremur, & satisfacimus; ergo & per opera præcepta. Min. patet ex præcedenti. Prob. maj. 1. tenemur confiteri Deum, & Christum coram Tyrannis, etiam cum periculo mortis, & tamen per hanc confessionem, & mortem meremur coronam martyrii. *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor*, &c. Et, *qui me negaverit, negabitur*, &c. Item, *in dolore sustine, in humilitate patientiam habe*; hìc, & alibi præcipitur patientia. Idem est de eleemosyna. *Et eleemosynam pauperis non defraudes*. Et, *date eleemosynam*. Et, *eleemosynam facite*, &c. Et hæc aliquando est de jure naturæ; sed nemo dixerit hos actus, seu hanc patientiam sic necessariam, & præceptam non esse meritoriam, si adsint aliæ conditiones; ergo &c.

Prob. 4. Præceptum nihil tollit de bonitate objectiva, & formali operum; ergo nec de ratione meriti eorum, aut satisfactionis, si fiant ea intentione. Prob. ant. Ecclesia præcipit jejunia, orationes, eleemosynas in hunc finem, sc. in remissionem, & satisfactionem; ergo præceptio nihil tollit de illorum valore, si rectè fiant.

Confir. Nam, ut monet Doctor, aliquando expedit Sacerdoti, ut imponat talia opera jam præcepta, sive ut fiant majori cum applicatione, & devotione, sive ut infirmitati, aut paupertati pœnitentium consulat: & si neglexerit implere, peccat dupliciter contra duplex præceptum, & duplex motivum formale talium operum, nempe contra præceptum Ecclesiæ, aut naturæ, vel decalogi, & confessarii, seu contra debitum sacramenti.

Advertat autem Sacerdos, quòd licèt absolutè vera sit conclusio, & speculativè, tamen in praxi, & regulariter, & quoad fieri potest, imponenda sunt opera libera, & aliundè indebita; sic enim magis servatur æquitas, & regula justitiæ.

Objic. 1. Satisfactio ex Scoto est redditio æquivalentis ex aliàs indebitis; sed opera præcepta non sunt aliàs indebita; ergo non sunt satisfactoria pro hoc sacramento. Prob. min. jejunium in quadragesima v. g. debetur ex præcepto Ecclesiæ, &c. hinc sequitur hoc esse contra Scotum.

Resp.

Resp. dist. maj. Ex aliàs indebitis eodem motivo, & bonitate, & seclusa acceptatione creditoris, conc. sub diverso motivo, & bonitate, & acceptatione creditoris, sc. Dei, neg. maj. & cons. illud jejunium ratione præcepti est materia, & opus obedientiæ, & ratione impositionis in confessione est opus satisfactorium; & qui jejunat ex utroque motivo, dat eidem operi duplicem bonitatem, & hæc posterior non est aliàs debita, sc. sub hac 2. bonitate.

Quoad Scotum patet ex textibus allatis hoc non esse contra mentem ejus: quia cùm exigit, ut satisfactio fiat ex aliàs indebitis, loquitur de justitia rigorosa, qualis non est hæc satisfactio.

Inst. Non potest solvi duplex debitum unica solutione; sed si per opus aliud præceptum satisfieret pro peccatis, unica solutione solveretur duplex debitum; ergo &c. min. prob. solveretur debitum obedientiæ, & satisfactionis pœnitentialis; ergo &c.

Resp. dist. maj. unica solutione materiali, & formali, conc. unica materiali, & duplici formaliter, aut æquivalenter, seu duplici valore, seu bonitate formali, neg. maj. & min. & 2. cons. Nam in his casibus idem opus materiale factum ex duplici motivo duplicis virtutis habet duplicem bonitatem formalem.

Inst. Non constat Deum creditorem sic acceptare illa opera; ergo gratis hoc dicimus.

Resp. neg. ant. Nam id constat ex omnibus Scripturis, quibus commendatur Dei munificentia, & ex Ecclesiæ praxi, quæ est divinæ intentionis interpres, & depositaria. Docet enim, [1] *tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solùm pœnis spontè susceptis pro vindicando peccato, aut Sacerdotis arbitrio impositis, sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) flagellis à Deo inflictis satisfacere valeamus*. Et certè nisi hoc verum esset, nullo modo possemus satisfacere Deo, quia omnia opera nostra illi debentur mille titulis: nam inquit Anselmus, *In obedientia quid das Deo, quod non debes? cui jubenti totum quod es, & quod habes, & quod potes, debes?*

Inst. 3. ex ipso Anselmo, *Cùm aliquis, quod abstulit injustè, solvit, hoc debet dari, quod ab illo non posset*

[1] *Trid. Sess. 14. c. 9.*

set exigi, si alienum non rapuisset. Sic ergo debet omnis, qui peccat, honorem, quem Deo rapuit, solvere; ergo satisfactio pro peccatis debet fieri ex aliàs indebitis, ex Anselmo.

Resp. dist.ant. & conf. Satisfactio ex rigore justitiæ, con. ex justitia pœnitentiali, & minus rigorosa, neg. ant. & conf. Nam inter hominem, & Deum non datur justitia rigorosa.

Objic.2. Solutio ex aliàs debitis ex parte nostra est condonatio ex parte Dei; ergo non est vera satisfactio, si fiat ex operibus jam debitis ex alio præcepto. Prob. conf. per veram solutionem, & satisfactionem debet cessare obligatio debitoris; sed solutio ex debitis ex præcepto non extinguit obligationem debitoris erga Deum: nam posset Deus nolle acceptare illa opera in solutum, & sic non cessaret obligatio; ergo, &c.

Resp. dist. conf. Non est vera solutio, id. ex rigore justitiæ humanæ, con. ex vera justitia, qualis esse potest inter Deum, & hominem, neg. conf. & min. nam cùm Deus erga nos utatur misericordiæ suavitate, qua temperat justitiæ rigorem, acceptat opera nostra, qualia ipsi offerimus. In casu autem nostro hæc illi offerimus ex motivis obedientiæ, & justitiæ, ut sc. satisfaciamus præcepto, & debito.

Colligis ergo 1. quod in pœnitente requiritur intentio satisfaciendi pro pœnis debitis per illa opera: nam actiones nostræ non induunt honestatem formalem virtutum, nisi fiant ex illarum motivo, & fine, nec per consequens rationem meriti, aut satisfactionis, & hæc intentio debet esse saltem virtualis. Nam eadem est ratio de his operibus, ac de aliis omnibus actibus humanis quoad moralitatem, sc. requirunt advertentiam, & cognitionem ex parte intellectus, & intentionem ex parte voluntatis. Unde qui habet præceptum jejunandi ex parte Ecclesiæ, & simul ex præscripto confessarii in die vigiliæ alicujus festi, non satisfacit uni illarum obligationum, si de illa non cogitet, aut velit.

Colligis 2. ex verbis Concilii, & Scoti, quod opera, quibus ordinariè satisfit, & quæ ad hoc imponuntur à Sacerdote, sunt jejunia, eleemosynæ, & orationes, quamvis alia tum interna, tum externa,

mo-

modò possibilia sint, juxta conditionem, & statum pœnitentis imponi possunt. In his exigitur exacta confessarii prudentia.

QUÆSTIO III.

An satisfactio pœnitentialis valeat facta extra statum gratiæ.

CErtum est satisfactionem exigere statum viæ: nam post mortem datur satispassio, non satisfactio; sed de statu gratiæ controvertitur. Quidam volunt eam non aliter valere, sed potiùs esse novum peccatum, si fiat in peccato mortali, propter irreverentiam, quam putant fieri sacramento. Alii putant saltem remissionem pœnæ suspendi per adventum novi mortalis, donec istud remissum fuerit per contritionem, vel novam absolutionem.

Quærimus hìc, an satisfactio sacramentalis valeat, quando impletur in statu peccati mortalis, v. g. Petro imponitur jejunium trium dierum, si post 1. aut 2. diem peccet mortaliter, & tamen jejunet 3. die ex illa intentione, quæritur, an hoc 3. jejunium valeat, an debeat illud repetere, postquam recuperaverit amissam gratiam.

Quæri etiam potest, an satisfactio extrasacramentalis, idest opera bona, quæ operamur ante confessionem, & remissionem mortalium cum intentione satisfaciendi pro pœna temporali eorum, imputari etiam possint pro illa.

Porrò suppono posse hominem liberari à debito pœnæ peccati, vel 1. per modum satisfactionis de condigno, vel de congruo, vel 2. per modum impetrationis, ut cùm per orationes impetramus à Deo condonationem pœnarum illarum in parte, vel in toto, vel 3. per indulgentias, quibus solet Ecclesia remittere tales pœnas per applicationem, & imputationem meritorum Christi, & Sanctorum. Rursus alia est *sacramentalis*, quæ fit per opera à Sacerdote imposita sive ante, sive post confessionem sacramentalem: alia *extrasacramentalis*, quæ fit per opera, quæ sibi sponte præscribit pœnitens ante, vel post obtentam remissionem in sacramento; & quæritur, an per hæc opera possit satisfacere pro illis pœnis.

CON-

CONCLUSIO I.

Non solum valet satisfactio sacramentalis quoad remissionem pœnæ, licèt facta in statu peccati mortalis, sed etiam statim habet effectum. Est valdè communis saltem apud Scotistas.

Prob.1. ex Scoto, [1] *Dico ergo sine præjudicio, quòd qui semel verè pęnitet, & recipit satisfactionem, vel pęnitentiam condignam sibi impositam ab Ecclesia, clave non errante, quantumcumque postea recidivet, numquam tenebitur ad illam unicam satisfactionem adimplendam. Et si eam impleat in charitate, melius est, quia non tantùm solvit pęnam, sed meretur... sed si adimpleat eam extra charitatem, solvit quidem pœnam, sed non meretur gratiam*, &c.

Prob.2. ex eodem: nam inquit, [2] *opinio contraria est nimis dura, & nimis arctat misericordiam Dei, quæ superexaltat judicium, & alia opera ejus.* 2. præbet peccatori occasionem majoris obstinationis: nam v. gr. si debeat jejunare per tres dies, & in 2. peccat mortaliter, videatque sibi non prodesse jejunium hujus diei, non jejunabit 3. die, & sic de novo peccabit mortaliter, quia *transgrediendo istam pęnam sibi impositam à Sacerdote, & receptam, videtur esse peccatum mortale, cùm sit transgressio præcepti Ecclesiæ, & vicarii Dei in illo actu.* 3. jejunium 3. diei non esset peccatum; ergo esset opus bonum; ergo & acceptabile ad satisfactionem. Prob. ant. Nam esset actus virtutis, & si diceretur peccatum, dici posset opera virtutis facta in statu peccati esse peccata; sed hoc damnat Ecclesia in Bajo; ergo &c.

Prob.3. Possunt impleri præcepta Ecclesiæ in statu peccati mortalis; ergo & istud, id. satisfieri potest præcepto confessarii de jejunio.

Prob.4. In civilibus, ut quis solvat debitum, non debet esse gratus, vel amicus, sufficit, ut numeret pecuniam debitam; ergo ita est in pœnitente quoad satisfactionem, quia est solutio debiti.

Prob.5. Aliæ partes pœnitentiæ non exigunt statum gratiæ, ut valeant; ergo nec ista. Prob. ant. Confessio, & attritio præcedunt gratiam, quæ non datur nisi

[1] *d.15.q.1.O.16.* [2] *Ibid.*

nisi per absolutionem sequentem; ergo &c.

Confir. ex antiqua praxi Ecclesiæ: nam olim exigebatur satisfactionis impletio ante absolutionem; sed tunc non erat status gratiæ; ergo &c.

Prob. denique: nam id videtur moraliter impossibile in praxi Ecclesiæ, quæ quibusdam pœnitentibus imponere solet longiores pœnitentias, v.g. jejunia per plurimos dies, aut alia opera per annum, aut menses plures: nam illa opera non haberent unquam finem, sed essent semper iteranda, quoties pœnitens peccaret mortaliter de novo, & ante impletam satisfactionem: & sic potiùs fideles ob tam gravia onera retraherentur à sacramento.

Prob. 2. p. Nam si valet satisfactio in eo statu, ergo ex tunc debet habere suum effectum: nulla enim est ratio dilationis.

Objic. 1. Satisfactio sacramentalis non valet, nisi placeat Deo; sed non placet Deo facta in statu peccati; ergo non valet. Prob. min. *Non est speciosa laus in ore peccatoris*. Et, *Cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ plenæ sunt sanguine*.

Resp. dist. min. Non placet ad meritum gratiæ, con. ad puram satisfactionem, & redemptionem pœnæ, neg. min. & ant. Nam ex Scoto alia est satisfactio puræ solutionis, alia placationis, & reconciliationis: illa debet placere Deo ex objecto, licèt non placeat ex conditione solventis, ista verò à persona amica, & grata, & sic in statu gratiæ. 1. dicitur *ordinativa pœnæ*, 2. verò est etiam *ordinativa culpæ*; ideo fit in gratia, aut illam requirit. Hæc distinctio est valdè notanda pro solutione objectionum.

Objic. 2. ex Trident. [1] *Bona opera nostra non habent valorem, nisi ex meritis Christi, in quo vivimus, meremur, & satisfacimus facientes dignos fructus pænitentiæ*: Sed habens peccatum mortale non vivit in Christo, sed in eo mortuus est, & ab eo separatus; ergo nec in eo satisfacit; ergo nec valet satisfactio.

Resp. dist. min. Non vivit in Christo per formalis sanctitatis vitam, conc. per vitam inchoatam gratiæ excitantis, & juvantis, neg. min. & conf. Nam de hac vita loquitur Concilium, non de vita gratiæ habitualis.

[1] *Sess.* 14. c. 8.

lis; alioqui opera, quæ præcedunt justificationem, ut fides, spes, confessio, attritio, &c. nihil valerent coram Deo.

Inst. Sine Charitate nulla opera valent coram Deo; ergo extra statum gratiæ nulli satisfactio valet. Prob. ant. ex Paulo, *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest*. Et Sapiens, *Dona impiorum non probat Altissimus*. Et idem Apostolus monet, *Exhibeamus corpora nostra hostiam viventem, sanctam*, &c. ergo.

Resp. dist. ant. utrumque: non valent, non prosunt, & Deus ea non probat in ordine ad meritum, con. ad satisfactionem, & solutionem debitorum, neg. ant. Nam de hoc valore agimus, non de valore ad meritum.

Inst. 2. Satisfactio illa pro pœnis peccati præparat ad consecutionem gloriæ: nam removet impedimenta ejus; ergo etiam pro illa valent illi textus.

Resp. neg. cons. Non enim valent pro omni præparatione, alioqui nulla opera, quæ præcedunt justificationem, valerent coram Deo. Et hoc magis verum est pro satisfactoriis, quæ non præparant nisi remotè, & indirectè.

Objic. 3. Satisfactio pro pœna temporali debet habere proportionem cum pœna purgatorii, quæ est pœna temporalis, pro qua satisfacimus; sed non potest habere aliam proportionem, quàm quod fiat in gratia, per quam dignificatur; ergo &c.

Resp. dist. min. Non habet proportionem in ratione pœnæ, & passionis, conc. in ratione satisfactionis, neg. min. Nam in purgatorio pœnæ non sunt purè satisfactoriæ, sed satispassiones: hìc verò sunt satisfactoriæ, & per voluntarietatem elevantur, & intuitu sacramenti præteriti, cujus virtute pęna æterna remissa est, & debitum ejus mutatum in debitum pœnæ temporalis voluntariæ, aut purgatorii, quæ est necessaria.

Inst. Illa commutatio facta est intuitu gratiæ sanctificantis, & remissionis peccati; sed hæc gratia non adest; ergo non dat valorem satisfactioni.

Resp. dist. min. Non adest quoad commutationem faciendam, con. ut factam, neg. min. & conf. nam supposita commutatione illa facta in sacramento per gratiam, restat solutio pœnæ temporalis, quæ

quæ fit extra sacramentum.

Objic.4. Satisfactio sacramentalis est pars sacramenti; sed istud debet conferre gratiam, vel augmentum ejus; ergo satisfactio debet augere gratiam; sed istud non præstat, nisi fiat in gratia; ergo nisi fiat in gratia, non valet.

Resp. dist. maj. Est pars, prout in voto pœnitentis, & intentione Sacerdotis, & ut implenda, con. in executione, neg. maj. Nam tunc est effectus, & sequela sacramenti, non pars ejus intrinseca: alioqui non valeret sacramentum ante executionem satisfactionis, aut si ante impletam, peccaret mortaliter.

Inst. Indulgentiæ non valent habenti peccatum mortale; ergo nec satisfactio: nam illæ ponuntur loco istius.

Resp. neg. cons. Nam Thesauri meritorum Christi non aperiuntur nisi pro contritis, & confessis, & justificatis, ut patet ex bullis Pontificiis: non ita est de satisfactione.

Objic.5. Non potest separari reatus pœnæ à reatu culpæ: hic priùs debet remitti, quàm ille; sed habens peccatum mortale est in reatu culpæ, ac pœnæ æternæ, & satisfactio est tantùm pro pœna temporali; ergo hæc non valet in statu peccati mortalis.

Resp. neg. absolutè maj. maximè de pœna peccati jam remissi quoad culpam, ut in casu nostro: nam pœnæ, pro quibus fit hæc satisfactio, sunt temporales restantes ex peccatis remissis quoad culpam. Deinde falsum est non posse remitti aliquid de satisfactione per bona opera, & pœnitentias, quæ præcedunt justificationem: nam quò majores sunt dispositiones ad sacramentum, eò plùs gratiæ operatur, & minores pœnæ temporales restant exsolvendæ.

Longè tamen tutius, & consultius est, ac utilius, si satisfactiones compleantur in statu gratiæ, quia illa opera sunt gratiora Deo, & non sunt purè satisfactoria, sicut quæ fiunt in peccato, sed etiam meritoria, ex Doctore.

CONCLUSIO II.

Opera bona, & pœnalia ante sacramentum possunt esse satisfactoria de congruo pro aliqua pœna temporali peccati. Debet esse communis apud Auctores præcedentis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Sicut in humanis, si alicui offensæ in Regem correspondeat præcisè secundum legem abscissio manus: si isti etiam invito abscindatur manus, satis patitur, & in tantùm satisfacit Regi ..... multò magis ergo posset sufficere pro punitione culpæ, si aliquis pęnam sibi debitam infligeret, licèt non esset in gratia,* &c. Et infra dicit, quod *Sacerdos ligat ad solutionem pęnæ temporalis, nisi jam fuerit soluta sufficienter;* ergo per pœnas, quas sibi peccator infligit ante justificationem, satisfacit aliquo modo.

Prob. 2. ex Script. Nam dicente Job, [2] *Ipse considerat vias meas,* Glossa addit, quod *apud Deum nulla bona, vel mala sunt sine retributione;* & Apost. [3] *Non injustus est Deus, ut obliviscatur laboris vestri, & dilectionis,* &c. Et Nabuchodonosor non erat in gratia, quando dicebat ei Daniel, *Peccata tua eleemosynis redime.*, &c. ergo per opera præcedentia justificationem potest aliquid remitti de pœna peccati.

Prob. 3. Quia per illa opera peccator se disponit ad justificationem; ergo multò magis meretur remissionem aliquam pœnæ temporalis: nam hæc remissio longè majorem proportionem habet cum illis operibus, quàm ipsa gratia sanctificans.

Confir. Nam si uni peccato taxatum sit jejunium, aut aliud opus pęnale, & pęnitens dicat se post peccatum jam jejunasse, non tenebitur sacerdos aliud jejunium illi imponere. Item si constet eundem jam multa bona opera fecisse pro peccatis, longè mitior pęna debet illi imponi, sicut si viderit eum esse magis contritum; ergo signum est illa bona opera præcedentia remissionem peccati facta ex motivo pęnitentiæ aliquo modo esse satisfactoria.

Prob. 4. Quia certum est illa opera de se esse bona, & fieri cum influxu gratiæ excitantis, & juvantis, & nulla est ratio illis negandi vim aliqualiter satisfactivam

[1] *Ibid. p. 17. d. 16. q. 1. F. 8.* [2] *Job. 31.* [3] *Hebr. 6.*

vam de congruo; ergo eam habent. Prob. ant.si adesset talis aliqua ratio, vel esset status peccati mortalis, vel defectus taxationis per Sacerdotem: sed neutra ratio valet; ergo nulla. Prob. min.1. non propter peccatum: nam eadem est ratio de operibus factis in peccato ante sacramentum, & post illud, ut diximus. 2. non defectu taxationis, quia hic defectus non aufert illis operibus bonitatem, sed potiùs videntur laudabiliora, quia magis libera; ergo &c.

Confir. ex praxi Ecclesiæ, quæ ab aliquibus peccatoribus exigit satisfactiones, & pęnas, antequam eos absolvat sacramentaliter: nam frustra id exigeret, si crederet ea opera esse inutilia; ergo &c.

Dixi, *illa opera esse satisfactoria de congruo*. Nam ex dictis tr. de merito, ut essent satisfactoria de condigno, requireretur status gratiæ.

Objic.1. Eadem argumenta, quæ contra præcedentem: nam videtur eadem de utraque difficultas.

Objic.2. Ante absolutionem non apparet ratio debiti; ergo nec satisfactionis. Prob. ant. ante sententiam judicis taxantis pęnas nihil debetur; ergo nec pro peccato ante sacramentum, in quo Sacerdos fert sententiam.

Resp. neg. utrumque ant. Nam debitum pęnæ est alligatum peccato; & sicut in civilibus, qui damnum intulit proximo, si ante querelam istius, & ante sententiam judicis aliqua intuitu damni persolvit, hæc illi imputantur in diminutionem reparationis; à fortiori apud Deum peccator, qui statim post peccatum incipit punire se, & compensare injuriam, hoc illi imputatur in diminutionem debiti.

Objic.2. Nullibi constat de valore talis satisfactionis anticipatæ, imò constat de invaliditate operum peccatoris; ergo gratis asseritur.

Resp. dist. ant. Nullibi constat explicitè, conc. implicitè, & virtualiter, neg. antec. Nam omnes loci Scripturæ, & Patrum, quibus invitatur peccator ad pęnitentiam, id probant: ut cùm dicitur, *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. Et, *Peccata tua eleemosynis redime*, &c. Hæc, & similia, quæ suadentur, peccatores præparant ad remissionem, & sunt quædam anticipatæ solutiones.

QUÆSTIO IV.

An satisfactio sit pars sacramenti, & qualis?

JAm sæpè diximus ex Concil. Trid. quod satisfactio est unus ex tribus actibus, qui tenent locum materiæ hujus sacramenti; sed nondum resolvimus, an sint partes intrinsecæ, vel extrinsecæ, quia regulariter satisfactio non est præsens, quando fit sacramentum, nec præcedit absolutionem, nisi in voto pęnitentis, & ex præcepto Sacerdotis.

CONCLUSIO I.

S*Atisfactio, saltem in voto pęnitentis, est pars aliquo modo essentialis sacramenti, & aliquo modo integralis*. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Nam inquit, *Satisfactio debet sequi sacramentum pęnitentiæ ad hoc, ut habeat efficaciam, & hoc in re, vel in voto*; ergo ex Scoto satisfactio est de essentia sacramenti in re, vel in voto.

Prob. 2. ex Conciliis Florent. & Trid. cit. ubi de essentia hujus sacramenti, & ex cap. *pæniteat*, ubi ex Chrysost. dicitur pęnitentiam *tribus perfici, contritione cordis, confessione oris, & humilitate operis*; & ex August. *Non sufficit mores in melius commutare.... nisi etiam his, quæ facta sunt, satisfiat*.

Prob. 3. Illud est essentiale sacramento pęnitentiæ, sine quo non recipitur validè, sed sine satisfactione, saltem in voto, istud non recipitur validè; ergo &c. maj. patet: nam si esset illi accidentalis, reciperetur validè sine illa, & valeret quoad substantiam. Prob. min. ex Conciliis, & Canonibus cit. & præterea, sicut tota materia sacramenti hujus pertinet ad substantiam ejus, ita & pars illius materiæ, & sine illa subjectum ejus non est dispositum ad effectum illius, sicut nec si desit confessio, vel contritio, non valet absolutio; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam satisfactio in re, & ut est imposita à Sacerdote, non est essentialis sacramento, quia jam exi-

[1] *d. 16. q. 1. E. 7.*

existit quoad essentiam, sed remanet mutilum, sicut homo, qui nasceretur sine brachio, & non haberet plenam remissionem peccatorum, sed remanerent irremissa quoad pęnam temporalem; ergo quoad hoc sacramentum non haberet suam integritatem quoad effectum.

Objic. 1. Nihil est de essentia sacramenti, nisi quod est institutum à Christo; sed satisfactio non fuit instituta ut pars hujus sacramenti; ergo &c. Prob. min. nullibi constat de illa; ergo &c.

Resp. neg. min. & dist. ant. Nullibi formaliter, & explicitè, conc. virtualiter, & implicitè, neg. ant. Nam cùm Christus dedit Apostolis, & Ecclesiæ potestatem ligandi, & solvendi, apertè intelligitur dedisse potestatem imponendi satisfactionem, & subjecisse huic vinculo pęnitentes volentes frui beneficio hujus potestatis. Denique sufficit Ecclesiam sic statuere, quæ est depositaria divinæ voluntatis.

Inst. Ab initio Ecclesia non exigebat hanc satisfactionem ut partem sacramenti; ergo &c. Probat. ant. Ex antiquis Ritualibus, quæ nihil de hoc præscribunt, nisi ad summum ex tempore Concilii Lateran. IV. aut Florentini.

Resp. neg. ant. Nam ut dictum est de necessitate satisfactionis pęnitentialis, constat de illa ab initio nascentis Ecclesiæ, licèt non ita fuerit definita, sicut in prædictis Conciliis, quia hæretici non dederant occasionem definiendi, eam impugnando.

Objic. 2. Ante satisfactionis existentiam existit sacramentum; ergo hæc non est de ejus essentia, imo nec de integritate.

Resp. dist. ant. Ante existentiam in re, con. in voto, neg. ant. Nam debet pęnitens habere voluntatem satisfaciendi.

Inst. Si pęnitens non impleat satisfactionem, adhuc valet sacramentum; ergo illa non est de ejus essentia.

Resp. dist. ant. Valet quoad essentiam, & dummodo fuerit in voto, dum absolvebatur, conc. quoad integritatem effectus, & si non erat in voto pęnitentis, neg. ant. nam deficit, & mancum remanet quoad remissionem pęnæ, & pęnitens remanet debitor satisfactionis.

Objic. 3. Partes sacramenti debent esse sensibiles; sed votum satisfactionis non est sensibile, est actus purè internus; ergo non est pars hujus sacramenti.

Resp. dist. maj. Sensibiles per se formaliter, vel objectivè, & per aliud, conc, per se, & formaliter tantùm, neg. maj. & min. Nam hoc votum, sicut & contritio, licèt sint actus interni, tamen fiunt sensibiles sacerdoti per alios actus externos pœnitentis, maximè dum acceptat, & promittit satisfacere.

Aliæ objectiones solutæ sunt supra de essentia hujus sacramenti.

CONCLUSIO II.

Satisfactio, ut sit sacramentalis, debet imponi, & taxari à sacerdote ante, vel post absolutionem, sed meliùs ante absolutionem. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] *Sententia sacerdotis sic absolvit, quod tamen ligat. Absolvit quidem à debito pœnæ æternæ, sed ligat ad pœnam temporalem*; ergo &c. & addit, quod Sacerdos ibi agit ut judex.

Prob. 2. Totum, quod geritur in hoc sacramento, fit per formam judicii; sed in judiciis spectat ad solum judicem pœnas imponere, & taxare; ergo &c.

Prob. 3. In hoc sacramento ad eundem spectat ligare, & solvere; sed ad solum Sacerdotem spectat solvere; ergo & ligare.

Dico, *in hoc sacramento*, & satisfactione sacramentali: nam in pœnis satisfactionis non sacramentalibus, & arbitrariis, quisque potest eas sibi sumere, non autem sacramentales, quæ à solo Sacerdote pendent.

Prob. 2. p. Nam in praxi approbata, vel tolerata, solet utroque modo imponi, scil. ante, vel post absolutionem; ergo &c. Probat. ant. ex Clement. [2] *Dudum*, ubi dicitur, *Sacerdos confessiones audiat, pœnitentias imponat, & absolvat*. Vides præmitti impositionem pœnitentiæ. Alibi verò dicit, *Archiepiscopus, dum visitat, potest confessiones suffraganeorum subditorum audire, & absolvere confitentes, ac ipsis pœnitentias injungere salutares*. Hìc postponitur impositio pœnitentiæ.

Prob.

[1] *Ibid. &* F. 8. [2] *de sepult.*

Prob.3.p.Nam pœnitens ante absolutionem est magis paratus ad parendum, faciliùs acceptat pœnas salutares sibi impositas, ne sibi negetur absolutio, ut revera negari deberet, si sine gravi ratione non acceptaret; ergo melius est,ut ante absolutionem imponatur satisfactio.

Objic.1. Si Sacerdos omitteret imponere pœnitentiam, posset pœnitens aliquam eligere,ut suppleret, & satisfaceret pro peccatis; sed tunc illa satisfactio esset sacramentalis, licèt non taxata à Sacerdote; ergo &c. Prob. min. pœnitens eam sumeret, & faceret intuitu sacramenti; ergo esset sacramentalis.

Resp. neg. min. & conf. Non enim sufficit,ut sumatur, & fiat intuitu sacramenti, sed requiritur,ut sit à judice ut ministro sacramenti, qualis esset solus sacerdos.

Inst. Illud opus, illud jejunium habebit fructum sacramenti; ergo ille fructus est sacramentalis. Prob. ant. delebit aliquam partem pœnæ restantem post absolutionem; ergo illa satisfactio erit sacramentalis.

Resp. neg.ant. & dist.2. Delebit ratione operis præcisè, conc. ratione sacramenti, neg. ant. habebit effectum, quem habent alia bona opera extrasacramentalia, & delebit reliquias pœnæ, ac peccati per modum cujusdam meriti.

Objic.2. Ideo satisfactio sacramentalis debet imponi à confessario, quia hic per illam exercet potestatem ligandi; sed hoc non impedit,quin alia opera spontè electa à pœnitente cum hac intentione sint satisfactoria sacramentaliter; ergo &c. Prob. min. si Sacerdos omittit imponere, vel non imponit ante absolutionem, valet jam sacramentum, licèt nondum ligaverit; ergo illa ratio non impedit,quin satisfactio electa à pœnitente sit satisfactoria.

Resp. neg. min. & 2. conf. Quia tunc valet quidem sacramentum, quia habet omnia essentialia; sed non est integrum.

Objic. con.2.p. In aliis judiciis non absolvitur reus, nisi post satisfactionem; ergo neque id fieri debet in isto: nam institutum est hoc sacramentum in forma veri judicii.

Resp. neg. conf. & parit. Nam in judiciis humanis satisfactio habet rationem restitutionis, sine qua non

debet absolvi reus, in isto respicitur ad dispositionem internam pœnitentis potiùs, quàm ad externam, habet autem satisfactionem in voto, quod sufficit ad valorem absolutionis, quia *Dominus intuetur cor*. Item est tribunal misericordiæ, & voluntarium; ideo præsumitur de voluntate pœnitentis, qui sponte venit ad judicem.

Objic. 2. Si imponeretur satisfactio post absolutionem, posset pœnitens eam non acceptare; sed hoc est inconveniens; ergo debet dari ante. Prob. min. Nam sic frustraretur sacramentum; ergo &c.

Resp. dist. maj. posset non acceptare ex causa, con. maj. & neg. min. sine causa, neg. maj. & conf. Nam si non acceptaret ex causa, Sacerdos posset, & deberet imponere aliam, quam deberet acceptare pœnitens, quod si sine causa, & ex malitia, vel inobedientia renueret, peccaret mortaliter, sed non invalidaret præcedens sacramentum, modò ante absolutionem habuisset votum satisfaciendi, quia defectu hujus dispositionis non valeret sacramentum. De quo mox dicendum est.

QUÆSTIO V.

An sit liberum Sacerdoti imponere satisfactionem, & pœnitenti eam acceptare, aut acceptatam non implere.

DUo hìc quærimus. 1. an ita debeat Sacerdos imponere pœnam pœnitentibus, quoties confert hoc sacramentum, ita ut peccet, vel invalidè faciat, si omittat. 2. De pœnitente, an sit ei liberum non acceptare pœnam illam, ita ut non acceptando peccet, aut invalidè absolvatur; ita ut neuter possit in hoc dispensari, nec ille ab impositione, nec iste ab acceptatione. Putant quidam insignes Scotistæ posse pœnitentem non acceptare pœnam ullam sibi à Sacerdote imponendam, reservando sibi satisfactiones pro arbitrio eligendas, aut etiam in Purgatorio exsolvendas.

CON-

CONCLUSIO I.

R*Egulariter Sacerdos tenetur pęnam aliquam imponere pęnitenti, nisi adsit impossibilitas ex parte istius: & hoc facit per modum præcepti*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] *Satisfactio debet sequi sacramentum pęnitentiæ ad hoc, ut habeat efficaciam, & hoc in re, vel in voto, nisi judex posset perpendere illas pęnas alias præcedentes sufficere ad talis pęnæ solutionem. Ita enim sententia sacerdotis sic absolvit, quod tamen ligat; absolvit quidem à debito pęnæ æternæ, sed ligat ad solutionem pęnæ temporalis, nisi sit sufficienter jam soluta*, &c. propter hæc verba.

Dixi *Regulariter*: Nam si Sacerdos judicet pœnas præcedentes sufficere ad totalem satisfactionem, non tenebitur novas imponere, ex Scoto. Quod raró accidit; ideo regulariter tenetur aliquas imponere, ne ejus culpa sacramentum in aliquo deficiat.

Prob. 2. ex Conc. Trid. Nam cùm satisfactio sit pars materiæ sacramenti, si non imponatur à ministro, non faciet integrum sacramentum. *Divinam justitiam decet, ne nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur .... debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm spiritus, & prudentia dictaverit, pro qualitate criminum, & pęnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere*. Non dicit, *possunt*, quasi hoc sit in eorum arbitrio; sed *debent*, quod significat obligationem, seu necessitatem.

Confir. Nam Concilium ponit satisfactionem in eodem necessitatis gradu cum confessione, & contritione; ergo non minùs istam exigit, quàm illas: nec minus debet curare minister, ut hæc adsit, quàm illæ, quantùm est ex se.

Prob 3. Si hoc penderet ab arbitrio ministri, Ecclesia non adeo esset sollicita, ut in hoc servaretur congruentia, & proportio, neque ut monerentur infirmi de ejus necessitate, ut eam implere debeant, si convaluerint; ergo &c. probat. ant. Nam sicut liberum esset imponere, vel non imponere, ita & imponere levissimas pro quibuscumque peccatis, nec curaret Ecclesia, an graves, aut leves imponantur.

[1] *d.* 16 *q.* 1. *F.* 7.

Confir. ex praxi Ecclesiæ, quæ quantumvis contritis adhuc imponit aliquas pœnas, quod non faceret tam exactè, si penderet ab arbitrio Sacerdotum aliquas imponere, vel nullas.

Prob.2.p. Injunctio pœnæ est exercitium potestatis ligandi; sed pœnitentes non ligantur, nisi per præceptum, non autem per consilium; ergo injunctio pœnæ in hoc sacramento fit per vim præcepti, cui debetur obedientia.

Confir. Nam Sacerdos imponit pœnitentiam ut judex, & per modum judicii, & per sententiam juridicam; ergo non per modum consilii, sed præcepti.

Prob.2.Nam si hæc impositio esset tantum per modum consilii, ejus executio, nec impositio non essent sacramentales, nec pertinerent ad sacramentum dignè recipiendum; sed conf. est falsum; ergo &c. Prob. min. Executio satisfactionis non potest esse pars sacramenti magis, quàm ejus impositio, vel intentio imponentis; sed ex intentione imponentis non esset necessaria, sed solùm de consilio; ergo nec necessaria sacramento.

Confir. Nam si impositio, & executio pœnitentiæ non essent nisi de consilio; votum ejus non esset de necessitate sacramenti: sed conf. est falsum; ergo &c. min. patet ex doctrina Conc. Florent. & Trid. Prob. maj. Nam frustra exigeretur propositum satisfaciendi ut pars materiæ sacramenti, si satisfactio in re non esset necessaria aliqua necessitate, saltem præcepti; sed esset solùm de consilio, ut patet; ergo, &c.

Dixi, *nisi adsit impossibilitas in pœnitente*, ut si infirmus sit incapax illius operis tam interni, quàm externi, propter alienationem mentis, vel amissionem usus sensuum: nam tunc frustra imponeretur, imo talis esset absolvendus sine confessione formali, ut dictum est.

Objic.1. cont.1. p. Si omitteretur impositio hæc ex inadvertentia, adhuc valeret sacramentum, nec ei fieret irreverentia; ergo impositio illa non est necessaria, sed arbitraria Sacerdoti. Probatur conseq. Quod non invalidat, nec facit injuriam sacramento, liberè ponitur; sed omissio illa non invalidat, nec facit injuriam sacramento; ergo &c.

Resp.

Resp. neg. conf. & min. Nam omittens voluntariè partem notabilem sacramenti, facit illi injuriam, quia detruncat illi partem, ut si abscinderes homini manum.

Inst. fieret validè; ergo & licitè.

Resp. neg. conf. Nam multa facta valent, quæ non licent.

Inst. 2. Est liberum Sacerdoti imponere hanc, vel illam, prout dictat prudentia; ergo & imponere, vel omittere.

Resp. neg. conf. Nam aliud est posse imponere hanc, vel illam, gravem; aut levem, & aliud nullam imponere. In illò servatur semper ordo aliquis judicii, non in isto casu; in illò læditur sola æquitas, in isto sacramentum.

Resp. 2. neg. absolutè ant. Nam debet imponi pœna conveniens, ut docent Concilia, & Sacri Canones.

Objic. 2. Potest fieri, ut confessio sit tantùm de venialibus; sed tunc impositio pœnitentiæ non esset necessaria, sicut nec ipsa confessio; ergo saltem aliquando potest imponi satisfactio per modum consilii, non præcepti.

Resp. neg. min. Nam licèt venialia non sint materia necessaria confessionis, tamen hoc ipso, quod subjiciuntur clavibus Ecclesiæ, debetur satisfactio pro illis.

Objic. 3. Sacerdos posset imponere disjunctivè jejunium, aut eleemosynam ad arbitrium pœnitentis; sed tunc neutrum esset de præcepto: ergo absolutè satisfactio non est de necessitate præcepti in Sacerdote, vel penitente.

Resp. dist. min. neutrum disjunctivè, conc. copulativè, neg. min. nam penitens tenetur alterutrum, id. unum de duobus eligere, & implere, si unum sit de præcepto per electionem, & si utrumque omittat, peccat contra præceptum.

CONCLUSIO II.

Pœnitens debet aliquam satisfactionem datam à Sacerdote, aut dandam acceptare, & impositam implere, si adsit potentia: alioqui non est absolvendus. Est contra prædictos Scotistas, & pro nobis stant Cardin. Brancatus, Mastrius, & Hiquæus cum Scoto.

De mente Scoti non convenit inter nostros: Tres Scotistæ prædicti dicunt, quod *si putaret pęnitentem posse simpliciter, & absolutè nullam pęnam acceptare, non ita sollicitus esset monere Sacerdotem, ut in ea imponenda studeat se accommodare infirmitati, ut talem imponat, qualem noverit eum facturum. Nec diceret satisfactionem in re, vel in voto esse necessariam, ut hoc sacramentum dignè suscipiatur*, & *ut habeat efficaciam*. Sed alibi videtur expressis verbis scribere, quod *si pęnitens omninò nullam pęnitentiam vult recipere à Sacerdote impositam, dicit tamen se habere displicentiam de peccato, & firmum propositum non recidivandi, absolvendus, & non est respuendus, ne incidat in desperationem*, &c. Quod repetit pluribi, etiam in Reportatis. Ideo plures Scotistæ his textibus ad litteram inhærentes, contrariam nobis partem sustinent, & non improbabiliter de mente Doctoris. Licèt illi primi explicent hos textus de certis casibus, in quibus pęnitens cogeretur ex necessitate, vel ex urgentissima ratione non acceptare ullam pęnam à Sacerdote, *sed vellet se subdere manui Dei vel hic, vel in Purgatorio*, ut loquitur Doctor; & aliunde immineret periculum desperationis, & damnationis, quod existimo verum esse; ideo dicebam supra, quod pęnitens non potest recusare sine causa omnem pęnam à Sacerdote impositam, vel imponendam.

Prob. 1. Si esset liberum pęnitenti acceptare pęnitentiam à Sacerdote taxandam, quantumvis possibilem, frustra hic haberet potestatem ligandi: nam ejus exercitium posset frustrari à pęnitentibus, qui nollent ligari: sed consequens est absurdum; ergo &c.

Confir. Nam Concilium frustra doceret, *debere Sacerdotes, quantùm spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pęnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere*, &c.

Nam

Nam iſti ab hoc onere levarentur per renitentiam pœnitentium, qui non ſolum leviores recuſarent acceptare pœnas, ſed abſolutè recuſarent omnes, ſibi reſervantes ſatisfacere in purgatorio. Quare etiam non liceret Sacerdotibus alios remittere ad ſatisfaciendum in eodem purgatorio? Et ſic levarentur confeſſarii ab onere iſto, quod meo judicio graviſſimum eſt: graviſſima eſt anxietas taxandi juſtas pœnas. Si vero liberum eſſet pœnitentibus eas acceptare, ita & confeſſariis eas imponere, & ſic remitterent hoc ſibi periculoſum negotium juſtitiæ Dei, cui medium illud notiſſimum eſt, nec poteſt falli.

Prob. 2. quia qui abſolutè nollet ſubjici judicio Sacerdotis quoad illas pœnas, non oſtenderet ſe habere *cor contritum, et humiliatum*, ſed potius durum, & exaltatum; ergo non videretur diſpoſitus ad beneficium abſolutionis.

Confirm. nam pœnitentem nolle acceptare ſatisfactiones ullas imponendas, ſi illæ ſint poſſibiles moraliter, eſt nolle media, quibus retrahatur à peccatis, nec remedia, quibus levetur à morbis animæ ex peccato contractis, & tollantur occaſiones peccandi: nam ex Conciliis, & Patribus eò tendunt pœnitentiæ, quæ à Sacerdote imponuntur: nam inquit Concilium, *Pœnæ illæ magnopere à peccato revocant, et quaſi fræno coercent ..... cautioreſque, et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt*, &c. ergo talis non videtur abſolvendus, quia non apparet verè pœnitens, nec diſpoſitus ad ſacramentum dignè, & validè recipiendum.

Dixi autem, *ſi adſit potentia ex parte pœnitentis* ad pœnam taxatam implendam: nam ſi adſit impoſſibilitas phyſica, aut moralis, ſeu ratio valdè urgens, poſſet abſolvi, non acceptando pœnitentiam; ſed hic caſus eſt ferè metaphyſicus extra caſum morbi præcludentis uſum omnem ſenſuum, vel in amentiam pellentis.

Dixi 2. *aliquam*, ita ut ſi omnem prorſus, & abſolutè, & collectivè recuſaret, non eſſet abſolvendus, ſed ſi aliquam tantùm in particulari, aut in ſpecie, petens ſibi aliam præcipi, omnes fatentur confeſſarium id poſſe concedere, imò & crederem id debere. Pœnitens verò abſolutè, & ſimpliciter debet aliquam acceptare, quam poſſit implere ſine gravi inconvenienti, in-

incommodo, vel scandalo, vel detrimento famæ, aut alio periculo.

Objic. 1. citatus textus Doctoris, in quibus fundantur adversarii Scotistæ; sed jam occurrimus dicendo Scotum ita loqui, quando ex parte pœnitentis adest aliqua urgens ratio, seu causa non acceptandi pœnam ullam; v.g. si Sacerdos videret eum in periculo desperationis, aut damnationis, alioqui tenetur hic acceptare, & Sacerdos imponere. Sic interpretantur Scotum præfati Scotistæ, maximè Hiquæus.

Inst. Scotus in casu, [1] quo pœnitens *nullam sibi oblatam pœnitentiam vellet accipere à Sacerdote, tamen duas idoneitates, vel conditiones haberet præpositas*, (sc. displicentiam peccati, & propositum abstinendi à peccato) *et propositum recipiendi pęnam infligendam à Deo hic, vel in purgatorio: talis inquam citiùs est absolvendus, quam repellendus*; ergo ex Scoto nulla deesset dispositio ad sacramentum absolutionis.

Resp. dist. ant. Si non vellet rationabiliter, conc. si absolutè, & sine urgenti causa, neg ant. *non enim haberet verum propositum obediendi Ecclesiæ in satisfactionem pro peccato*, ut ipse loquitur, & hoc propositum tam necessarium est, quàm illæ duæ conditiones.

Objic. 2. Quamvis pœnitens recusaret accep[illegible] mnem pœnam, adhuc agnosceret in Sacerdo[illegible] potestatem ligandi; ergo non derogaret [illegible] to; ergo posset absolvi. Prob. ant. nam [illegible] dos ligaret eum ad satisfaciendum in [illegible] go &c.

Resp. neg. ant. & [illegible] stitutione di[illegible] ius, ad qua[illegible] næ pur[illegible]

Ob[illegible] na[illegible]

[illegible] uas [illegible] ilum, [illegible]

Resp.

Resp.2.neg.conf. nam satisfactio est quædam pars sacramenti, & non est liberum pœnitenti, nec Sacerdoti eam detruncare.

Inst. Extra sacramentum potest homo nolle satisfacere in hac vita, ergo & id potest velle in sacramento.

Resp.neg.conf. ob rationem allatam, quia scil. supposita natura hujus sacramenti, prout institutum est, non licet illud detruncare.

Inst.2. Pœnitens habet duos illos modos satisfaciendi; ergo potest eligere alterutrum, scil. vel satisfacere per pœnas hujus vitæ sibi impositas, vel in purgatorio.

Resp.dist.ant. Habet duos modos illos præcisè à sacramento, conc. supposito usu sacramenti, neg. ant. Quilibet extra sacramentum potest sic eligere, sed in usu sacramenti minimè, debet enim uti beneficio ejus, subeundo pœnas impositas tum in satisfactionem pro præteritis, tum in cautelam, & remedium pro futuris, & submittere se legibus Christi, & Ecclesiæ.

Objic.4. Tribunal, & judicium sacramentale est voluntarium, ad quod homo non trahitur, nisi volens; ergo potest sumi pro remissione solius culpæ, ac pœnæ æternæ, [illegible] pro satisfactione pœnæ temporalis.

Resp [illegible] Non enim est in libertate truncare [illegible] i, si velit eo uti; truncaret autem [illegible] pœnas imponendas pro satisfactione, [illegible] non se subjiceret potestati ligandi, [illegible] est, pœnæ [illegible] vitæ non sunt de [illegible] cerdotis.

[illegible] reus [illegible] are ab inferiori ad [illegible] ergo p[illegible] non acceptare pœ[illegible] Sacerd[illegible] pellationis ad De[illegible] m su[illegible]

[illegible] g.con[illegible] ant. Nam in hoc sa[illegible] Tril[illegible] supremum; quidquid [illegible] ur, [illegible] olutum, & ligatum in [illegible] ter[illegible] immidiate judicium: si ac[illegible] sol[illegible] ceptare ligamen, nec pot[illegible] pe[illegible] io.

[illegible] ast [illegible] netur acceptare penam con[illegible] gn[illegible] atam; ergo nec leviorem, aut [illegible] Sacerdote taxatam.

Prob.

Prob.conf. Sacerdos non habet majorem potestatem pro minoribus pęnis taxandis ex arbitrio suo, quàm pro imponendis taxatas ab Ecclesia; ergo si non potest obligare ad istas, ita nec ad illas.

Resp.dist.1.ant. Si adsit ratio non acceptandi, conc. si non adsit, neg.ant. nam tunc debet uterque obedire Ecclesiæ, Sacerdos imponendo, & pœnitens exequendo pœnas illas.

Respond.2.neg.conseq. & antec. prob. nam in casu, quo pœnitens non teneretur acceptare condignas, Deus, & Ecclesia volunt eum subjici quoad minores, quas in illo eodem casu relinquunt arbitrio Sacerdotis.

Objic. Si quid urgeret pœnitentem ad acceptandam aliquam pœnam, maximè integritas Sacramenti; sed hæc ratio nulla est; ergo non tenetur. Maj. patet ex responsis nostris. Prob.min. nam cùm imponitur pœnitentia, sacramentum jam perfectum est; potest enim imponi post absolutionem per nos; sed post absolutionem, & per illam perfectum est sacramentum; ergo &c

Respon.neg.min. & dist.2. maj. Cùm imponitur de facto, & in re, conc. cùm adest in voto pœnitentis, & intentione Sacerdotis, neg. maj. & conf. Nisi enim sic adesset impositio, & acceptatio, non valeret sacramentum.

CONCLUSIO III.

POEnitens debet implere pœnam impositam, & hoc sub mortali, nisi impotentia moralis excuset. Est communis.

Prob.1.ex Scoto. [1] *Nunquid pœnam à clave non errante impositam tenetur pęnitens adimplere?* Respon. *quod sic, si velit se submittere Sacerdoti huic & quantum ad absolutionem culpæ, & quantum ad susceptionem pęnæ totalis*, &c.

Prob.2.ex Concil.Lateran. cap.*Omnis utriusque*, ubi eodem modo præcipitur confessio annua, & pœnitentiæ injunctæ adimpletio.

Prob.3. nam frustra deberet Sacerdos imponere, & pœnitens acceptare pœnas ullas, nisi iste deberet imple-

[1] *d.19.d.27.q.2.*

plere, & frustra in Sacerdote esset potestas sic ligandi; ergo &c.

Prob.2.p. nam pęnitentiam sic impositam, & acceptatam in sacramento non implere est injuria, & contemptus sacramenti; sed talis contemptus est peccatum mortale; ergo & omissio pœnitentiæ.

Confir. Sacerdos omittens voluntariè,& sine gravi ratione pęnam imponere, peccat graviter; ergo à fortiori pœnitens, si omittit implere, quia tam iste,quàm ille truncat sacramentum, & facit injuriam ipsi Christo, cujus vices gerit Sacerdos, dum hujus mandatum transgreditur.

Prob.3.p. nam Deus impossibilia non jubet; ergo si adsit, vel superveniat impotentia moralis implendi pęnitentiam, Deus hoc ab homine non exigit, nec si adsit ratio gravis eam non acceptandi, vel implendi.

Objic. Si pęnitens confitetur sola venialia,vel mortalia jam aliàs confessa, & remissa, & per pœnitentiam expiata, non tenetur pęnitentiam hìc taxatam acceptare, vel implere, sicut nec confiteri; ergo tunc non peccabit omittendo pęnitentiam, vel non acceptando.

Resp.1. in eo casu conc. totum: nam conclusio procedit de mortalibus non remissis.

Resp.2.neg.cons. nam supposito, quod illa peccata subjicias sacramento confessionis, debes illi omnem reverentiam, & teneris illud non truncare, nec facere mutilum.

Igitur in hoc non attenditur levitas materiæ pro gravitate peccati, sed conditio, & sanctitas sacramenti, cujus injuria, & contemptus est semper grave peccatum, læditur autem in sua integritate, dum respuitur, vel omittitur pars notabilis materialis ejus, qualis est satisfactio.

QUÆSTIO VI.

In qua resolvuntur quædam dubia circa executionem satisfactionis.

PLura possūt dubia proponi circa satisfactionis impletionem,quorū aliqua hìc subjiciemus breviter.

CON-

CONCLUSIO I.

Nullus pœnitens propria auctoritate potest impositam, & acceptatam pœnitentiam sacramentalem commutare. Est communis.

Prob.1.ex Scoto cit. [1] Docet enim, quòd *clave non errante, pœnam impositam debet adimplere* (pęnitens) *quia tunc obligatur precepto Ecclesiæ, cui se voluntariè submisit*. Imò & ex jure Divino, ut puto, quia Deus taliter instituit hoc sacramentum, & in hunc finem dedit Ecclesiæ claves, & potestatem ligandi, & solvendi.

Prob.2.ex Script. nam quodcumque Sacerdos ligaverit super terram, erit ligatum & in cęlis apud Deum; sed quod ligatum est apud Deum per Sacerdotem, non potest solvi, aut mutari à peccatore; ergo hic non potest mutare pęnam sibi à Sacerdote impositam.

Prob.3. Subditus non potest mutare sententiam, nec præcepta superioris, nequidem in melius, v.gr. si Papa præcipit jejunium pro indulgentia lucranda, subditus nequit sine licentia ejusdem facere eleemosynam, aut aliud opus, etiam altioris virtutis; idem est de reo post sententiam judicis; sed pęnitens per sacramentum fit subditus confessarii sui; ergo propria auctoritate non potest mutare opus sibi pro pęnitentia sacramentali præceptum.

Confir. quia hoc opus taxatum est virtute clavium; & sacramenti; ergo non potest mutari ab alio, vel non erit pęnitentia sacramentalis.

Objic.1. Qui vovit aliquod opus, potest illud commutare in melius; ergo idem est de pęnitentia sacramentali, scilicet poterit mutari in melius ab ipso pęnitente.

Resp.neg.conseq. nam votum totaliter pendet à vovente, ideo nihil prohibet opus promissum mutare in melius: pęnitentia verò sacramentalis pendet à sacramento, & ministro Christi.

Objic.2. Qui dat majorem summam, quàm ablatum valeat, plenè satisfacit; ergo & qui facit opus majoris valoris, quàm quod præcipitur, plenius satisfacit. Resp.

[1] *ibid.*

Resp. neg. conseq. nam in restitutione non taxatur materia, aut species, per quam fit læsio ejus; sed in sacramento determinatur opus, & maximè, quia species operis habet proportionem quandam ad peccatum.

Objic.3. In satisfactione pęnitens potest interpretari voluntatem Sacerdotis,& si interpretetur in melius, non facit illi injuriam; ergo licitè facit.

Resp.neg.ant. nam in hoc negotio non valet interpretatio, requiritur exacta, & præcisa obedientia,nec semper valet interpretatio in aliis præceptis Ecclesiæ, v.gr. qui jussus jeiunare dat eleemosynam, non facit præceptum.

CONCLUSIO II.

P*Oenitentia sacramentalis imposita non valet, si per alium impleatur.*

Dico *sacramentalem*: nam de aliis satisfactionibus non loquimur.

Prob.1. ex Conc.Trid. in quo tres isti actus, contritio, confessio, & satisfactio dicuntur *actus pęnitentis*; ergo fieri debent ab ipso, & per se, non per alium, ut sint sacramentales.

Prob.2. nam ut homo sit verè pęnitens, debet seipsum punire, & non alios; sed satisfactio est pars pęnæ, à qua homo dicitur pęnitens, & tenens pęnam; ergo per seipsum debet eam facere.

Prob.3. nam satisfactio ista instituta est ad reparandam offensam Dei, & simul in emendationem peccati præteriti,& ad præservationem à futuris; sed hæc ad hos fines non prosunt aliis, quàm ipsi peccatori operanti; ergo &c.

Prob.4.denique:nam si possemus substituere alium pro hac satisfactione, id fieret propria auctoritate, vel Sacerdotis; sed neutrum dici potest; ergo &c. Prob min.1.non propria,quia, ut dictum est, non potest eam immutare, & imposita est ut per ipsummet implenda. 2. non Sacerdotis, quia auctoritas ejus non fit ultra forum sacramentale, cui non subest alius, quàm ipse pęnitens, ut possit ab eo ligari; ergo &c.

Objic.1. Unus potest satisfacere pro alio, etiam pro de-

defunctis in pœnis temporalibus; ergo & pro pœnitente, & pœnis sacramentalibus à Sacerdote impositis.

Resp.neg.conf. & disparitas petitur ex natura sacramenti, in quo tota res agitur personaliter inter pœnitentem, & Sacerdotem, & sicut non potest conteri, nec confiteri, nec absolvi per alium, ita nec satisfacere. Item quia pœnæ istæ sunt medicinales, æger autem non sanatur per medicinam ab aliis haustam.

Objic.2. Quando alius jejunat pro pœnitente, v. gr. ex hujus commissione jejunium fit opus committentis; ergo hic propriè satisfacit.

Resp.neg.antec. Commissio est quidem actus pœnitentis, sed jejunium illud est opus innocentis; & licèt fortè ex applicatione jejunantis posset meritum jejunii prodesse mandanti, non tamen valor sacramenti ex opere operato, nec satisfactoriè.

Objic.3. Sacerdotes sæpè præcipiunt pœnitenti, ut procuret per eleemosynas fieri preces ab aliis, v.g. celebrari missas, &c. ergo ex praxi Ecclesiæ satisfacere possumus per opera aliena.

Resp.neg.conf. nam tunc opus satisfactorium est illa procuratio, & eleemosyna, non autem missæ, vel orationes ab aliis factæ.

Quæres, *An obligatio exequendi pœnitentiam impositam remittatur per indulgentias, per quas solent remitti pœnæ temporales peccatorum.*

Resp. probabiliùs negativè; quia, ut dictum est, sic frustraretur intentio Ecclesiæ in illorum operum taxatione, in qua intendit punitionem, correctionem, emendationem, & præservationem à peccatis, quæ non habentur per indulgentias, sed per illas relaxantur pœnæ purgatorii, non autem medicinales, & præservativæ. Frustraretur sollicitudo Ecclesiæ pro impositione satisfactionum congruarum secundum naturam, & qualitatem culparum.

CONCLUSIO III.

Satisfactio in una confessione imposita potest commutari ab eodem confessario, vel etiam ab alio ex rationabili causa. Est etiam communis.

Dico, *ex rationabili causa*, ver. gr. quia prior ei fit difficillima, vel impossibilis, aut quia alia erit saluta-

tarior, & utilior ad finem emendationis, &c. Nam sine ulla ratione temerè ageret commutando. Hoc supposito

Prob. 1. p. de eodem confessario, 1. quia sic nulla fit injuria sacramento, sed magis providetur ejus integritati, & efficaciæ, dum mutatur satisfactio in opus melius, vel facilius, vel utilius ad finem ejus; ergo &c. Prob. ant. Nam si opus sit melius, majorem gratiam conferet, si facilius, integritas ejus erit securior: nam pœnitens non potuisset, aut noluisset implere.

Confir. quia in hoc nullum est inconveniens, nec ratione sacramenti, nec pœnitentis, nec confessarii; imò pluribus inconvenientibus occurritur.

Prob. 2. p. nam quilibet peccator potest sacerdoti, etiam alteri à primo, peccata sua jam confessa confiteri, & iste potest de illis judicare, solvere, & ligare pœnitentem æquè, ac primus; ergo & pro illis imponere congruam satisfactionem; ergo pœnitens poterit eligere secundam pœnitentiam, relicta priori: non enim tenetur pro eodem peccato duas subire. Prob. antec. Nam potestas clavium datur sacerdoti in favorem pœnitentis, iste, si velit, potest sæpius de eadem rejudicari à diversis, vel ab eodem, & stare judicio favorabiliori.

Prob. 2. nam secundus confessarius etiam æqualis non habet minorem potestatem in hoc tribunali, quàm primus; sed primus poterat mutare pœnam per se impositam ex causa; ergo & secundus. Prob. min. ex praxi: nam quando pœnitens adit confessarium exponens ei difficultatem explendi pœnitentiam ab eo sibi taxatam, iste potest, & debet eam commutare, prout ratio dictabit, & si hoc potest æqualis, à fortiori hoc poterit superior.

Objic. 1. In civilibus judex unus non potest mutare sententiam alterius, nisi sit superior, & hoc per viam recursus, quia *par in parem non habet imperium*, quod non habet locum in hoc tribunali; ergo unus confessarius non potest mutare pœnam ab alio taxatam per judicium sacramentale.

Resp. neg. conf. nam in hoc casu secundus non exercet imperium, nec potestatem in primum, sed exercet suam supra pœnitentem, & materiam sibi appositam,

CONCLUSIO II.

Pœnitens debet aliquam satisfactionem datam à Sacerdote, aut dandam acceptare, & impositam implere, si adsit potentia alioqui non est absolvendus. Est contra prædictos Scotistas, & pro nobis stant Cardin. Brancatus, Mastrius, & Hiquæus cum Scoto.

De mente Scoti non convenit inter nostros: Tres Scotistæ prædicti dicunt, quod *si putaret pœnitentem posse simpliciter, & absolutè nullam pœnam acceptare, non ita sollicitus esset monere Sacerdotem, ut in ea imponenda studeat se accommodare infirmitati, ut talem imponat, qualem noverit eum facturum. Nec diceret satisfactionem in re, vel in voto esse necessariam, ut hoc sacramentum dignè suscipiatur*, & *ut habeat efficaciam*. Sed alibi videtur expressis verbis scribere, quod *si pœnitens omninò nullam pœnitentiam vult recipere à Sacerdote impositam, dicit tamen se habere displicentiam de peccato, & firmum propositum non recidivandi, absolvendus, & non est respuendus, ne incidat in desperationem*, &c. Quod repetit pluribi, etiam in Reportatis. Ideo plures Scotistæ his textibus ad litteram inhærentes, contrariam nobis partem sustinent, & non improbabiliter de mente Doctoris. Licèt illi primi explicent hos textus de certis casibus, in quibus pœnitens cogeretur ex necessitate, vel ex urgentissima ratione non acceptare ullam pœnam à Sacerdote, *sed vellet se subdere manui Dei vel hic, vel in Purgatorio*, ut loquitur Doctor; & aliunde immineret periculum desperationis, & damnationis, quod existimo verum esse; ideo dicebam supra, quod pœnitens non potest recusare sine causa omnem pœnam à Sacerdote impositam, vel imponendam.

Prob. I. Si esset liberum pœnitenti acceptare pœnitentiam à Sacerdote taxandam, quantumvis possibilem, frustra hic haberet potestatem ligandi: nam ejus exercitium posset frustrari à pœnitentibus, qui nollent ligari: sed consequens est absurdum; ergo &c.

Confir. Nam Concilium frustra doceret, *debere Sacerdotes, quantùm spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere*, &c.

Nam

Nam isti ab hoc onere levarentur per renitentiam pœnitentium, qui non solum leviores recusarent acceptare pœnas, sed absolutè recusarent omnes, sibi reservantes satisfacere in purgatorio. Quare etiam non liceret Sacerdotibus alios remittere ad satisfaciendum in eodem purgatorio? Et sic levarentur confessarii ab onere isto, quod meo judicio gravissimum est: gravissima est anxietas taxandi justas pœnas. Si verò liberum esset pœnitentibus eas acceptare, ita & confessariis eas imponere, & sic remitterent hoc sibi periculosum negotium justitiæ Dei, cui medium illud notissimum est, nec potest falli.

Prob. 2. quia qui absolutè nollet subjici judicio Sacerdotis quoad illas pœnas, non ostenderet se habere *cor contritum, et humiliatum*, sed potius durum, & exaltatum; ergo non videretur dispositus ad beneficium absolutionis.

Confirm. nam pœnitentem nolle acceptare satisfactiones ullas imponendas, si illæ sint possibiles moraliter, est nolle media, quibus retrahatur à peccatis, nec remedia, quibus levetur à morbis animæ ex peccato contractis, & tollantur occasiones peccandi: nam ex Conciliis, & Patribus eò tendunt pœnitentiæ, quæ à Sacerdote imponuntur: nam inquit Concilium, *Pœnæ illæ magnopere à peccato revocant, et quasi fræno coercent ..... cautioresque, et vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt*, &c. ergo talis non videtur absolvendus, quia non apparet verè pœnitens, nec dispositus ad sacramentum dignè, & validè recipiendum.

Dixi autem, *si adsit potentia ex parte pœnitentis* ad pœnam taxatam implendam: nam si adsit impossibilitas physica, aut moralis, seu ratio valdè urgens, posset absolvi, non acceptando pœnitentiam; sed hic casus est ferè metaphysicus extra casum morbi præcludentis usum omnem sensuum, vel in amentiam pellentis.

Dixi 2. *aliquam*, ita ut si omnem prorsus, & absolutè, & collectivè recusaret, non esset absolvendus, sed si aliquam tantùm in particulari, aut in specie, petens sibi aliam præcipi, omnes fatentur confessarium id posse concedere, imò & crederem id debere. Pœnitens verò absolutè, & simpliciter debet aliquam acceptare, quam possit implere sine gravi inconvenienti,

in-

incommodo, vel scandalo, vel detrimento famæ, aut alio periculo.

Objic. 1. citatus textus Doctoris, in quibus fundantur adversarii Scotistæ; sed jam occurrimus dicendo Scotum ita loqui, quando ex parte pœnitentis adest aliqua urgens ratio, seu causa non acceptandi pœnam ullam; v.g. si Sacerdos videret eum in periculo desperationis, aut damnationis, alioqui tenetur hic acceptare, & Sacerdos imponere. Sic interpretantur Scotum præfati Scotistæ, maximè Hiquæus.

Inst. Scotus in casu, [1] quo pœnitens *nullam sibi oblatam pœnitentiam vellet accipere à Sacerdote, tamen duas idoneitates, vel conditiones haberet præpositas*, (sc. displicentiam peccati, & propositum abstinendi à peccato*) et propositum recipiendi pœnam infligendam à Deo hic, vel in purgatorio: talis inquam citiùs est absolvendus, quam repellendus*; ergo ex Scoto nulla deesset dispositio ad sacramentum absolutionis.

Resp. dist. ant. Si non vellet rationabiliter, conc. si absolutè, & sine urgenti causa, neg ant. *non enim haberet verum propositum obediendi Ecclesiæ in satisfactionem pro peccato*, ut ipse loquitur, & hoc propositum tam necessarium est, quàm illæ duæ conditiones.

Objic. 2. Quamvis pœnitens recusaret acceptare omnem pœnam, adhuc agnosceret in Sacerdote veram potestatem ligandi; ergo non derogaret sacramento; ergo posset absolvi. Prob. ant. nam tunc Sacerdos ligaret eum ad satisfaciendum in purgatorio; ergo &c.

Resp. neg. ant. & 2. cons. nam potestas ligandi ex institutione divina respicit statum hujus vitæ, non alterius, ad quam non attingit jurisdictio Sacerdotis, & pœnæ purgatorii non sunt proprè satisfactoriæ.

Objic. 3. Satisfactio imponitur ad redimendas pœnas purgatorii; ergo liberum est tam pœnitenti, quàm Sacerdoti nolle eas redimere, sed velle per eas satisfacere Deo: nam sic nemini fit injuria.

Resp. dist. ant. Partialiter ad redimendas, conc. unicè, & totaliter, neg. ant. nam patet ex dictis, pœnas imponi etiam ob alia motiva, maximè in remedium, & præservationem pro futuro.

Resp.

[1] *d. 29 n. 8. et 85. d. 17. q. 22.*

Resp.2.neg.conf. nam satisfactio est quædam pars sacramenti, & non est liberum pœnitenti, nec Sacerdoti eam detruncare.

Inst. Extra sacramentum potest homo nolle satisfacere in hac vita, ergo & id potest velle in sacramento.

Resp.neg.conf. ob rationem allatam, quia scil. supposita natura hujus sacramenti, prout institutum est, non licet illud detruncare.

Inst.2.Pœnitens habet duos illos modos satisfaciendi; ergo potest eligere alterutrum, scil. vel satisfacere per pœnas hujus vitæ sibi impositas, vel in purgatorio.

Resp.dist.ant. Habet duos modos illos præcisè à sacramento, conc. supposito usu sacramenti, neg. ant. Quilibet extra sacramentum potest sic eligere, sed in usu sacramenti minimè, debet enim uti beneficio ejus, subeundo pœnas impositas tum in satisfactionem pro præteritis, tum in cautelam, & remedium pro futuris, & submittere se legibus Christi, & Ecclesiæ.

Objic.4. Tribunal, & judicium sacramentale est voluntarium, ad quod homo non trahitur, nisi volens; ergo potest sumi pro remissione solius culpæ, ac pœnæ æternæ, & non pro satisfactione pœnæ temporalis.

Resp.neg.conf. Non enim est in libertate truncare partem sacramenti, si velit eo uti; truncaret autem illud recusando pœnas imponendas pro satisfactione, & remedio, & non se subjiceret potestati ligandi, quia, ut dictum est, pœnæ alterius vitæ non sunt de jurisdictione Sacerdotis.

Inst. In judiciis reus potest appellare ab inferiori ad superiorem; ergo pœnitens posset non acceptare pœnas taxatas à Sacerdote per viam appellationis ad Deum ut judicem supremum.

Resp. neg.conf. & suppositum ant. Nam in hoc sacramento Tribunal Ecclesiæ est supremum: quidquid ibi solvitur, aut ligatur, est solutum, & ligatum in cœlis. Item non potest reus dimidiare judicium: si acceptat solutionem, debet acceptare ligamen, nec potest appellare ab uno sine alio.

Inst.2. Pœnitens non tenetur acceptare pœnam condignam per canones taxatam; ergo nec leviorem, aut aliam quamcumque à Sacerdote taxatam.

Prob.

Prob.conf. Sacerdos non habet majorem potestatem pro minoribus pęnis taxandis ex arbitrio suo, quàm pro imponendis taxatas ab Ecclesia; ergo si non potest obligare ad istas, ita nec ad illas.

Resp.dist.1.ant. Si adsit ratio non acceptandi, conc. si non adsit, neg.ant. nam tunc debet uterque obedire Ecclesiæ, Sacerdos imponendo, & pœnitens exequendo pœnas illas.

Respond.2.neg.conseq. & antec. prob. nam in casu, quo pœnitens non teneretur acceptare condignas, Deus, & Ecclesia volunt eum subjici quoad minores, quas in illo eodem casu relinquunt arbitrio Sacerdotis.

Objic. Si quid urgeret pœnitentem ad acceptandam aliquam pœnam, maximè integritas Sacramenti; sed hæc ratio nulla est; ergo non tenetur. Maj. patet ex responsis nostris. Prob.min. nam cùm imponitur pœnitentia, sacramentum jam perfectum est; potest enim imponi post absolutionem per nos; sed post absolutionem, & per illam perfectum est sacramentum; ergo &c

Respon.neg.min. & dist.2. maj. Cùm imponitur de facto, & in re, conc. cùm adest in voto pœnitentis, & intentione Sacerdotis, neg. maj. & conf. Nisi enim sic adesset impositio, & acceptatio, non valeret sacramentum.

CONCLUSIO III.

POEnitens *debet implere pœnam impositam, & hoc sub mortali, nisi impotentia moralis excuset*. Est communis.

Prob.1.ex Scoto. [1] *Nunquid pœnam à clave non errante impositam tenetur pęnitens adimplere?* Respon. *quod sic, si velit se submittere Sacerdoti huic & quantum ad absolutionem culpæ, & quantum ad susceptionem pęnæ totalis*, &c.

Prob.2.ex Concil.Lateran. cap.*Omnis utriusque*, ubi eodem modo præcipitur confessio annua, & pœnitentiæ injunctæ adimpletio.

Prob.3. nam frustra deberet Sacerdos imponere, & pœnitens acceptare pœnas ullas, nisi iste deberet imple-

[1] *d.19.d.27.q.2.*

plere, & frustra in Sacerdote esset potestas sic ligandi; ergo &c.

Prob.2.p. nam penitentiam sic impositam, & acceptatam in sacramento non implere est injuria, & contemptus sacramenti; sed talis contemptus est peccatum mortale; ergo & omissio pœnitentiæ.

Confir. Sacerdos omittens voluntariè,& sine gravi ratione penam imponere, peccat graviter; ergo à fortiori pœnitens, si omittit implere, quia tam iste,quàm ille truncat sacramentum, & facit injuriam ipsi Christo, cujus vices gerit Sacerdos, dum hujus mandatum transgreditur.

Prob.3.p. nam Deus impossibilia non jubet; ergo si adsit, vel superveniat impotentia moralis implendi penitentiam, Deus hoc ab homine non exigit, nec si adsit ratio gravis eam non acceptandi, vel implendi.

Objic. Si penitens confitetur sola venialia,vel mortalia jam aliàs confessa, & remissa, & per pœnitentiam expiata, non tenetur penitentiam hìc taxatam acceptare, vel implere, sicut nec confiteri; ergo tunc non peccabit omittendo penitentiam, vel non acceptando.

Resp.1. in eo casu conc.totum: nam conclusio procedit de mortalibus non remissis.

Resp.2.neg.cons. nam supposito, quod illa peccata subjicias sacramento confessionis, debes illi omnem reverentiam, & teneris illud non truncare, nec facere mutilum.

Igitur in hoc non attenditur levitas materiæ pro gravitate peccati, sed conditio, & sanctitas sacramenti, cujus injuria, & contemptus est semper grave peccatum, læditur autem in sua integritate, dum respuitur, vel omittitur pars notabilis materialis ejus, qualis est satisfactio.

QUÆSTIO VI.

In qua resolvuntur quædam dubia circa executionem satisfactionis.

PLura possũt dubia proponi circa satisfactionis impletionem,quorũ aliqua hìc subjiciemus breviter.

CON-

CONCLUSIO I.

Nullus pœnitens propria auctoritate potest impositam, & acceptatam pœnitentiam sacramentalem commutare. Est communis.

Prob.1.ex Scoto cit. [1] Docet enim, quòd *clave non errante, pœnam impositam debet adimplere* (pęnitens) *quia tunc obligatur præcepto Ecclesiæ, cui se voluntariè submisit*. Imò & ex jure Divino, ut puto, quia Deus taliter instituit hoc sacramentum, & in hunc finem dedit Ecclesiæ claves, & potestatem ligandi, & solvendi.

Prob.2.ex Script. nam quodcumque Sacerdos ligaverit super terram, erit ligatum & in cęlis apud Deum; sed quod ligatum est apud Deum per Sacerdotem, non potest solvi, aut mutari à peccatore; ergo hic non potest mutare pęnam sibi à Sacerdote impositam.

Prob.3. Subditus non potest mutare sententiam, nec præcepta superioris, ne quidem in melius, v.gr. si Papa præcipit jejunium pro indulgentia lucranda, subditus nequit sine licentia ejusdem facere eleemosynam, aut aliud opus, etiam altioris virtutis; idem est de reo post sententiam judicis; sed pęnitens per sacramentum fit subditus confessarii sui; ergo propria auctoritate non potest mutare opus sibi pro pęnitentia sacramentali præceptum.

Confir. quia hoc opus taxatum est virtute clavium, & sacramenti; ergo non potest mutari ab alio, vel non erit pęnitentia sacramentalis.

Objic.1. Qui vovit aliquod opus, potest illud commutare in melius; ergo idem est de pęnitentia sacramentali, scilicet poterit mutari in melius ab ipso pęnitente.

Resp.neg.conseq. nam votum totaliter pendet à vovente, ideo nihil prohibet opus promissum mutare in melius: pęnitentia verò sacramentalis pendet à sacramento, & ministro Christi.

Objic.2. Qui dat majorem summam, quàm ablatum valeat, plenè satisfacit; ergo & qui facit opus majoris valoris, quàm quod præcipitur, plenius satisfacit. Resp.

[1] *ibid.*

Resp. neg. conseq. nam in restitutione non taxatur materia, aut species, per quam fit læsio ejus; sed in sacramento determinatur opus, & maximè, quia species operis habet proportionem quandam ad peccatum.

Objic.3. In satisfactione pœnitens potest interpretari voluntatem Sacerdotis,& si interpretetur in melius, non facit illi injuriam; ergo licitè facit.

Resp.neg.ant. nam in hoc negotio non valet interpretatio, requiritur exacta, & præcisa obedientia,nec semper valet interpretatio in aliis præceptis Ecclesiæ, v.gr. qui jussus jeiunare dat eleemosynam, non facit præceptum.

CONCLUSIO II.

POEnitentia *sacramentalis imposita non valet, si per alium impleatur.*

Dico *sacramentalem*: nam de aliis satisfactionibus non loquimur.

Prob.1. ex Conc.Trid. in quo tres isti actus, contritio, confessio, & satisfactio dicuntur *actus pœnitentis*; ergo fieri debent ab ipso, & per se, non per alium, ut sint sacramentales.

Prob.2. nam ut homo sit verè pœnitens, debet seipsum punire, & non alios; sed satisfactio est pars pœnæ, à qua homo dicitur pœnitens, & tenens pœnam; ergo per seipsum debet eam facere.

Prob 3.nam satisfactio ista instituta est ad reparandam offensam Dei, & simul in emendationem peccati præteriti,& ad præservationem à futuris; sed hæc ad hos fines non prosunt aliis, quàm ipsi peccatori operanti; ergo &c.

Prob.4.denique:nam si possemus substituere alium pro hac satisfactione, id fieret propria auctoritate, vel Sacerdotis; sed neutrum dici potest; ergo &c. Prob min.1.non propria,quia, ut dictum est, non potest eam immutare, & imposita est ut per ipsummet implenda. 2. non Sacerdotis, quia auctoritas ejus non sit ultra forum sacramentale, cui non subest alius, quàm ipse pœnitens, ut possit ab eo ligari; ergo &c.

Objic.1. Unus potest satisfacere pro alio, etiam pro de-

defunctis in pęnis temporalibus; ergo & pro pęnitente, & pęnis sacramentalibus à Sacerdote impositis.

Resp.neg.conf. & disparitas petitur ex natura sacramenti, in quo tota res agitur personaliter inter pęnitentem, & Sacerdotem, & sicut non potest conteri, nec confiteri, nec absolvi per alium, ita nec satisfacere. Item quia pęnae istæ sunt medicinales, æger autem non sanatur per medicinam ab aliis haustam.

Objic.2. Quando alius jejunat pro pęnitente, v. gr. ex hujus commissione jejunium fit opus committentis; ergo hic propriè satisfacit.

Resp.neg.antec. Commissio est quidem actus pęnitentis, sed jejunium illud est opus innocentis; & licèt fortè ex applicatione jejunantis posset meritum jejunii prodesse mandanti, non tamen valor sacramenti ex opere operato, nec satisfactoriè.

Objic.3. Sacerdotes sæpè præcipiunt pęnitenti, ut procuret per eleemosynas fieri preces ab aliis, v.g. celebrari missas, &c. ergo ex praxi Ecclesiæ satisfacere possumus per opera aliena.

Resp.neg.conf. nam tunc opus satisfactorium est illa procuratio, & eleemosyna, non autem missæ, vel orationes ab aliis factæ.

Quæres, *An obligatio exequendi pęnitentiam impositam remittatur per indulgentias, per quas solent remitti pęnæ temporales peccatorum.*

Resp. probabiliùs negativè; quia, ut dictum est, sic frustraretur intentio Ecclesiæ in illorum operum taxatione, in qua intendit punitionem, correctionem, emendationem, & præservationem à peccatis, quæ non habentur per indulgentias, sed per illas relaxantur pęnæ purgatorii, non autem medicinales, & præservativæ. Frustraretur sollicitudo Ecclesiæ pro impositione satisfactionum congruarum secundum naturam, & qualitatem culparum.

CONCLUSIO III.

S*Atisfactio in una confessione imposita potest commutari ab eodem confessario, vel etiam ab alio ex rationabili causa*. Est etiam communis.

Dico, *ex rationabili causa*, ver. gr. quia prior ei fit difficillima, vel impossibilis, aut quia alia erit salu-

ta-

tarior, & utilior ad finem emendationis, &c. Nam sine ulla ratione temerè ageret commutando. Hoc supposito

Prob. 1. p. de eodem confessario, 1. quia sic nulla fit injuria sacramento, sed magis providetur ejus integritati, & efficaciæ, dum mutatur satisfactio in opus melius, vel facilius, vel utilius ad finem ejus; ergo &c. Prob. ant. Nam si opus sit melius, majorem gratiam conferet, si facilius, integritas ejus erit securior: nam pœnitens non potuisset, aut noluisset implere.

Confir. quia in hoc nullum est inconveniens, nec ratione sacramenti, nec pœnitentis, nec confessarii; imò pluribus inconvenientibus occurritur.

Prob. 2. p. nam quilibet peccator potest sacerdoti, etiam alteri à primo, peccata sua jam confessa confiteri, & iste potest de illis judicare, solvere, & ligare pœnitentem æquè, ac primus; ergo & pro illis imponere congruam satisfactionem; ergo pœnitens poterit eligere secundam pęnitentiam, relicta priori: non enim tenetur pro eodem peccato duas subire. Prob. antec. Nam potestas clavium datur sacerdoti in favorem pęnitentis, iste, si velit, potest sæpius de eadem rejudicari à diversis, vel ab eodem, & stare judicio favorabiliori.

Prob. 2. nam secundus confessarius etiam æqualis non habet minorem potestatem in hoc tribunali, quàm primus; sed primus poterat mutare pœnam per se impositam ex causa; ergo & secundus. Prob. min. ex praxi: nam quando pęnitens adit confessarium exponens ei difficultatem explendi pęnitentiam ab eo sibi taxatam, iste potest, & debet eam commutare, prout ratio dictabit, & si hoc potest æqualis, à fortiori hoc poterit superior.

Objic. 1. In civilibus judex unus non potest mutare sententiam alterius, nisi sit superior, & hoc per viam recursus, quia *par in parem non habet imperium*, quod non habet locum in hoc tribunali; ergo unus confessarius non potest mutare pęnam ab alio taxatam per judicium sacramentale.

Resp. neg. cons. nam in hoc casu secundus non exercet imperium, nec potestatem in primum, sed exercet suam supra pęnitentem, & materiam sibi appositam,

tam, de qua judicat secundum propriam prudentiam ex circumstantiis, & rationibus sibi à pęnitente propositis, & iste habet jus eligendi pęnam sibi magis convenientem.

Inst. Secundus non potest mutare pęnam illam sine injuria primi, quia irritat ejus sententiam; ergo ille exercet imperium in parem; ergo nulliter id facit.

Resp.neg.ant. Non enim irritat 1. judicium, sed novum pronuntiat, & 1. interpretatur secundum novas circumstantias, in quibus judicat primum non intendisse obligare ad executionem.

Objic.2. Si secundus posset mutare pęnam à 1. impositam, redderet mutilum præcedens sacramentum, quia careret hac parte materiæ suæ; sed hoc est absurdum, & inconveniens; ergo &c.

Resp.1. hoc nimis probare, 1. quia ne quidem Sacerdos superior posset mutare pęnam ab inferiore impositam; imò ne quidem ipsemet confessarius in secunda confessione, quod non admittent plures ex adversariis: nam etiam tunc prius sacramentum maneret mutilum. 2. quia plures adversarii tenent per indulgentias tolli, aut minui pęnas impositas, quod esset falsum.

Resp.2.neg.maj. nam semper manet integrum judicium quoad partes essentiales, licèt in executione aliquid mutetur.

Quæres, *Quid dicendum de pęnitentia data à superiore. An parochus v.g. possit mutare pænitentiam impositam ab Episcopo.*

Resp.affirmativè quoad peccata non reservata, & negativè quoad pęnitentiam pro reservatis.

Ratio 1.par. est, quia pro non reservatis æqualis est potestas Parochi, & Episcopi quoad hoc.

Ratio 2.par.est, quia sicut parochus non potest cognoscere, nec judicare de reservatis, ita nec pro illis pęnas imponere, vel taxare, mutando, vel minuendo.

Quæres 2. *An mutatio pænæ impositæ in una confessione debeat fieri in alia confessione pariter sacramentali, & ex cognitione ejusdem causæ, sc. peccatorum, pro quibus imposita est.*

Resp.affirmativè: nam taxatio hujus pęnæ est actus judicialis, & sacramentalis; ergo debet fieri in eodem tri-

tribunali, & simili judicio; ergo ex cognitione causæ, & in confessione sacramentali.

Alia dubia practica vide apud Casuistas.

QUÆSTIO VI.

De effectu satisfactionis sacramentalis.

QUia tenemus satisfactionem esse partem hujus sacramenti ex parte pęnitentis, videndum, an, & quomodo concurrat ad effectum ejus, an ad totum, qui est remissio peccatorum quoad culpam, & reatum pęnæ æternæ, an quoad partem, scilicet remissionem solius pęnæ temporalis, in quam commutatur reatus pęnæ æternæ. Quod operetur remissionem pęnæ alicujus temporalis, jam patet ex dictis. Restat videre, an concurrat ad remissionem culpæ, & infusionem gratiæ cum aliis partibus, & cum ipsa absolutione.

CONCLUSIO.

SAtisfactio sacramentalis influit in ipsam justificationem, seu in remissionem pœnæ æternæ, seu culpæ. Est communis.

Prob. 1. ex Scot. [1] *Sententiâ Sacerdotis sic absolvit, quòd tamen ligat; absolvit quidem à debito pęnę ęternę, sed ligat ad solutionem pęnæ temporalis;* ergo satisfactio sicut concurrit ad integritatem sacramenti, & sententiam, ita & ad totum effectum ejus. Quod etiam patet, quia dicit, quod satisfactio assumatur *ad placandam divinam offensam*. Hæc enim non placatur, nisi per remissionem culpæ, & infusionem gratiæ, & hunc effectum habet ex vi propositi, quod præcedit absolutionem: nam in executione sequitur ordinariè sacramentum.

Prob. 2. utraque pars ex Concilio Tridentino citato: [2] nam inter effectus satisfactionum dicit, quod *tres actus pęnitentis, nempe contritio, confessio, & satisfactio sunt quasi materia hujus sacramenti, quæ, quatenus in pęnitente ad integritatem sacramenti, &* ad

[1] *d.16.F.7.* [2] *sess.14.c.4.*

ad plenam, & perfectam remissionem peccatorum ex Dei institutione requiruntur: hac ratione dicuntur partes pœnitentiæ; ergo tam satisfactio, quàm contritio, & confessio confert ad integritatem, & per consequens ad effectum sacramenti; sed ad efficaciam hujus sacramenti pertinet reconciliatio cum Deo, seu gratiæ justificantis infusio; ergo &c.

Confir. ex eodem, [1] in quo definitur, quod *ad integram, & plenam remissionem peccatorum requiruntur in pœnitente tres actus, quasi materia sacramenti pœnitentiæ, scilicet contritio, &c. quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur;* ergo pars ista, sicut aliæ concurrit ad integritatem, & per consequens ad totam efficaciam sacramenti.

Prob. 3. nam, ut dicebamus, satisfactio est quædam pars sacramenti; ergo causat aliquem effectum ejus, scilicet remissionem pœnæ temporalis, vel æternæ. Prob. cons. nam vera pars compositi influit necessariò in effectum totius cum aliis partibus; ergo &c.

Confir. quoad gratiam: nam alioqui sæpius careret omni effectu; sed cons. est absurdum: nam frustra imponeretur, nec esset pars necessaria; ergo &c. Prob. maj. cùm absolvuntur moribundi, satisfactio nihil operaretur, quia ex adversariis satisfactio non operatur, nisi cùm ponitur in re; sed in istis non ponitur in re; ergo vel nihil operatur, vel operatur, prout est in voto morientis.

Dices, quod operatur quidem gratiam, si impletur ante absolutionem, non autem si impletur post absolutionem, quia tunc operatur tantùm remissionem pœnæ temporalis, quia tunc non adest sacramentum, quod jam habuit totum effectum quoad gratiam.

Contra 1. quia si impletur ante absolutionem, influit etiam in gratiam, quod sufficeret nobis. 2. licèt sæpe sacramentum, & absolutio causet primam gratiam, quia reperit causatam per contritionem, nō sequitur, quin absolutio habeat vim causandi eam: idem est de satisfactione, sc. habet de se vim influendi in gratiam illam, licèt aliquando non causet illam, quia reperit jam causatam per absolutionem, sed poterit causare augmentum ejus.

Objic.

[1] *can.* 4.

Objic.1. Non aliter satisfactio dicitur pars hujus sacramenti, quàm quia causat aliquam partem effectus ejus, scil.remissionem pœnæ temporalis; ergo nihil aliud causat. Prob.ant. nam sacramentum præcedit existentiam ejus; ergo non est pars ejus intrinseca, & integralis; ergo non causat effectum ejus, sc.gratiam.

Resp.neg.1.antec.& dist.2. Præcedit existentiam in executione,conc.in voto, neg.ant.& conf.nam sufficit, quod semper adest in voto ante absolutionem, ut influat moraliter cum illa, ut pars materialis ejus, deinde, ut dicebamus, potest etiam adesse in executione, quando datur absolutio; ergo & potest influere in totum effectum ejus.

Inst. Si satisfactio influeret in gratiam justificantem, hæc gratia non haberetur statim post absolutionem, quia causa illa non statim existit, nulla causa influit, antequam existat; sed conf.est falsum; ergo &c.

Respon.neg.maj.& dist. rationem ejus. Non existit semper in re,conc. semper in voto,neg. nam, ut causet moraliter, sufficit existentia voti,sicut & ipsum votum confessionis futuræ suo tempore concurrit ad gratiam in contritione; & sic de aliis causis moralibus.

Objic.2. Veræ partes sacramenti,ut cum illo influant in effectum ejus, debent esse sensibiles; sed satisfactio in voto non est sensibilis, ut operetur sensibiliter gratiam insensibilem; ergo &c. Prob. min. Votum enim satisfaciendi est actus purè internus.

Resp.neg. maj.absolutè: nam contritio de se est actus purè internus; idem est de voto confessionis in contritione, & fiunt sensibilia Sacerdoti per verba pœnitentis.

Objic.3. Votum satisfactionis non requiritur ad effectum hujus sacramenti quoad gratiam; ergo nullo modo in eam influit. Prob.ant. Nam ex Scoto,& aliis posset homo absolvi, nolens acceptare pœnam ullam sibi imponendam à Sacerdote; sed tunc non haberet satisfactionis votum; ergo &c.

Resp.1.neg. ant. & maj. Contrarium patet ex dictis, saltem in nostra sententia.

Resp.2.neg.idem ant.& min. quidquid sit de maj.nã ille pœnitens est paratus subire pœnas à Deo infligendas in hac, vel alia vita.

Objic.4. Ex sensu communi Conciliorum, & Theolo-

logorum, satisfactio imponitur propter pœnas remanentes solvendas post remissionem; ergo nihil confert ad gratiam.

Prob. ant. Conc. Trid. [1] docet, quòd *satisfactiones medentur peccatorum reliquiis*. Et quod *imponuntur etiam ad peccatorum vindictam, & castigationem*, &c. ergo Concilium docet efficaciam satisfactionis consistere in remissione talium pœnarum.

Resp. neg. utrumque ant. Agnoscit enim Concilium hanc efficaciam, sed non excludit ampliorem, maximè circa remissionem culpæ ex vi sacramenti.

Inst. Si hoc esset, pars ista esset efficacior cæteris, & plus operaretur: nam causaret gratiam cum aliis partibus, & præterea remitteret pœnas temporales, ad quod illæ non influunt; sed cons. est falsum: nam *contritio primum locum obtinet*, inquit Concilium; ergo &c.

Resp. neg. maj. nam 1. si satisfactio quoad hunc effectum specialem aliis partibus præemineat, aliæ per suos alios effectus suam habent præcellentiam, nec in hoc apparet inconveniens, & ideò negatur etiam min. 2. ipsa contritio, & confessio magnam partem ejusdem pœnæ remittunt, ut ex eodem Concilio patet. Imò sæpe tantus est contritionis fervor, ut totam pœnam deleat, ut docent Patres, & Theologi.

Igitur satisfactio suo modo influit in effectum principalem sacramenti, in remissionem culpæ, & infusionem gratiæ cum aliis actibus pœnitentis, qui de necessitate sacramenti requiruntur, & hoc ex opere operato ratione sacramenti, & ex opere operantis, prout cum majori fervore devotionis impletur.

Solent hìc agere quidam de pœnitentia publica; quæ olim in Ecclesia pro peccatis publicis fiebat, sed cùm hodie rarus sit ille usus, non immoramur in ejus tractatione.

DIS-

[1] *sess. 14. c. 8.*

DISPUTATIO VII.

De efficacia, & effectibus sacramenti pœnitentiæ, ac ejus necessitate.

JAM diximus de necessitate pœnitentiæ virtutis, nunc agimus de sacramento, de quo specialis potest esse ratio: nam si sufficeret illa virtus, inutile esset sacramentum, aut minus utile.

QUÆSTIO PRIMA.

An sacramentum pœnitentiæ deleat peccata quoad culpam, & pœnam æternam.

HUjus quæstionis resolutio patet ex dictis de vero sensu verborum formæ, *absolvo te à peccatis*: nam hoc ipso, quod probavimus illa hoc significare, *remitto tibi peccata tua*, satis liquet effectum hujus sacramenti primarium, & principalem esse remissionem peccatorum: nam sacramenta id operantur, quod significant. Deciditur etiam, cùm disputatur de clavibus Ecclesiæ, an attingant remissionem culpæ, & pœnæ æternæ.

CONCLUSIO.

EFfectus primarius, et principalis hujus sacramenti est remissio peccati quoad culpam, et pœnam æternam. Est contra eos, qui aliter explicant effectum istum, & contra Magistrum, qui, ut diximus aliàs, putat hoc sacramentum nihil aliud operari, quàm ostensionem remissionis obtentæ per contritionem.

Prob. I. ex Scoto. [1] *Concedo ista, quod sacramentum pœnitentiæ potest dignè suscipi ab attrito, et hoc tanta attritione, quæ non sufficeret per modum meriti ad justificationem suscipiendam in termino attritionis, et si non fictè suscipiatur, in termino recipitur prima gratia, quia à Deo confertur, et absolutio sacramentalis est signum efficax illius absolutionis sequentis in ultimo instanti*

P 2

[1] *d.19.q.2.A.32.*

stanti ipsius ... si dicas; ergo Sacerdos delet maculam, et pœnam mortis æternæ, quod est proprium Deo. Dico, quod utrumque facit. sed non facit, nisi instrumentaliter, &c. ergo ex Scoto sacramentum istud verè delet peccata quoad culpam, & pœnam æternam.

Prob. 2. ex Script. nam, ut dictum est, Christus instituit hoc sacramentum, cùm dedit Apostolis, & successoribus in Sacerdotio potestatem remittendi, & retinendi peccata, & solvendi, ac ligandi. *Quorum remiseritis peccata*, &c.

Prob. 3. ex Conc. Trid. [1] docente *hoc sacramentum institutum esse in remissionem peccatorum*; & cùm Christus dixit, *Quorum remiseritis*, &c. *Tam insigni facto, verbis tam perspicuis potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos ..... communicatam fuisse Apostolis, universorum Patrum consensus semper intellexit*. Et tandem definit, quod *Sacerdotis absolutio non est nudum ministerium annuntiandi Evangelium, & declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso judice profertur sententia*, &c. Denique dicit, quòd *res, & effectus hujus sacramenti quantum ad ejus vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo*. Sed hæc reconciliatio non fit, nisi per deletionem culpæ, & infusionem gratiæ; ergo &c.

Confir. ex Concil. Constantiensi contra Hussitas, & Florent. in Decreto Eugenii, & ex Decretis Pii V. Gregorii XIII. & Urbani VIII. quibus has propositiones Michaelis Baji damnarunt. [2] *In omnibus pœnitentibus ante sacramentum absolutionis, & catechumenis ante baptismum est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum*. Et, *In sacramento baptismi, & Sacerdotis absolutione, reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotis solum liberat à reatu pœnæ*. Item, *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed à solo Deo, qui pœnitentiam inspirans vivificat, & resuscitat*, &c. ergo Ecclesia censet hoc sacramentum operari ministerio sacerdotis remissionem peccatorum, & infusionem gratiæ vivificantis.

Prob. denique. Nisi hoc sacramentum deleret peccatum quoad culpam, & pœnam æternam, non dicere-

[1] *sess. 14. c. 1.* [2] *prop. 43. 57. & 58.*

retur *secunda post naufragium tabula*, quia non eriperet hominem à naufragio peccati, nec *baptismus laboriosus*, quia non ablueret maculam, & sordes peccati, nec *verum novæ legis sacramentum*, quia non causaret gratiam, nec *sacramentum mortuorum*, quia non vivificaret peccatorem per remissionem culpæ, & infusionem gratiæ sanctificantis; sed hæc omnia communiter dicuntur à Patribus, & Theologis de hoc Sacramento, ut patet ex dictis; ergo hæc verè præstat.

Objic.1.ex Script. *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus*? & S.Hieron. comparat Sacerdotes nostros Mosaicis, quibus jubebantur leprosi se ostendere; sed eos non faciebant mundos, vel immundos, sed tales esse declarabant; ergo in hoc sacramento sacerdotes nostri nec delent peccata, nec peccatores sanctificant, sed declarant peccata illis esse remissa: nam remissio soli Deo reservatur.

Resp.dist.ant. Non delent propria potestate, nec ut causæ principales, conc. non remittunt potestate divina, & ut causæ ministeriales, neg.ant. nam hoc habent supra Mosaicos, qui purè declarabant de leprosis, quinam mundi, vel immundi essent.

Objic.2. Nulla creatura habet potestatem super animas; ergo nullus homo potest delere peccata in animabus, quia sunt maculæ purè spirituales.

Resp.dist.ant. Potestatem physicam, & principalem, con. moralem, & ministerialem, neg.ant.& conf. nam sacramenta, nec Sacerdotes non agunt physicè, sed solùm moraliter, & ut causæ ministeriales in peccata, vel animas.

Objic.3.Sacerdos non magis potest solvere, quàm ligare: nam simul utramque potestatem accipit; sed non potest ligare ad pœnam æternam, nec facere peccatorem; ergo nec solvere ab illa pœna, nec facere justum.

Resp.neg. maj. nam dedit Christus Petro, & successoribus claves cœli, ut illud possint aperire, non autem claves inferni: ligamen illud respicit pœnas temporales, non autem æternas: ad illas ligant peccatores, quos ab istis absolvunt. Ratio autem hujus differentiæ alia non est, quàm voluntas Dei.

Objic.4. Nullibi constat in Scriptura de tali effectu; ergo gratis asseritur.

Resp.neg.ant. nam apertè satis colligitur ex verbis

Christi, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et, *Tibi dabo claves regni cœlorum*: nam illa remissio, & apertio regni cœlorum fiunt in hoc sacramento.

Objic. 5. ex Patribus, qui comparant pœnitentem peccatorem Lazaro, qui prius fuit resuscitatus à Christo, quàm jussus sic solvi ab Apostolis, *Ut quos Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat*, inquit S. Gregor. *Ecce* (Lazarum) *discipuli jam viventem solvunt, quem Magister jam suscitaverat mortuum. Ex qua consideratione intuendum est, quòd illos nos debemus per pastoralem auctoritatem solvere, quos Authorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare.* Et August. *Christus per se intus vivificat, ministris potestatem solvendi post vitam tribuit, qui nullum solvere possunt, nisi vivat.* Et alibi, *Viventes curare ministerio suo possunt Sacerdotes, non autem mortuos suscitare*; ergo per sacramentum absolutionis Sacerdotes non delent peccata, nec causant gratiam vivificantem, id per se facit solus Christus, sed æternè solutos ostendunt pœnitentes, postquam internè Deus illos vivificavit.

Resp. neg. conf. Nec enim id volunt SS. Patres, sed tantùm, quòd Christus Deus per se, & propria potestate vivificat, Sacerdotes verò ministerialiter, & sacramentum instrumentaliter: suscitatio verò illa, de qua loquitur S. Gregorius, intelligitur de vivificatione inchoata, quæ fit per gratias actuales, & excitantes, per quas pœnitentiam peccatoribus inspirat Deus, antequam perfectè vivificet per gratiam justificantem, quam illis ministerio Sacerdotis largitur. *Quæ vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa jam cognoscitur confessione peccati*, ait Gregor. *Quid est autem* (Lazarum, seu peccatorem) *foras prodire, nisi, quod occultum erat, foras prodere? Qui confitetur, foras prodit: foras prodire non posset, nisi viveret*, sc. inchoatè per motum confessionis, ait idem August.

CONCLUSIO II.

PER *sacramentum pœnitentiæ remittuntur etiam magna ex parte pœnæ temporales*. Est etiam communis.

Prob.

Prob.1. ex Scoto, [1] qui quærens, *An iterata confessio eorumdem peccatorum, vel clavium, plus, & plus de pœna remittat. Videtur probabile, quòd sic, quia ejusdem rationis est secunda cum prima; ergo potest eandem virtutem habere respectu alicujus partis pœnæ remittendæ, & per consequens per aliquot absolutiones finitas, cùm culpa illa habeat partitiones in partes finitas, posset totaliter remitti*, &c. ergo ex Scoto absolutio sacramentalis remittit de pœna temporali peccati.

Prob.2. ex Concil. Trid. [2] docente, quod opera satisfactoria pœnitentibus imponenda, aut per eos spontè facienda, remittunt de pœna peccati. *Non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto unà cum culpa remittitur, sed pro pœna temporali, quæ, ut sacræ litteræ docent, non semper tota, ut in baptismo, dimittitur*; ergo hoc sacramentum non semper remittit totam pœnam temporalem peccato debitam, benè verò aliquando, vel saltem aliquam ejus partem.

Prob.3. ex dictis: nam per clavium potestatem imponitur pœnitentibus satisfactio, per quam pœna temporalis remittitur, quæ alioqui remaneret in purgatorio solvenda, si ex inadvertentia Sacerdos non imponeret, aut ex impotentia pœnitens non impleret; ergo saltem mediante satisfactione sacramentali remittitur pœna temporalis; ideo dicitur *peccatorum vindicta, & castigatio*.

Objic.1. In sacramento sacerdos ligat ad pœnam temporalem; ergo sacramentum non tollit eam, alioqui ligaret, & solveret eodem actu, quod implicat. Prob. antec. per nos absolvit à pœna æterna, quàm mutat in temporalem, & pro ista imponit satisfactionem; ergo &c.

Resp. dist. ant. Ligat ad illam partem pœnæ temporalis, quam non solvit sacramentum, conc. ad totam pœnam temporalem, quæ pro peccatis debetur, neg. 1. ant. & 2. cons. Nisi enim per sacramentum dimitteretur magna pars hujus pœnæ, longè major restaret luenda per satisfactionem.

Inst. Si sacramentum remitteret de pœna temporali, posset totam remittere; sed cons. est falsum, & con-

[1] *ibid. q.30.* [2] *sess.6.c.14.*

contra nos: nam sic non esset necessaria impositio satisfactionis; ergo &c. Prob. maj. nam sicut potest remittere unam partem, ita & totam, juxta meliorem pœnitentis dispositionem.

Resp. neg. min. & rationem ejus: nam Concilii verba citata satis docent id posse contingere, nec tamen frustra imponitur satisfactio, tum quia est pars materialis sacramenti, cum quo influit, tum quia facit ad ampliorem gratiam, & remissionem.

Objic. 2. Quando impletur satisfactio, sacramentum non existit, nec fortè Sacerdos ipse; ergo non influunt in remissionem pœnæ temporalis.

Resp. dist. conf. Non influunt physicè, & per se immediatè, conc. moraliter, & mediante hac satisfactione sacramentali, neg. conf. nam satisfactio præcipitur, & impletur ex vi sacramenti, & præcepti sacerdotalis.

Resp. 2. dist. ant. Non existit, quando remittitur pars pœnæ, quæ respondet satisfactioni, & ista mediante, conc. pars, quæ respondet immediatè operi sacramentali, neg. ant. nam magna pars illius pœnæ remittitur intuitu sacramenti, ut dicebam.

Quæres, *Quid sit illa potestas clavium, de quibus toties fit mentio in hac materia.*

Resp. esse ipsam potestatem ligandi, & solvendi homines à peccatis, ut ingredi possint regnum cęlorum, juxta verba Christi ad Apostolum Petrum, quando illum destinavit Vicarium suum super Ecclesiam, ut caput ejus visibile, dicens, *Tibi dabo claves regni cęlorum*. Et, *quodcumque ligaveris*, &c. Inde sumpta est metaphora vocandi hanc potestatem, & jurisdictionem Ecclesiæ nomine *clavium*. Sed de hoc aliàs.

QUÆSTIO II.

De necessitate hujus sacramenti, an, & qualis sit.

RESolutio hujus quæstionis facilis est ex dictis de necessitate sacramentorum in communi, ac de necessitate virtutis pœnitentiæ, & de institutione ipsius sacramenti, & adhuc magis ex dictis de necessitate confessionis.

Non

Non loquemur de necessitate præcepti: nam de illa sufficienter diximus; ubi de necessitate confessionis sacramentalis.

Certum etiam est, quòd in statu innocentiæ non erat necessarium, quia in eo non fuit, nec futurum erat peccatum; imò nec in statu legis naturæ, aut scriptæ veteris, quia licèt in eis statibus fuisset maximæ utilitatis, tamen in neutro fuit institutum, nec in eis defuerunt alia media ad justificationem. Hoc privilegium reservabatur statui legis gratiæ fundatæ in meritis Christi, non amplius ut futuri, & prævisi, ut erant illa alia media pro illis prioribus statibus, sed Christi existentis, & meritis exhibitis, & effectivis. Igitur de hoc ultimo statu loquimur.

CONCLUSIO I.

IN lege Euangelica, & pro christianis adultis necessarium est sacramentum pœnitentiæ habentibus peccatum mortale post baptismum, & hoc necessitate medii, & præcepti divini. Est de fide.

Prob.1. ex Scoto: [1] *nam hoc sacramentum institutum est ut remedium efficax ad recuperandam primam gratiam ex illo verbo,* Quorum remiseritis peccata, &c. *Et sic concluditur necessitas præcepti confessionis ex isto verbo tantùm*, &c.

Prob.2. ex Conc. Trid. [2] *Est autem hoc sacramentum pœnitentiæ lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis .... ipse baptismus.* Sed baptismus est necessarius necessitate medii, & præcepti, in re, vel saltem in voto, ut dictum est; ergo &c. Item definit, *Hoc sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino nostro institutum*, &c. Idem colligitur ex sess.7. [3] ubi hoc docet de omnibus sacramentis.

Prob.3. Illud dicitur necessarium in re, vel in voto necessitate medii, sine quo non potest recuperari gratia, nec salus in hoc statu; sed lapsi post baptismum non possunt recuperare gratiam, nec salutem sine hoc sacramento in re, vel in voto; ergo &c.

Prob.min. Si post peccatum, & baptismum posset

[1] *d.17.G.* [2] *sess.14.c.2.* [3] *can.1.*

recuperari gratia per aliud medium, maximè per virtutem pœnitentiæ, seu per contritionem charitate perfectam; sed hæc non sufficit ad hoc sine voto sacramenti hujus; ergo &c. Prob. min. nam Concilium docet, [1] quod *etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu recipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in ea continetur, non esse adscribendam.*

Prob 4. ex Script. nam Christus in lege Euangelica non aliud docet medium ad remissionem peccatorum obtinendam, quàm recursum ad Apostolos, & Sacerdotes eorum successores, quibus dedit potestatem remittendi, & retinendi peccata, dicens, *Quorum remiseritis peccata*, &c. sed Sacerdotes non possunt uti hac potestate, nisi in hoc, & per hoc sacramentum, in quo recurritur ad eos, & ipsi audiunt, & cognoscunt de peccatis; ergo &c.

Prob. 2. p. de necessitate præcepti ex Doctore: [2] *Quicumque primam gratiam amisit, tenetur de necessitate præcepti, & hoc illius*, Diliges Dominum Deum tuum, &c. *tenetur inquam agere, inquantum in se est, ad ejus recuperationem, & etiam virtute illius præcepti*, Diliges teipsum. *Sed ipse peccator in peccato mortali amisit primam gratiam, & potest eam recuperare suscipiendo sacramentum .... sic concluditur necessitas præcepti confessionis non ex isto verbo tantùm*, Quorum remiseritis, *sed ex isto, & illo*, Diliges Dominum Deum tuum, &c. *simul juncto.*

Dixi autem 1. *in re, vel in voto:* nam si non possit recipi sacramentum in re, & effectivè, potest recuperari gratia per contritionem cum voto recipiendi sacramentum, quam primùm poterit recipi.

Dixi 2. *habens peccatum commissum post baptismum*, quia baptismus est janua sacramentorum, & peccata omnia, quæ illum præcedunt, remittuntur per illum, nec potest hoc aliter fieri. Inde est, quòd hoc non obligat, nisi adultos baptizatos, & utentes ratione, quia hi soli possunt peccare, & pœnitere, & confiteri.

Objic. 1. D. Petrus pro negatione, nec D. Thomas pro

[1] *ibid. c. 4.* [2] *ibid.*

pro incredulitate, nec alii Apostoli pro derelictione Christi in passione non receperunt hoc sacramentum ergo non est de necessitate medii, nec præcepti. Prob; ant.ex S.Ambros. *Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego*. Et idem dici potest de aliis; ergo &c.

Resp.neg.conseq. quia nondum erat institutum hoc sacramentum, ideo recuperarunt gratiam per lacrymas pœnitentiæ.

Objic.2. Necessitas medii est ea, sine qua nequit haberi finis; sed potest recuperari gratia, & salus post peccatum per alia media, quàm per hoc sacramentum; ergo non est de necessitate medii.

Resp.dist.min. Sine hoc sacramento in re, conc. in re, vel in voto, neg.min. nam si non possit haberi in re, requiritur saltem desiderium ejus, & propositum.

Objic.3. Hoc sacramentum est pœnale: nam infert vindictam; ergo non convenit legi gratiæ, qualis est ista.

Resp.neg.cons. nam summa gratia est, quod per tam levem pœnam remittantur tam, & tot gravia peccata, & tam certo medio.

Objic 4. Græci non utuntur hoc sacramento; ergo non putant illud esse necessarium.

Resp.dist.ant. Græci schismatici, & hæretici, transeat, Græci fideles, neg.ant. Nam inquit Chrysost. Patriarcha Constantinop. [1] *Non potest quis gratiam recipere doni cœlestis, nisi prius purgatus fuerit ab omni sorde peccati per pœnitentiæ confessionem.*

Objic. 5. Patres ubique docent gratiam recuperari per lacrymas, & labores pœnitentiæ, nihil dicentes de sacramento; ergo non putant illud esse necessarium.

Resp.neg.cons. nam sic loquuntur sine exclusione, & præjudicio sacramenti, quod illa comitantur, aut præcedunt cum ejus voto.

Objic.cont.2.par. Nullibi legitur præceptum divinum de hoc sacramento; ergo gratis asseritur necessitas præcepti.

Resp.dist.ant.Nullibi formaliter, & explicitè, conc. implicitè, & virtualiter, neg.ant. nam, ut dicebamus ex Doct. hoc ipso, quod datur potestas Sacerdotibus remittendi, & retinendi peccata, præcipitur peccatoribus, ut recurrant ad ipsos per confessionem pro remissione.

[1] *hom.de pœnit.*

CONCLUSIO II.

Etiam justificatis per contritionem sacramentum hoc necessariò recipiendum in re, quàm primùm haberi potest. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod illa contritio habet propositum, seu promissionem confessionis secuturæ, & sic non deletur peccatum sine proposito confitendi.... si autem mutetur voluntas solvendi illam* (promissionem) *jam recidivat ab illa pœnitentia, & peccat mortaliter;* ergo etiam contritis necessarium est hoc sacramentum.

Prob. 2. ex Trid. cit. & præterea cùm dicit, *in pœnitentia contineri non modò cessationem à peccatis, aut cor contritum, & humiliatum, verùm etiam eorum confessionem sacramentalem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, & sacerdotalem absolutionem;* ergo &c.

Confir. nam inter propositiones Petri de Osma damnatas à Xyxto IV. anno 1478. prima erat, *Peccata mortalia quantum ad culpam, & pœnam alterius sæculi delentur per solam contritionem cordis, sine ordine ad claves;* ergo contraria propositio est de fide.

Alias probationes vide supra de necessitate confessionis.

Objic. Si post contritionem justificantem recipiatur sacramentum, nihil reperiet remittendum: nam omnia jam remissa sunt, & sic falsa erunt verba absolutionis; ergo contritis non est necessarium hoc sacramentum.

Resp. neg. ant. & prob. ejus: nam tunc per sacramentum remittitur obligatio contracta per promissionem, & datur amplior gratia, quæ de se est remissiva peccati, & ab eo præservat in futurum.

Alias etiam objectiones ibidem solutas habes.

DIS-

[1] *ibid. 2.*

DISPUTATIO VIII.

De ministro sacramenti pœnitentiæ.

SUOS habet ministros hoc sacramentum, sicut & alia. Et quidem, sicut hoc est speciale in isto, quod confertur per formam judicii, & sicut plures conditiones requiruntur in judice, sic plures requiruntur in ministro istius sacramenti, quàm cæteris, v. g. jurisdictio, seu potestas, scientia, prudentia, discretio, & fidelitas, seu secretum, & alia, de quibus hic breviter dicendum est.

QUÆSTIO I.

Quis, & qualis sit minister sacramenti pœnitentiæ. An solus Sacerdos.

ALiqui hæretici, ut Vvicleffus, & Lutherus putarunt etiam Laicos baptizatos esse idoneos ministros hujus sacramenti, saltem spectato jure Divino.

CONCLUSIO I.

S*Olus Sacerdos est idoneus minister hujus sacramenti*. Est de fide.

Prob.1. ex Scoto, [1] Qui referens opinionem Magistri dicentis licere confiteri laico, respondet, *quod laicus nullam habet sententiandi authoritatem in isto foro;* & supra dixerat [2] *hanc potestatam datam esse Apostolis, & Sacerdotibus*, & quod *nihil pertinens ad sacramentum pœnitentiæ potest à Laico dispensari, sicut nec consecratio Eucharistiæ.*

Prob.2. ex Concil. Florent. [3] dicente, quod *forma hujus sacramenti sunt verba absolutionis, quæ sacerdos profert*. Et, *Minister hujus sacramenti est Sacerdos habens authoritatem absolvendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris*. Et Trid. [4] *Circa ministrum hujus sacramenti declarat, falsas esse doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, &*

[1] *d.17.T.* [2] *d.4.q.4.n.4.*
[3] *in decret.* [4] *Sess.14.c.6.& ca.1.*

& Sacerdotes, clavium ministerium perniciosè extendunt, &c. Et idem definit can.10.

Prob.3. ex Script. Nam, ut notat idem Conc. Christus ad solos Sacerdotes dixit, [1] *quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis*, &c. Et, *Quorum remiseritis peccata*, &c. Sed hæc verba continent institutionem hujus sacramenti; ergo &c. prob. maj. Nam hæc dicebat in cœnaculo post resurrectionem, *ubi erant discipuli congregati, & clausi, propter metum judæorum*; ergo ad solos Apostolos hoc dixit instituens hoc sacramentum; ergo & illis solis, ac successoribus in ministerio Ecclesiæ dedit potestatem clavium.

Prob.4. ex SS. Patribus: nam inquit Ambros. *Jus hoc solis est permissum Apostolis*. Et Hieron. *Habent judiciariam potestatem alii Apostoli* (sicut Petrus) *habet & omnis Ecclesia in Episcopis, & presbyteris*. Et sic de aliis.

Prob. denique unanimi, & perpetuo consensu, & usu totius Ecclesiæ; nec hujus dispositionis ratio melior dari potest, quàm voluntas Dei: congruitatem verò dat Scotus, quia *congruit istam* (potestatem) *esse in Ecclesia, & hoc in Sacerdote, ut in Hierarchia Ecclesiastica sit ordinata, & ultima reducantur ad primum per medium. Hierarcha autem est medius inter Deum, peccatoremque reducendum*. &c. Et re vera sacerdotes dicuntur mediatores hominis apud Deum.

Objic.1. S. Jacobus scribit fidelibus, [2] *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Et S. Petrus ad omnes dicit, [3] *gentem sanctam, regale sacerdotium*; ergo non soli Sacerdotes, sed omnes fideles sunt ministri confessionis sacramentalis.

Resp. neg. conf. Nam per vocem *alterutrum* non intendit S. Jacobus, ut indifferenter confiteantur peccata sua quibuscumq; sed habentibus ministerium illud in Ecclesia, ut sunt Sacerdotes, de quibus dixerat esse introducendos ad infirmos pro extrema unctione. D. autem Petrus sumit Sacerdotium in lata significatione pro quolibet fideli, qui orationes, & hostias suiipsius offert Deo, non autem strictè pro illis, qui constituuntur pro ministeriis sacris in Ecclesia.

Inst. Christus eodem sensu dixit Apostolis, *Quorum*

[1] *Matth.16,* [2] *Jac.8.* [3] *1.Pet.2.*

rum remiseritis, &c. Et, *Docete omnes gentes, baptizantes*, &c. Sed per hæc posteriora verba non restrinxit ministerium baptismi ad solos Sacerdotes; ergo per illa priora non restrinxit ad solos Sacerdotes potestatem remittendi peccata, & ministerium confessionis; ergo sicut in necessitate potest quilibet laicus baptizare, ita & remittere peccata. Prob. maj. Nam istud sacramentum non minùs necessarium est, quàm Baptismus; ergo, &c.

Resp. neg. maj. & 2. cons. Nam ex praxi Ecclesiæ, quæ est voluntatis divinæ interpres, & mentis Christi depositaria, patet, quandonam loquatur ad omnes, & quandonam ad solos Apostolos, & Sacerdotes.

Confir. hoc: nam alioqui, sicut non tantum viri, sed etiam mulieres, & obstetrices possunt baptizare, ita & possent audire confessiones, quod absurdum est, & quod ipsi hæretici non admittunt.

Objic. 2. ex Patribus: nam Cyprianus dicit, [1] *Si quis infirmitate oppressus non possit expectare Sacerdotis adventum, reconcilietur per Diaconum, facta priùs exomologesi*, seu confessione. Et in Decretis legitur, [2] *fures, & latrones, si in deprædando, & furando occiduntur, visum est pro eis non esse orandum; sed si comprehensi, aut vulnerati, presbytero, vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus*; ergo non soli Sacerdotes, sed etiam Diaconi sunt ministri hujus sacramenti.

Resp. neg. cons. Quia nec Cyprianus, nec ille Canon loquuntur de confessione sacramentali, sed de Canonica, per quam peccatores publici reconciliabantur ad sacramenta, & publicè confitebantur illa peccata. Quoad Canonem notat Glossa, quod apud Burchardum, & Ivonem hoc caput citatur ex Conciliis Moguntino, & Triburicensi, in quibus non fit mentio de Diacono, sed dicitur, *Confessi Deo, & Sacerdoti*.

Respondent alii, quod Diaconis licebat audire confessiones, non quidem sacramentaliter, nec pro absolutione sacramentali, sed præcisè, ut judicarent de illorum contritione, & dispositione ad S. Communionem, quam ipsi tunc ministrabant.

Inst. ex Augustino, [3] Deus per omnes justos peccata

[1] *l.* 3. *Ep.* 13. [2] *c. fures.* [3] 5. *con. Don.*

cata dimittit, non per malos; sed inter laicos plures sunt justi; ergo & confessarii. Prob. maj. *Sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos, ipsam verò gratiam, non nisi per se ipsum, vel per sanctos suos.... vel per illius columbæ membra,* quales sunt justi; ergo, &c.

Resp. neg. maj. & 2. conf. Nam ex illo, & similibus locis sequitur solùm, quòd Deus solus est per se causa principalis gratiæ, sacerdos autem ministerialis, & ad hoc iste debet esse in gratia, ut licitè ministret, licèt in statu peccati validè faciat.

Objic. 3. ex cap. *Sanctum est*. Idem August. dicit de laico, qui in periculo naufragii reconciliavit pœnitentem; ergo in casu necessitatis laicus potest absolvere.

Resp. neg. ant. Nam si benè legantur verba Augustini, & Canonis, habetur solùm, quod pœnitens ille, qui post baptismum peccaverat, & publicè pœnitentiæ addictus fuerat, baptizavit alium id petentem, & rursus ille ab isto petiit reconciliationem, sed canonicam, qualem in illo casu poterat habere. Vide marginem Glossæ. Denique nec Augustinus hanc historiam putat certam, ut legenti patebit. Ideo ex hoc canone nihil concluditur contra nos.

Quæres, *An saltem in casu necessitatis, seu instante morte, & absente omni Sacerdote, habens peccatum mortale possit, aut debeat confiteri non Sacerdoti.*

Resp. id non præcipi jure ullo: nam inquit Doctor: *Dispositio prævia ad sacramentum pœnitentiæ facta laico nihil valet virtute operis operati, & adhuc dubium est, an sit in detrimentum salutis, quia illa revelatio non potest esse confessionalis*; & sic non putat eam esse consulendam. Et alibi, [2] *Talis confessio potest esse materia verecundiæ, quæ est una pœna debita peccato, & in hoc casu confitens solvit aliquam pœnam, quam solveret, si confiteretur sacerdoti. Sed quia accusatio ideo tantum præcipitur, ut sequatur sententia, & laicus nullam habet sententiandi authoritatem in isto foro, sequitur, nullum præceptum esse de accusando se laico, & fortè utilius esset non accusare se illi, si posset æqualem verecundiam habere, apud se recogitando eadem peccata*. Imo videtur dubitare, num sit illicita

illa

[1] *d.14 q.4.C.n.4.* [2] *d.17.q.1.T.27.*

illa confessio, quia *nulli licet se diffamare, nec prodere peccatum suum occultum*, maximè si nullum inde notabile emolumentum possit accipere. Si tamen quis ex humilitate, & contritione peccata sua laico declararet, posset per illam humiliationem ampliorem à Deo gratiam obtinere, cæteris positis, & paribus.

Putarem, rectè hominem id facturum apud virum doctum, & prudentem, à quo salutare consilium reciperet, nec id esset contra mentem Scoti; imò notat Scholiastes id fieri debere *proponendo factum in universali, sine revelatione proprii peccati. Si tamen circumstantiæ suadeant rem aperire in particulari, licebit*, nec Doctor id negaret in hac suppositione.

QUÆSTIO II.

An omnis Sacerdos sit legitimus minister hujus sacramenti, & de clavibus Ecclesiæ, & regni cælorum, an competant omni Sacerdoti.

Videbamus, quod solus Sacerdos est minister hujus sacramenti, jam videndum, an id competat omni sacerdoti, ita ut nihil ad hoc requiratur præter Sacerdotium.

Suppono 1. ex sæpe dictis hoc sacramentum esse judiciale, & per formam judicii administrari, ita ut absolutio, & ligatio, quæ ibi fiunt, habeant rationem sententiæ, & Sacerdos se gerat ut judicem erga reum subditum. In judice autem requiritur jurisdictio in eos, quos absolvit, aut ligat.

Suppono 2. nomine *clavium regni cælestis* intelligi potestatem spiritualem, quam habet Ecclesia ad aperiendum, & claudendum cœlum hominibus: sicut in temporalibus clavis est instrumentum, quo removetur, aut ponitur impedimentum aditus ad quædam loca. Sic qui habet potestatem dimittendi, vel retinendi peccata, habet clavem, per quam ponit, vel tollit obicem intrandi in cœlum, v. g.

3. Hæc potestas est vel *ordinaria*, quæ propria est alicui officio, vel dignitati, ver. gr. Episcopo, vel Parocho, Provinciali, aut Guardiano, *vel delegata*, quæ competit ex commissione, vel delegatione habentis ordinariam. Unde minister *ordinarius* est ille, qui

ex

ex officio suo, & sine privilegio, vel delegatione potest audire confessiones, ut Papa in tota Ecclesia, Episcopus in tota Diœcesi, & parochus in sua parochia. Delegatus verò ille est, qui ex officio suo non habet facultatem absolvendi, sed eam accepit ab alio habente potestatem delegandi, ut Papa in tota Ecclesia, & Episcopus in sua diœcesi. Item alia dicitur *potestas ordinis*, quæ est ipse character Sacerdotalis, vel significatum ejus, per quem ex divina institutione homo per consecrationem suam deputatur, ut possit conficere corpus Christi, & judicare membra ejus ad remittenda, vel retinenda peccata, seu ad ligandum, & solvendum in administratione hujus sacramenti; omnis Sacerdos accipit utramque potestatem hanc in sua consecratione, sed primam accipit completam, & proximam, 2. verò remotam, & in actu 1. & incompletam. Alia dicitur *potestas jurisdictionis*, qua quis deputatur superior, & judex aliquorum cum facultate illos judicandi, seu absolvendi, aut ligandi.

Rursus claves sunt vel *authoritatis*, seu *principalis*, & *summa*, quæ soli Deo competit ut summo judici, & Domino. 2. vel *præcellentiæ*, quæ competit soli Christo, qui habet universalitatem potestatis in omnia. 3. vel *ministerialis*, quæ competit hominibus Episcopis, & presbyteris in Ecclesia; & hæc propriè dicitur clavis Ecclesiæ in regnum cœlorum; quia Ecclesiæ data est à Christo, ut possit aperire cœlum filiis suis, dimittendo peccata, vel claudere peccatoribus, retinendo peccata. Dicitur etiam *clavis particularis*, quia Sacerdos, nec Ecclesia non habet potestatem universalem, ut judicet de omnibus absolutè, sed tantùm de aliquibus, quæ commisit ei Christus D.

Denique hæc clavis Ecclesiæ adhuc duplex est, scil. 1. *scientiæ*, quæ est facultas inquirendi in causis fidelium, ut sciatur, quibus sit aperiendum, aut claudendum cœlum. 2. *jurisdictionis*, quæ est potestas pronuntiandi, seu judicandi, ac sententiam ferendi de his, quorum meritum, vel demeritum cognovit per clavem scientiæ, & illis claudendi, vel aperiendi cœlum, remittendo, vel retinendo illorum peccata.

Quærimus ergo, an omnis sacerdos in sua ordinatione recipiat utramque hanc potestatem, seu *clavem ministerialem*, ita ut absque alia facultate possit audire con-

confessiones fidelium, & eos absolvere à peccatis, sicut ex eadem consecratione potest conficere corpus Christi, consecrare, & ministrare Eucharistiam.

CONCLUSIO.

Non omnis Sacerdos ex vi suæ ordinationis est idoneus minister hujus sacramenti, nisi in casu mortis, ubi non adesset habens jurisdictionem ordinariam, aut delegatam, quæ ad hoc necessaria est. Est communissima.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quod *ex prima institutione Ecclesiæ non videntur fuisse distincti proprii Sacerdotes. Quando enim Apostoli hinc, & inde ibant prædicando verbum Dei, nec fuit iste Sacerdos istius gentis, nec illius, & nec iste, nec ille, sed post distinctæ sunt diæceses, & Parochiæ, & Sacerdotes in Parochiis, pro tunc tamen, et pro nunc poterant dici proprii Sacerdotes quicumque habentes jurisdictionem ordinariam, vel commissam*; ergo requirit in Sacerdote jurisdictionem ad hoc sacramentum ministrandum; & clariùs infra dicit, [2] quod *potestas conficiendi Eucharistiam est potestas impedibilis, sed si hoc esset de clave, utpote quòd statim corresponderet sibi pro materia peccator pœnitens, & non posset per actum alterius impediri, quin intendens uti ea, faceret, quod facere intendit, tunc clavis esset potestas propinqua ad absolvendum, & tunc sequeretur, quod sacerdos, ex hoc, quòd ordinatus posset quemcumque peccatorem sibi confitentem absolvere, saltem validè ....sed hæc duo supposita communiter non tenentur. Sed oportet aliquem subditum sibi dari, in quem habeat jurisdictionem*, &c. ergo ex Scoto non omnis Sacerdos ex vi suæ ordinationis est idoneus minister pœnitentiæ.

Prob. 2. ex Concil. Florent. [3] dicente, *Sacerdotem habentem authoritatem absolvendi ordinariam, vel delegatam, esse ministrum hujus sacramenti*. Et alibi dixit, [4] *Sacerdotem non habentem jurisdictionem non posse absolvere*. Et Trid. [5] *Quoniam natura judicii exposcit, ut sententia dumtaxat in subditos feratur, persuasum semper fuit in Ecclesia Dei, et verissi-* mum

[1] *d.17.R.26.* [2] *d.19.q.1,H.12.*
[3] *decr.Eug.* [4] *Decr.un.* [5] *Sess.14.c.5.*

mum esse, hæc S. Synodus confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem; ergo ex Conciliis Sacerdos non potest ministrare hoc sacramentum ex vi solius ordinationis, sed requiritur potestas jurisdictionis.

Prob. 3. Nam hoc sacramentum administratur per modum judicii, sed in judiciis requiritur potestas jurisdictionis in judice super illos, quos judicat, & hanc potestatem non habet omnis sacerdos ex vi suæ ordinationis; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam inquit Concil. *In Ecclesia semper fuit custoditum, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt*; ergo Ecclesia dat omnibus Sacerdotibus jurisdictionem in omnes fideles constitutos in articulo mortis, & similibus casibus necessitatis.

Dixi, *nisi adsit alius Sacerdos habens jurisdictionem ordinariam, aut delegatam*: nam mens Ecclesiæ non est dare talem jurisdictionem generalem omni Sacerdoti, nisi pro casibus necessitatis, in quibus periclitatur salus animarum; sed quando adsunt alii Sacerdotes habentes jurisdictionem, non adest ex parte ministrorum ulla necessitas; ergo tunc non est mens Ecclesiæ dare illis Sacerdotibus jurisdictionem. Probat. maj. ex eodem Concilio: nam motivum Ecclesiæ tollendi omnem reservationem pro confessariis, & censuris est, *ne hac ratione aliquis pereat*; ergo supponit casum necessitatis, seu periculum salutis.

Objic. 1. In consecratione omnium sacerdotum dicitur illis, *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata*, &c. ergo datur omnibus illa potestas; ergo & jurisdictio ad hoc requisita. Prob. cons. non aliter data est Apostolis: & idem Concilium docet, [1] quòd *Sacerdotes ministerium istud exercent per virtutem Spiritus S. in ordinatione collatam, tamquam ministri Christi*; ergo ex vi suæ ordinationis habent omnia requisita ad hoc ministerium, sicut Apostoli habuerunt.

Resp. dist. 1. cons. Potestas inchoata, & remota, & fundamentalis, conc. completa, & proxima, neg. cons. Nam ad potestatem completam non sufficit potestas

[1] *Sess. 14. c. 6.*

testas in actu primo ad peccata remittenda, sed requiritur materia, seu subditus, in quem possit exerceri: hæc autem materia, seu subjectum dat Ecclesia specialiter.

Inst. Potestas ordinis sufficit in aliis sacramentis, & est completa, & proxima; ergo & in isto: nam quoad istud nihil speciale apparet in Scriptura. Prob. ant. Nam ad conficiendam Eucharistiam in pane apposito, sufficit ordinatio, ita ut validitas consecrationis impediri non possit; ergo ita est in isto, poterit validè absolvere quilibet Sacerdos ex vi ejusdem ordinationis.

Resp. neg. cons. utramque: nam hoc speciale est in isto, quod est judiciale, & confertur per modum judicii, quod non valet, nisi proferatur in subditum judicis, & Sacerdos ex vi ordinationis non habet subditum, in quem exerceat potestatem ordinis.

Inst. 2. Ut homo subdatur Sacerdoti, sufficit, quod habeat peccata, quæ isti subjiciat, remittenda, nihil aliud requirit Christus; sed hoc habet Sacerdos ex vi ordinationis, si peccator ei subjiciat peccata; ergo &c.

Resp. dist. maj. Si peccator sit liber, ut cuilibet Sacerdoti subjiciat, conc. si non sit liber pro quolibet, neg. maj. & min. nam neque Sacerdos ex vi ordinationis potest exercere illam potestatem in quemlibet pœnitentem, nec quilibet pœnitens potest de se eligere quemlibet sacerdotem: sicut in civilibus homo se subjicere non potest judici non suo, sed utrumque pendet ab Ecclesiæ determinatione, & institutione Christi, qui voluit ordinem Hierarchicum inter subditos, & superiores ad rectum regimen: si verò cuique liberum esset judices, vel subditos eligere, non esset ordo, sed confusio.

Objic. 2. Si non esset liberum sacerdoti eligere ad hoc subditos, nec peccatori eligere judicem, Papa non posset absolvi sacramentaliter, quia nemini subjicitur, sed cons. est falsum, & inconveniens; ergo &c.

Resp. neg. maj. & dist. prob. Nemini subjicitur in foro exteriori, con. in foro interno, seu pœnitentiali, neg. nam quoad istud se habet ut privatus, & peccator. Dico, *quoad forum exterius*, unde non potest se subjicere ulli quoad censuras, quæ feruntur in foro exte-

teriori Ecclesiæ, v. g. ut in eum feratur excommunicatio, quia hæc derogat dignitati Papali.

Objic. 3. Quilibet potest eligere quemlibet sacerdotem pro absolutione à venialibus, vel mortalibus confessis, & remissis; ergo & pro aliis. Ant. patet ex satis communi sententia: nam utraque illa non sunt materia necessaria confessionis. Prob. conf. non minùs exercetur jurisdictio in uno casu, quàm in alio, nec una absolutio est minùs judicialis, quàm alia; ergo, &c.

Resp. neg. ant. & conf. prob. Non enim video, quòd absolutio sacramentalis potiùs valeat in uno, quàm in alio. Qui concedunt ant. videant, quid respondeant ad conf. & quam disparitatem possint afferre.

Objic. 4. Quilibet Sacerdos in articulo mortis potest validè, & licitè absolvere quoscumque pœnitentes vi potestatis ordinis; ergo ex vi ejusdem quilibet est ordinarius minister pœnitentiæ. Prob. conf. Nam in illis casibus nulla accidit mutatio nec in Sacerdote, nec in subdito; ergo &c.

Resp. neg. conf. & 2. ant. Nam pro his casibus Ecclesia approbat omnes Sacerdotes.

Inst. Quia Laicus non habet potestatem ordinariam consecrandi, non potest consecrare in casibus extraordinariis; ergo ita esset de Sacerdote, nisi haberet potestatem ordinariam absolvendi quemlibet, non posset hoc in casu ullo necessitatis.

Resp. neg. conf. Nam Laicus non habet facultatem inchoatam, & habitualem consecrandi, sicut Sacerdos absolvendi ex vi ordinationis.

Inst. 2. Si potestas absolvendi quemlibet in articulo mortis pro quolibet sacerdote nō esset ab ordinatione, & ex vi characteris; sed ab Ecclesia, hæc posset illam revocare; sed non potest Ecclesia revocare illam facultatem; ergo non est ab Ecclesia, sed ab ordinatione.

Resp. neg. maj. Nam fortè venit ab ipso Christo præceptum de providendo saluti animarum; ne scil. defectu hujus potestatis aliquæ perirent; & sic Ecclesia tenetur obedire.

Respond. 2. neg. min. Nam ex verbis citat. Concilii satis colligitur, quod Ecclesia posset illam reservationem non relaxare. Non enim necessariò, *sed piè admodum in Ecclesia custoditum fuit, ut nulla*

la sit reservatio in articulo mortis.

Quæres 1. *An idem liceat in periculo, quod dicimus de articulo mortis.*

Suppono autem *mortis articulum* dici, quando mors certò, & de proximo instat, *periculum* verò, quando non ita certò, sed valdè probabiliter timetur mors, v. g. in longa navigatione, aut graviori morbo, aut instante prælio.

Resp. affirmativè: nam in his casibus, & periculis adest eadem ratio tollendæ omnis reservationis. Nam pietas, & prudentia S. Matris Ecclesiæ non dictat semper expectandum esse ultimum instans, cùm agitur de salute animæ. Unde Concilium per *articulum mortis* intelligit statum, in quo rationabiliter expectatur mors ut ventura. Vide Mastrium nostrum.

Quæres 2. *An in prædictis casibus illa facultas censeatur data Sacerdoti excommunicato, vel suspenso, vel hæretico, vel degradato.*

Resp. affirmativè cum eodem Mastrio: nam ex verbis Concilii cit. nulla est reservatio in articulo mortis; ergo nec ista, nec alia.

Constat ergo, & est de fide, quod nullus Sacerdos potest nec licitè, nec validè dare sacramentum absolutionis, nisi ad hoc habeat clavem jurisdictionis per specialem approbationem, neque ad hoc sufficere potestatem ordinis.

QUÆSTIO III.

Quis sit idoneus minister pœnitentiæ pro peccatis reservatis, et an sit in Ecclesia potestas reservandi aliqua peccata.

Suppono 1. & jam constat, quod in articulo mortis nulla est reservatio, sc. tunc quilibet Sacerdos potest absolvere à quovis peccato. Unde in reservatione peccatorum, & censurarum semper excipitur articulus mortis: nam inquit Concil. citat. *piè admodum, ne hac occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, extra quem articulum Sacerdotes, cùm nihil possint in casibus reservatis, id unum persuadere nitan-*

nitantur, ut ad superiores, et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.

Suppono 2. ut certum apud omnes Theologos, quòd Papa in toto terrarum orbe potest sibi reservare absolutionem aliquorum peccatorum, & Episcopi in suis diœcesibus, & alii prælati jurisdictionem habentes in subditos, idem posse in suis districtis, v. g. Abbates, Generales, Provinciales, &c. Nam inquit idem Concil. *Ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctis Patribus visum est, ut atrociora quædam, et graviora crimina, non à quibusvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absolvantur*, &c. Et id docet perpetua praxis Ecclesiæ.

De prælatis autem Regularibus id patet ex Constitutione Clement. VIII. relata in constitutionibus nostris.

Suppono 3. quod reservatio regulariter non debet esse, nisi de peccatis, quæ sint saltem mortalia, ut patet ex Concil. cit. sc. *atrociora quædam, et graviora*, &c. Dico *regulariter*. Nolo enim immorari, & disputare, an possint reservari omnia mortalia, imo & quædam venialia. Vide Casuistas.

CONCLUSIO I.

Minister ordinarius pro reservatis est ipse reservans, vel æqualis, vel superior ejus, delegatus verò est quilibet Sacerdos habens à reservante, seu prælato potestatem. Est communis.

Prob. 1. p. Nam qui reservat sibi aliquos casus, retinet sibi potestatem absolvendi ab illis; in hoc enim consistit reservatio; ergo ille est minister ordinarius talis absolutionis, v. g. Episcopus absolvit de peccatis, quæ sibi reservat remittenda; idem est de Papa, idem de Generalibus, & Provincialibus Religiosis respectivè, ut patet ex praxi.

Probatur 2. p. de superioribus: nam Papa potest absolvere de casibus reservatis ab Episcopis, & Generalis de reservatis à Provinciali, &c. ergo &c.

Confir. Nam reservatio est quædam limitatio facultatis, quæ est in Sacerdotibus, v. gr. in Parochis, aut Guardianis, & aliis confessariis ad remittenda quædam peccata; sed prælatus inferior non potest li-

mi-

mitare potestatem sui superioris, nec respectu ejus potest sibi reservare ullum casum, seu peccatum.

Prob.3. p. Nam omnis ordinarius potest delegare suam authoritatem, & ipse delegatus potest uti authoritate sibi delegata, sicut princeps potest per se ipsum, vel per delegatos judicare subditos suos; sed isti delegantes, v. g. Episcopi habent potestatem ordinariam absolvendi ab his, quæ reservant; ergo & eorum delegati.

Hinc fit, ut sicut Papa per seipsum, & potestate ordinaria potest absolvere omnes, & quoscumque fideles ab omnibus reservatis tam sibi, quàm ab omnibus aliis prælatis totius Ecclesiæ, ita & eandem potest delegare facultatem quibusvis sacerdotibus, & sic de aliis prælatis superioribus respectu subalternorum, v. g. de Generalibus respectu Provincialium, Custodum, & Guardianorum.

CONCLUSIO II.

Episcopi possunt absolvere proprios subditos à casibus Papæ reservatis occultis, et Prælati Regulares subditos suos, exceptis casibus reservatis in Bulla Cœnæ.

Prob. 1 p. ex Conc. Trid [1] *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ provenit ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in quibuscumque casibus occultis, etiam sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua, per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. Idem est in hæresis crimine, in eodem foro conscientiæ, eis tantum, & non eorum vicariis sit permissum.* Hæc autem facultas Concilii generalis attributa Episcopis, non fuit ab ullo sommo Pontifice revocata; ergo &c.

Prob. 2. p. ex Constit. Pii V. qui hoc concessit cuidam Provinciali Dominicano, ut refert Sorbus; sed alii Religiosi mendicantes gaudent iisdem privilegiis; ergo &c. Prob. maj. *Quia* (inquit S. Pontifex) *Concilium Generale Tridentin. concessit Episcopis, ut possint ab-*

[1] Sess. 24. c. 4.

absolvere in foro conscientiæ ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus.... Ne Prior, Provincialis, & superiores Prælati dicti ordinis, tam in dicta provincia, quàm extra ubilibet in hac parte, deterioris conditionis, quàm clerici, aut sæculares existant, eisdem Priori conventuali, & superioribus Prælatis, ut ipsi per se ipsos idem omninò possint in fratres, & moniales dicti ordinis sibi subditos, quoad absolvendi, & dispensandi hujusmodi, quàm alias quascumque facultates eisdem authoritate, & tenore, etiam perpetuò concedimus; ergo prælatis regularibus ex vi communicationis privilegiorum possunt ab iisdem reservatis Papæ absolvere suos, à quibus possunt Episcopi absolvere suos ex decreto Concilii Tridentini.

Prob.2. ex praxi: nam solent prælati Regulares absolvere suos à reservatis omnibus, quæ non sunt in Bulla cœnæ, nec veniunt ex homicidio voluntario, bigamia, mutilatione membrorum, procuratione abortus, & aliis, quod non facerent, nisi hoc eis liceret.

Dixi, *modò non sint contenti in reservatis per Bullam cœnæ*. Nam de his, sive sint occulti, sive publici, non possunt absolvere Episcopi, nec prælati regulares, ut notatur in ipsa Bulla, & hoc sub pœna excommunicationis.

Objic.1. con.2.p. Ex decreto S. Congreg. Cardinalium loquitur Concilium de solis Episcopis; sed prælati Regularium non sunt Episcopi; ergo non possunt sic absolvere.

Resp. dist. conf. Absolvere alios, quàm subditos, & ex vi decreti Concilii, conc. Regulares subditos, & ex concessione Papæ, neg. conf. Nam S. Congregatio vult tantùm, quod Concilium loquatur de solis Episcopis quoad sæculares subditos: ideo notat Cardinalis de Laurea illud privilegium per plures Pontifices concessum fuisse prælatis regularibus, & se non vidisse illud fuisse ab ullo summo Pontifice revocatum.

Objic.con.3. p. Concilium dat Episcopis facultatem absolvendi à peccatis Papæ reservatis sine restrictione; ergo malè excipimus peccata, & casus contentos in Bulla cœnæ. Ant. patet ex verbis cit. Concilii.

Resp. neg. conf. Nam Bulla ipsa, qualis post Concilium publicatur singulis annis in die cœnæ, à quo no-

nomen accepit, maximè à tempore Gregorii XII. qui succeſſit Pio V. continet reſtrictionem illam, & revocationem quoad hoc declarationis Concilii Tridentini.

CONCLUSIO III.

R*Egulares, ex vi privilegiorum ſuorum non poſſunt nunc abſolvere ſæculares à caſibus Epiſcopo reſervatis*. Eſt jam communis.

Prob. 1. ex Concil. Viennenſi ſub Clem. V. ubi plurima conceduntur Regularibus. Dicit Papa, [1] *Per hujuſmodi conceſſionem non intendimus perſonis, ſeu fratribus ipſis ad id taliter deputatis poteſtatem in hoc*, (adminiſtrationem pœnitentiæ) *impendere ampliorem, quàm in eo curatis, vel parochialibus ſacerdotibus eſt à jure conceſſa, niſi forſan eis Eccleſiarum prælati uberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter duxerint faciendam*. Sed parochi non habent facultatem abſolvendi à reſervatis Epiſcopo; ergo nec Regulares.

Prob. 2. Ex declaratione S. Congregation. ſub Clem. VIII. an. 1602. *Regulares non poſſunt abſolvere nec à caſibus, quos Ordinarii locorum hactenus reſervarunt, vel in poſterum ſibi reſervabunt .... niſi in mortis articulo, niſi cum nova Sanctitatis ſuæ, aut ſucceſſorum ſuorum, vel Ordinariorum facultate*. Hæc verba, *Quos ordinarii ſibi reſervarunt*, quidam, ut Seraphinus à Conceptione, dicunt intelligi de caſibus reſervatis ab homine, vel conſuetudine vigente in aliqua diœceſi; non autem de reſervatis à jure, quos prætendunt non eſſe reſervatos pro Regularibus, ſuppoſitis eorum privilegiis. Alii diſtinguunt de peccatis occultis, & publicis, quod non placet Cardin. Brancato cit. qui citat præfatum Decretum. Ego propterea ſatius puto peccatores illos remittendos ad reſervantes, ut reſervatio efficaciùs conſequatur intentum Eccleſiæ in tali reſervatione, juxta mentem Concil. Trid. ſc. ut deterreantur homines à peccatis: quippe *magnopere ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere, SS. Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non à quibuſvis, ſed à* Q 2 *ſum-*

[1] *cl. Dudum. l. 3. tit. 7. de ſepult.*

summis sacerdotibus absolverentur, &c.

Quæres, *quomodo se gerere debeat confessarius, & superior erga pœnitentes habentes reservata*.

Resp. ex dictis de integritate confessionis, prælatum debere audire integram confessionem pœnitentis, ut eum absolvat ab omnibus simul, sc. tam à non reservatis, quàm à reservatis, si velit eum absolvere sacramentaliter, vel remittat eum ad aliquem, qui audiat omnia, & ab omnibus absolvat, etiam à reservatis per facultatem sibi concessam ab illo prælato, quia hoc exigit ratio integritatis confessionis, quæ est de jure Divino, ut diximus. Et ita communiter docent nostri, maximè Cardinal. Brancatus, & Mastrius, quos consule, quia hic casus sæpe contingere potest; quod studentibus indicasse sufficiat.

QUÆSTIO IV.

De aliis requisitis in Sacerdote ad ministerium hujus sacramenti, maximè de approbatione.

PRæcipuæ conditiones ad hoc ministerium sunt jurisdictio, scientia, & sanctitas, &c. 1. Jam constat ex dictis, quòd ad validè absolvendum requiritur potestas jurisdictionis, quia hoc sacramentum datur per modum judicii, & minister se habet ut judex, in quo requiritur potestas in reum. De scientia autem tam juris, quàm facti, nec de sanctitate, non occurrunt difficultates speciales in hoc sacramento magis, quàm in cæteris, in quorum administratione committitur sacrilegium, nisi sanctè tractentur, sed tamen fiunt validè, licèt illicitè, quia valor eorum non pendet à sanctitate ministri.

Certum est autem, quod approbatio est externum judicium, quo sacerdos declaratur idoneus administrandi sacramentum aliquod, sed in isto includit prætereà deputationem ejusdem ad hoc ministerium: nam in rigore posset quis iudicari idoneus ad hoc, & tamen non accipere potestatem necessariam ad illud, licèt ex usu vocis soleat utrumque significari, ita ut, qui dicitur approbatus ab Episcopo ad confessiones audiendas, intelligatur habere hanc potestatem, & in hoc sensu hìc loquimur de approbatione.

CON-

CONCLUSIO I.

UT *sacerdos validè ministret hoc sacramentum sæcularibus, debet esse approbatus à Papa, vel ab Episcopo.* Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui in Sacerdote ad hoc ministerium requirit jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, & per proprios Sacerdotes intelligit *quoscumque habentes jurisdictionem ordinariam, vel delegatam.* Et quòd *præceptum .... cui sit confitendum*, intelligitur *de sacerdote habente jurisdictionem.* Sed jurisdictio delegata non datur, nisi per approbationem: ergo in sacerdote ad hoc ministerium validè exercendum requiritur approbatio.

Prob. 2. ex Concil. Trid. *Decernit S. Synodus nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium audire, nec ad id idoneum reputari, nisi parochiale beneficium habeat, aut per examen, si illis videbitur necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.* Dicit, *confessiones sæcularium*, quia pro Religiosis exemptis approbatio pertinet ad prælatum Regularem.

Prob. 3. ex praxi receptissima in tota Ecclesia: voluit enim impedire, ne imperiti ad difficillimum ministerium sese ingerant in perniciem animarum suarum, & alienarum; ergo meritò voluit ex Spiritus S. ductu, & ex Christi authoritate, ut ministri hujus sacramenti accipiant judicium de sua capacitate à prælatis, & delegationem specialem.

Dixi 1. *Ut validè ministret*, quia ad validam absolutionem requiritur jurisdictio, quam prælati non conferunt, nisi eis, quos idoneos judicaverint. 2. dixi, *Sæcularibus*, scil. quoad Episcoporum approbationem: nam, ut mox notabamus, pro Religiosis exemptis à jurisdictione Episcoporum, sufficit approbatio suorum prælatorum, qui omnimodam in eos habent jurisdictionem.

[1] *d.17. S.*

CONCLUSIO. II.

Approbatio debet haberi ab ordinario loci, in quo exercetur ministerium hujus sacramenti. Est communior contra aliquos, qui volunt eam haberi ab Episcopo pœnitentis, & alios, qui volunt eam haberi ab Episcopo confessarii.

Prob. 1. Nam hæc approbatio præcisè fieri debet ab Episcopo pœnitentis, vel Sacerdotis, vel loci; sed 1. & 2. dici non possunt; ergo restat, ut sit ab Episcopo loci. Prob. min. de 1. Nam si hoc esset, Sacerdos approbatus Camberii pro diœcesi Gratianopolitana, non posset ibi absolvere Tarentasiensem, aut Maurianensem, quia isti non sunt subditi Episcopo Gratianopolitano; sed cons. est falsum, & contra praxim Ecclesiæ; ergo &c. Probat. min. nam confessarii Romæ, aut Parisiis, aut Camberii, non solent petere à pœnitentibus, de qua diœcesi veniant, ut remittant advenas, si confessarii illi non sint approbati ab eorum ordinariis; ergo &c.

Prob. eadem min. de 2. p. seu de Episcopo Confessarii: nam si approbatus Gratianopoli esset natus Viennæ, aut Lugduni, non posset ibi validè audire confessiones sine approbatione Episcoporum illorum; ergo non sufficit approbatio Episcopi confessarii.

Confirm. Nam hoc ipso, quod Episcopus loci, in quo audiuntur confessiones, approbat sacerdotem, facilè conciliantur illæ opiniones: nam iste Episcopus evadit ordinarius tam sacerdotis, quàm pœnitentis; ergo satisfit tam illis, qui hoc jus tribuunt Episcopo confessarii, quàm illis, qui hoc tribuunt Episcopo pœnitentis. Prob. ant. Nam hoc ipso, quòd Episcopus Viennensis approbat Petrum, ut audiat confessiones Viennæ, iste fit Confessarius Viennæ, & quoad hoc subditur illi Episcopo. Idem est de pœnitente: nam fideles omnes fiunt subditi Episcoporum, & Sacerdotum loci, in quo reperiuntur, etiam transeunter quoad administrationem sacramentorum; ergo hoc ipso, quòd Sacerdos approbatur ab ordinario loci, in quo audit confessiones, approbatur tum à suo, tum à pœnitentis ordinario.

Prob.

Prob. 2. Nam, ut notat Cardin. de Laurea, Urbanus VIII. an.1628. revocat omnes licentias audiendi confessiones sine approbatione Episcopi diœcesani; sed iste est Episcopus loci, in quo audiuntur; ergo ad istum spectat approbare. Et apud Lugo citatur declaratio Congregationis Concilii, qua dicitur, *Approbatum ab alio, quàm ab Episcopo Valentino in diœcesi Valentina, non censeri approbatum ab ordinario*. Et aliam refert Barbosa. *Congregatio Concilii censuit confessarios extraordinarios ab Episcopo approbatos ad confessiones audiendas, sive sint regulares, sive sæculares, nullo pacto eas audire posse extra diœcesim Episcopi approbantis, quamvis confessarii sint eidem Episcopo subjecti*; ergo approbatio spectat ad Episcopum loci.

Prob. denique: nam nisi approbatio spectet ad Episcopum loci, posset Episcopus Lugdunensis approbare confessarium pro diœcesi Gratianopolitana, & sic approbatus Lugduni, posset manere Camberii, & ibi sine alia approbatione audire confessiones, sed conseq. est falsum: nam sic Episcopus Lugdunensis exerceret jurisdictionem extra territorium suum: nam hæc approbatio est collatio jurisdictionis; ergo est actus jurisdictionis, & quidem in re magni momenti.

Confirm. Nam si sufficeret approbatio ab Episcopo confessarii, semel approbatus in una diœcesi, esset semper, & ubique approbatus, quod falsum est, & contra praxim, ut suppono; ergo &c.

Objic. 1. Approbatio fit in bonum pœnitentis, quia iste debet pasci, *Pasce oves meas*. Debet sanari, & curari, *Curam illius habe*. Debet regi, & dirigi, *Posuit Episcopos regere Ecclesiam*, &c. ergo approbatio spectat ad Episcopum pœnitentis, alioqui non provideretur ejus bono.

Resp. dist.conf. ad Pastorem actualem, con. ad pastorem originis, vel domicilii fixi tantùm, neg.conf. Nam, ut dicebamus, fideles quoad sacramenta fiunt subditi, & oves pastorum loci, in quo reperiuntur, etiam ad momentum, si eis contingat indigere.

Objic. 2. S. Congregatio, seu Papa *declaravit tempore Jubilæi omnes regulares posse confiteri peccata sua Sacerdotibus approbatis ab ordinario*; sed iste ordinarius non est pœnitentis, nec loci, sed confessarii; ergo approbatio spectat ad Episcopum Sacerdotis. Hanc

declarationem citat de Lugo apud Cardinal. Lauream cit.

Resp. neg. conſ. Nam ordinarius loci, in quo regulares lucrantur Jubilæum, & in quo eligunt ſibi confeſſarium, eſt proprius ordinarius, & Dominus territorii, in quo exercetur illa juriſdictio.

Inſt. Per hoc ſecundum Decretum non poteſt Epiſcopus eligere ſibi ad hoc, niſi ſubditum ſuum; ergo approbatio ſpectat ad Ordinarium Sacerdotis, non loci.

Resp. neg. conſ. Nam decretum dicit, quod ille Sacerdos electus debet eſſe vel ſubditus ipſius eligentis, & ab eo approbatus, vel approbatus ab ordinario loci, per quem tranſit, & in hoc conſiſtit privilegium Epiſcoporum, qui poſſunt ſecum ducere confeſſarios ſuos ſub illa conditione.

Objic. 3. Si confeſſarius, & pœnitens Camberienſes reperirentur Lugduni, poſſet ille hunc validè abſolvere, quamvis ille non eſſet approbatus Lugduni; ergo non requiritur approbatio ab Epiſcopo loci, ſed confeſſarii.

Resp. diſt. ant. Si adſit privilegium Papæ, aut conſenſus Epiſcoporum inter ſe, con. de jure communi, neg. ant. Nam ex Axiomate juris, *extra territorium jus dicenti non paretur impune*; ergo approbatio ab Epiſcopo Gratianopolitano non valet pro diœceſi Lugdunenſi. Unde ſi caſus ille admittatur in praxi, id fit vel ex conceſſione Papæ, vel ex communi conſenſu Epiſcoporum. Unde inquit Barboſa cit. parochus, vel Epiſcopus in aliena diœceſi poſſet abſolvere ſuum parochianum, vel ſubditum ex communi, & mutuo conſenſu Epiſcoporum, vel ex conceſſione Papæ.

CONCLUSIO III.

IN miniſtro pœnitentiæ requiritur ſcientia ligandi, & ſolvendi, & eorum, quæ neceſſaria ſunt, ut judicium ſit validum, & juſtum ex parte tam ſui, quam pœnitentis. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quod *ad clavem ſcientiæ requiritur ſcientia, ſc. ad hoc, ut utatur ea, non autem*

[1] *D.19.q.1.E.8.*

autem ad hoc, ut insit; ergo scientia requisita in ministro pœnitentiæ consistit in hoc, quòd sciat necessaria ad rectè utendum clavibus Ecclesiæ, quæ sunt clavis scientiæ, & potestatis.

Prob. 2. Nam si hæc nesciret, non posset validè conficere sacramentum; ergo hæc scientia est illi necessaria. Prob. ant. Nam si v. g. nesciat formam sacramenti ex parte sui, nec modum imponendi satisfactionem, aut ex parte pœnitentis si nesciat requisita, ut validè possit absolvi, erit semper in periculo absolvendi ligandos, aut ligandi solvendos, & prophanandi sacramentum.

Debet ergo scire 1. quæ sunt de essentia sacramenti, scil. materiam, & formam, dispositiones requisitas ex parte pœnitentis, quæque habent rationem materiæ, ut si sit ritè confessus, & attritus, vel contritus, & paratus satisfacere, & formam absolutionis, item partes integrantes sacramenti.

2. In particulari debet scire aliquo modo discernere peccata mortalia, & venialia; circumstantias mutantes speciem peccati, & notabiliter aggravantes; censuras, si quæ sint annexæ peccatis, peccata reservata, peccata, pro quibus debetur restitutio bonorum, aut famæ, &c. Qui hæc, & similia ignorant, peccant mortaliter, quoties se ingerunt huic ministerio, quia se temerè exponunt periculo satis probabili invalidè, aut illicitè ministrandi: nam in singulis ferè adsunt talia pericula in ministerio perdifficili, & tremendo. Denique Confessarius agit personam judicis, & medici, & sic in eo requiritur utriusque facultatis peritia proportionata causis, & morbis animarum.

CONCLUSIO IV.

IN Ministro isto requiritur etiam vitæ probitas, & innocentia, non ut validè, sed ut licitè ministret hoc sacramentum.

Prob. 1. p. ex Scoto, [1] qui sic loquitur de ministro baptismi, *Patet multis authoritatibus, quod quacumque malitia minister sit malus .... si intendit facere, quod facit Ecclesia, & servet modum Ecclesiæ, verè facit baptismum .... Quia placuit Christo instituere, ut*

[1] *d.5.q.1.A.3.*

malitia ministri non impediret sacramentum, nec ejus effectum. Sed eadem est ratio de pœnitentia; ergo vitæ probitas in sacerdote non est necessaria, ut validè absolvat.

Prob.2. ex Conc.Trid. [1] quod id definit etiam specialiter de pœnitentia. *Si quis dixerit.... Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & solvendi non habere, anath. sit*. Idem docet [2] de aliis sacramentis, ut diximus.

Prob.3. quia, ut diximus de aliis, & mox dicebamus ex Scoto, Christus instituens sacramenta noluit eorum vim dependere à malitia ministrorum; ergo &c.

Prob.2.p. Nam, ut diximus de aliis, *sancta sanctè tractanda sunt*; &, ut ait Scriptura: *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit*. Et de peccatoribus dicit Deus, *recedite polluti, recedite, abite, mundum nolite tangere*. Id est, inquit S. Pascasius, *recedite à sanctuario Dei, vestris multis, & immensis fœdati delictorum contagiis*: Et, ut ait Hieron. *odit Deus, & projicit sacrificia malorum*. *Si attuleritis mihi holocaustomata vestra, non accipiam*, inquit Deus per Prophetam, *& vota pinguium vestrorum non respiciam*: & August. [3] *Non enim raptoribus, & fœneratoribus diceret Dominus, si cui dimiseritis peccata*, &c. ergo graviter peccant, & sacrilegi sunt, qui hoc sacramentum in peccato administrant.

Objic.1. Ex SS. Canonibus patet Hæreticos, nec Schismaticos, nec peccatores validè ministrare; ergo necessaria est sanctitas in sacerdote, ut validè absolvat.

Resp. dist. ant. Non ministrat validè, defectu potestatis, & approbationis, conc. defectu sanctitatis, neg. ant. Nam Hæretici, nec Schismatici non habent potestatem ad hoc ministerium, sed sunt excommunicati, suspensi, & interdicti: & idem est de aliis peccatoribus, si ab eis auferatur potestas ista.

Inst. Nemo dat, quod non habet, &, ut dicit Sapiens, *ab immundo quis mundabitur?* Sed peccatores non habent gratiam; ergo eam non possunt dare:

sunt

[1] *Sess.7.can.12.*
[2] *Sess.4.can.10.*
[3] *3.con.Don.18.*

sunt immundi; ergo non possunt alios peccatores mundare.

Resp. dist. ant. Quod non habet, non dat, ut causa physica, & principalis, & per se, conc. ut causa moralis, & ministerialis, neg. ant. Sacerdos autem est causa moralis ministerialis gratiæ, & sic ejus immunditia non impedit mundationem à Deo factam virtute sacramenti.

Inst. 2. Christus instituens hoc sacramentum, & ministros ejus, dedit priùs eis Spiritum S. dicens, *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis*, &c. ergo ut quis validè ministret sacramentum, debet habere Spiritum S. sed habens peccatum mortale, non habet Spiritum S. ergo &c.

Resp. dist. ant. Dedit eis Spiritum in ratione doni, & gratiæ gratis datæ, con. in ratione gratiæ gratum facientis, neg. antec. Nam Apostoli jam tunc erant sancti, sed nondum habebant potestatem remittendi peccata. Sic peccator, cùm ordinatur, & illi manus imponitur, accipit potestatem ordinis, & gratiam gratis datam, non autem sanctificantem, & per illud donum validè consecrat, sed illicitè.

Inst. 3. Malitia suscipientis impedit valorem sacramenti; ergo & malitia ministri. Prob. cons. minister non minùs concurrit ad valorem, quàm suscipiens; sed iste per peccatum ponit obicem gratiæ sacramentali; ergo & minister.

Resp. n. 1. cons. & maj. Nam suscipiens, & minister concurrunt in diverso genere causæ, suscipiens debet esse dispositus ad effectum, & non habere obicem, se habet ut subjectum, minister autem efficienter influit, quatenus applicat causam, seu sacramentum, & ad hoc sufficit, ut applicet materiam, & formam cum debita intentione, & tunc Deus operatur per se effectum.

Objic. 2. ex S. Gregor. [1] Ille solus vice Petri solvit, & ligat, qui Petri vitam, & mores sectatur; ergo ad validam absolutionem requiritur sanctitas in Sacerdote.

Resp. dist. ant. Vice Petri quoad dignitatem, & officium, con. quoad sanctitatem, neg. ant. nec id voluit S. Gregor. alioquin non diceret Apostolus, *Obedite*

[1] *Dial.*

dite præpositis vestris, etiam dyscolis. Et Christus de Pharisæis sedentibus super Cathedram Moysi, *Omnia quæcumque dixerint vobis, facite, secundum opera eorum nolite facere*. Et idem Apostolus sciens, quod Pontifices possunt peccare; ideo debent, *quemadmodum pro populo, ita & pro seipsis offerre pro peccatis*.

Objic.1. con.2. p. Nullum est præceptum exigens sanctitatem in confessario; ergo licitè potest absolvere in statu peccati. Prob. ant. nihil legitur in Scriptura, nec habetur in traditione; ergo &c.

Resp. neg. utrumque ant. ut patet ex probationibus conclusionis, & ex dictis aliàs de sacramentis in genere.

Inst. Omnis confessarius deberet esse certus de sua gratia; sed hoc est impossibile; ergo &c. Patet maj. Nam alioqui exponeret se periculo sacrilegii, & sic peccaret; ergo &c. min. etiam prob. quia *nemo scit, an odio, vel amore dignus sit*; ergo &c.

Resp. neg. min. & dist. ant. Nemo scit certò, an habeat de facto peccatum mortale, con. nemo scit moraliter, quod non habeat saltem conscientiam peccati, neg. antec. illud nemo scit certò, nec per consequens scit se habere gratiam, sed potest scire, & experiri se non habere istud, sc. conscientiam peccati mortalis, & sic post exactum examen potest ministrare absolutionem, imò & celebrare.

Objic.2. Si ad licitè absolvendum necessarius esset status gratiæ, habens peccatum mortale teneretur præmittere confessionem, sicut qui vult celebrare; sed cons. est falsum, quia hoc nimis esset onerosum, nec id docent Theologi; ergo &c.

Resp. dist. maj. Si posset commodè confiteri, aut saltem conteri, conc. absolutè, & simpliciter, neg. maj. & min. nam onus confitendi, aut conterendi in his casibus non debet dici grave ministris Dei, & Christi; est onus exonerandi se à peccato.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Ad quid teneatur minister pœnitentiæ.

SUb hoc titulo multa venirent explicanda, imò & totus tractatus iste posset sub eo contineri, sed seligemus pauca, eaque magis necessaria, remissis facilioribus ad Casuistas.

Porrò quædam prævia sunt ad confessionem, quædam comitantia, & quædam sequentia. Quoad prævia diximus in confessario requiri approbationem, scientiam, & statum gratiæ: de aliis restant aliqua explicanda.

CONCLUSIO I.

PArochus tenetur audire confessiones subditorum, quoties urget necessitas præcepti, vel periculi salutis, etiam cum periculo vitæ corporalis; denique quoties debitè, & rationabiliter id petunt.

Prob. 1. p. Nam ad hoc constituuntur pastores, ut curent oves: nam præcipitur,[1] *Pascite, qui in vobis est, gregem*. Et Deus irascitur pastoribus, qui in hoc sunt negligentes,[2] *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos .... gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum, non consolidastis: & quod ægrotum, non sanastis*; imò & omnes confessarii ad hoc tenentur non ex officio, sed ex charitate; ergo à fortiori parochi.

Prob. 2. nam injustum esset præceptum confitendi proprio Sacerdoti, nisi hic teneretur audire per se, aut per alium. Et certè ideò possidet beneficium, & fructus beneficii; ergo injustè negaret subditis illud obsequium urgente præcepto, vel periculo, vel utilitate salutis.

Prob. 2. p. nam bonus pastor non tantùm præbet, & providet ovibus necessaria, sed etiam valdè utilia, & quæ ratio dictat esse exhibenda: ergo quoties & Parochianus rationabiliter, & debitè petit audiri, non debet hoc pietatis ministerium illi negari. Unde cùm ex magna devotione, aut voto petit audiri, peccaret graviter pastor, si absque graviori incommodo, & necessitate id negaret.

Prob.

[1] 1. Pet. 5. [2] Ezech. 34.

Prob.3.p. ex dictis de charitate: nam omnis christianus debet præferre bonum, & vitam spiritualem proximi bono vitæ propriæ, & corporalis; ergo in casu necessitatis, & periculi salutis animæ tenetur à fortiori pastor exponere vitam corporalem, ut illi provideat.

Confir. nam inquit Christus Dominus, [1] *Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*, & ipse de facto, *animam suam posuit pro ovibus suis*. Et per Prophetam exprobrat malis pastoribus, *Vos dispersistis gregem meum, & ejecistis eos, & non visitastis eos, ecce ego visitabo vos super malitiam studiorum vestrorum*, & promittit meliores in lege Euangelica, *Suscitabo super eos pastores, & pascent eos*, &c.

Ad hoc inquam tenentur pastores ex justitia,& charitate, sed alii Sacerdotes in illorum defectu ad idem tenentur ex sola charitate, juxta præceptum, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Dixi autem, *quandoque*, sc. in magna necessitate, quando agitur de salute animarum: nam in periculo vitæ corporalis, & secluso periculo salutis spiritualis non tenetur pastor præferre vitam proximi, nec id præcipiunt leges divinæ, vel humanæ,aut naturales.

Objic.cont.3.par. Si hoc esset,bonum privatum præferretur publico: nam conservatio pastoris spectat ad totum gregem; ergo pro salute unius non debet pastor exponere se periculo vitæ suæ corporalis.

Respon.1. Parabolam de pastore, qui nonagintanovem oves relinquit in deserto, ut unam perditam quærat, docere contrarium.

Respond.2. quod in tali casu satius esset pastorem se conservare toti gregi, quam se exponere pro unica ove; sed hic casus est rarus, & metaphysicus in præsenti statu Ecclesiæ, ubi non desunt alii, qui loco pereuntis subrogentur.

Objic.2. ex D. Bernardo, [1] *Quod est ordinatum propter charitatem, non debet militare contra charitatem*; ergo charitas pastoris pro ovibus non debet militare contra charitatem pro seipso.

Respond. dist. anteced. In paritate boni, & necessitatis, conc. in casu boni inæqualis, & si bonum ovis est notabiliter gravius, ut supponit conclusio, neg. ant.

[1] *de præc. lib.4.*

ant. nam tunc bonum animæ ovis præferri debet bono vitæ corporalis pastoris.

CONCLUSIO II.

Tenetur confessarius juvare pœnitentem, ut confessio sit integra, & valida, scilicet interrogando in iis, quæ necessariò explicanda sunt. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quatenus docet hoc sacramentum ministrari per modum judicii, & confessarium proferre sententiam ex cognitione causæ, & clavem hanc posse errare, *quando nec benè requiruntur, nec examinantur illa, quæ pertinent ad hoc judicium*; ergo & tunc Sacerdotem posse peccare; sed hęc vitari non possunt, nisi Sacerdos adjuvet pœnitentem examinando, si iste non satis explicet statum causæ, vel animæ suæ, vel circumstantias peccati; ergo &c.

Prob. 2. nam minister debet curare, ut adsint omnia requisita ad valorem sacramenti, alioqui committit, vel cooperatur, aut consentit sacrilegio: sed nisi adjuvet pœnitentem, cùm videt eum non satis explicare species, aut numerum peccatorum, faceret sacrilegium proferendo formam super materiam indebitam, aut illi cooperaretur, si hoc putaret deesse ex culpa pœnitentis, v.gr. si videret deesse debitam contritionem, vel propositum emendationis, aut satisfactionis; ergo tenetur.

Confir. nam licèt ad hoc non teneretur ex justitia, & religione, adhuc urgeret charitas in proximum, ne scilicet iste privaretur effectu sacramenti ex ignorantia, vel errore, vel infirmitate, v.g. pudore, aut timore, quibus aliqui retinentur, ne peccata quædam pudenda sufficienter aperiant, aut fortè ex malitia; ergo &c.

Confir. 2. nam si absolveret à peccatis injustitię, non imponens debitam restitutionem, ipsemet teneretur ad illam ipsam restitutionem; ergo &c.

Prob. 3. ex communi sensu Theologorum. Sacerdos in hoc sacramento se gerit ut judicem, & ut medicum; sed judex, ut justam ferat sententiam, debet reum interrogare, si non satis constet de factis, & medicus, ut apta remedia decernat, debet examinare ægrotum de statu

[1] *d.14.q.4.B.& d.17.T.et d.19.q.2.F.*

statu morbi; ergo & Sacerdos, quando pœnitens non satis aperit peccata sua, & morbos suos.

Objic I. Confessio se tenet ex parte pœnitentis, sicut & contritio, & satisfactio: sunt enim *actus pœnitentis*, ait Concilium; [1] ergo de his non tenetur curare Sacerdos, sed debet præsumere de pœnitente, quod affert necessaria, quantum est ex se, non autem interrogare.

Resp. dist. cons. Si videt eum sufficienter explicare peccata, ut præbeat materiam debitam ad sacramenti valorem cum debitis dispositionibus, conc. sin minus, neg. cons. nam alioqui Sacerdos ipse exponeret sacramentum, & seipsum sacrilegio; ideò spectat ad ejus prudentiam, & officium videre, an pœnitens sufficienter aperiat species, & numerum peccatorum, an sufficienter de illis doleat, an sit paratus satisfacere, & si ex spontanea confessione hæc non satis ostendat pœnitens, debet Sacerdos de his eum interrogare, & docere, prudenter tamen.

Dico *prudenter*, & modestè, ne si de aliquibus curiosius inquirat, doceat eum peccare in posterum potius, quàm cavere peccata, & maximè si petat extravagantia, & non quæ conveniant statui ejus, præcipuè in materia castitatis, in qua necessaria est modestia, ne ipse pœnitens scandalizetur, & inde utrique veniant tentationes: nam præstaret eum relinquere in sua ignorantia, & bona fide, si sic eum procedere viderit, quàm in illa inconvenientia cadere. Consule Ritualia, & Doctores, maximè Seraphicum Doctorem, & Salesium.

Item advertat, si pœnitens sit debitè contritus, vel attritus; & dispositus ad cavendum de cætero peccatum, & satisfaciendum, antequam absolvat, &, si alterum deesse viderit, adjuvet illum, suggerens ei motiva, quæ prudentia, & charitas dictabunt, maximè circa rudiores, aut si non proficit, remittat eos. Majorem debet adhibere diligentiam erga solitos peccare, & positos in occasione peccandi: nam raro sunt dispositi ad propositum syncerum emendationis, nisi velint recedere ab occasione, & pro habituatis expedit eos per aliquod tempus probare, & experiri emendationem.

CON-

[1] *seß.14.c.4.*

CONCLUSIO III.

IN dubiis de agibilibus debet Sacerdos sequi opinionem pœnitentis, si est probabilis.

Dixi 1. *de agibilibus*, & quidem ex parte pœnitentis, v.g. de obligatione jejunii, aut restitutionis, de levitate aut gravitate peccati: nam in his, quæ spectant ad ministerium, debet Sacerdos scire, quæ sint necessaria ad validam administrationem, v. g si agatur de sua potestate, de reservatione alicujus peccati, debet agere ex propria conscientia, non ex aliena, & quidem ex probabiliori, & tutiori, cùm agatur de valore sacramenti.

Dixi 2. *si opinio pœnitentis sit probabilis*, alioqui adhæreret errori, & ipse ageret contra suam propriam, & certiorem conscientiam. His suppositis

Prob. conclusio: nam si pœnitens agat ex propria sua conscientia probabili, non peccat; ergo non debet ei negari absolutio.

Prob. 2. quia in concursu opinionum probabilium, pœnitens habens probabilem, non tenetur sequi contrariam Sacerdotis, si hæc sibi non videatur probabilior, nec Sacerdos debet cogere pœnitentes ad sequendas suas opiniones de agibilibus; ergo non debet ei negare absolutionem, quando agit ex propria, & probabili, licèt contraria.

Objic. Si hoc esset, pœnitens, qui audivisset ab homine, quem putaret æquè doctum, vel doctiorem confessario, quòd simplex fornicatio non est peccatum mortale, aut quod lucrum ex mutuo non est illicitum, ille inquam deberet absolvi contra veram opinionem Sacerdotis; sed conf. est absurdum; ergo &c. Prob. maj. nam ille pœnitens haberet opinionem probabilem de agibilibus; ergo &c.

Resp. neg. maj. & ant. Nam illæ opiniones non possunt esse probabiles, sed sunt erroneæ, & in hoc casu deberet Sacerdos remittere pœnitentem ad doctiores, qui depellerent ab eo errores, alioqui velut pertinax esset repellendus.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De sigillo confessionis.

PEr sigillum confessionis intelligimus obligationem strictissimam confessarii ad celanda peccata audita in confessione sacramentali, & quæritur, qualis illa sit, & quo jure stabilita. Dico *confessarii:* nam in pœnitente, licèt ordinariè fiat secretè, tamen nullum habemus præceptum positivum, quo prohibeatur confessio publica peccatorum, etiam occultorum. *Cæterum*, ait Concil. Trid. [1] *quoad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, et si Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, et sui humilitatem, et aliorum exemplum, et ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit, non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda.* Id antea docuerant SS. Patres: nam inquit S. Leo [2] ad Episcopos Campaniæ, *Cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta.* Agimus ergo de secreto ex parte confessarii.

CONCLUSIO I.

C*Onfessarius indispensabiliter, et inviolabiliter tenetur ad celanda penitus peccata cognita per confessionem sacramentalem, et hoc ex jure naturali, et divino, et ecclesiastico.* Est de fide quoad 1. par. & communis quoad alia.

Prob. 1. ex Scoto docente per tres conclusiones, quod *celare peccatum in confessione detectum tenetur Sacerdos de lege naturæ, et de lege positiva Dei, et de lege positiva Ecclesiæ;* & singula probat solidè 1. ratione charitatis, 2. fidelitatis, 3. veracitatis, 4. ratione utilitatis, & unitatis.

Prob. 1. p. de lege naturæ. 1. quia observantia secreti est de lege naturæ. 2. quia hoc principium est de lege naturæ, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris;* ergo sicut nolumus secreta nostra, & maximè illa, quæ tan-

gunt

[1] *Sess.* 14. *c.* 5. [2] *Ep.* 80.

gunt famam, revelari, ita à fortiori secreta confessionis volumus servari. 3. quia eadem lege tenemur curare famam proximi quasi nostram; ergo non licet publicare peccata ejus: nam sic læditur fama ejus, cùm peccata ejus secreta publicantur. 4. quia fidelitas est de jure naturæ; sed hæc obligat ad servandum secretum nobis commissum, & maximè in confessione, in qua ad autem peccata nobis committuntur, cum pacto saltem tacito, & virtuali de servando secreto inviolabiliter. 5. quia bonum, & utilitas communitatis id exigit, ne destruatur omnis societas humana, & unitas corporis mystici, & civilis, maximè in rebus Religionis, qualis est confessio sacramentalis; sed hæc destrueretur, nisi obligatio secreti hujus esset inviolabilis, non crederent subditi superioribus, nec populi Sacerdotibus, nec ad istos recurrerent in dubiis, & pœnis spectantibus ad salutem animæ suæ, dum eos consulerent, non servarent secretum, sed infirmitates publicarent; &c. ergo ex omni jure naturæ secretum confessionis hujus est inviolabile.

Prob. 2. p. de jure divino: nam Christus instituit confessionem ex intentione, ut frequentetur; ergo prohibuit manifestationem, ex qua redderetur odiosa, imò & intolerabilis. Quis enim vellet aperire homini loquaci peccata, quæ vix sibimet dicere potest cogitatione, & pro quibus apud semetipsum erubescit?

Confir. ex præcedenti ratione: nam illa capita juris naturæ, quibus probatur necessitas hujus secreti, cadunt etiam sub præceptum divinum positivum; ergo secretum hoc est de jure divino positivo, maximè in re sacramentali; unde fit, ut ejus violatio sit & grave peccatum mortale, & enorme sacrilegium. Prob. ant. nam lege positiva divina præcipitur, [1] *Omnia, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, hoc facite illis: hoc est enim lex, et Prophetæ*. Et, [2] *prout vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis*. Et, *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*. Et hæc lex positiva respondet huic axiomati, *Quod tibi vis fieri*. Idem est de cura famæ: nam dicitur, [3] *Curam habe de bono nomine*. Idem de fidelitate: nam dicitur, [4] *Qui fidelis est, celat amici commissum*. Idem de unitate: nam

[1] *Matth.7.* [2] *Luc.6.*
[3] *Eccl.41.* [4] *Prov.22.*

nam dicitur, *multi sumus unum corpus in Christo*; & sic de aliis; ergo tam jure divino præcipitur inviolabilitas hujus secreti, quàm naturali.

Prob. 3. nam Sacerdos agit ibi personam Christi, ejus nomine audit peccatorum confessionem, & absolvit; ergo revelans audita violat jus divinum sibi commissum à Christo.

Prob. 3. p. de jure Ecclesiastico, ut patet ex sacris Canonibus: nam cap. *Omnis utriusque sexus* dicitur, *ut Sacerdos caveat omninò, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem*, & graves pœnas comminatur, *quoniam qui peccatum in pænitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad perpetuò agendam pænitentiam in arctum monasterium detrudendum*. Idem in substantia decernit S. Gregor. cap. *Sacerdos*.

Confir. ex perpetuo, ac inviolabili usu totius Ecclesiæ, quæ numquam in casu ullo permisit violari hoc sigillum, sed severissimè punivit transgressores. Ideo narrat Sozomenus, quod *Patres destinabant huic ministerio presbyterum vitæ integritate quàm maximè spectabilem, secretorum etiam maximè tenacem*. Et S. Paulinus laudat S. Ambrosium, quod *causas criminum, quas illi confitebantur, nulli, nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur*. Nota sequentia. *Bonum relinquens exemplum posteris Sacerdotibus, ut intercessores magis sint apud Deum, quàm accusatores apud homines*.

Dixi *inviolabiliter*: nam cùm secretum hoc sit de jure naturali, & divino positivo, nullus homo in hoc dispensare potest, nec legitur in eo unquam fuisse dispensatum. Ratio est, quia in his non potest dispensari, nisi in concursu majoris boni; sed non potest concurrere majus bonum cum bono hujus secreti; ergo non potest in eo dispensari. Patet maj. nam in præcepto *non occides*, potest concurrere necessitas conservandæ propriæ vitæ contra injustum invasorem, & tunc licet istum occidere, *servato moderamine inculpatæ tutelæ*, &c. Prob. min. quia nullum bonum provenire potest ex revelatione confessionis, quod prævaleat bono sacramenti, nec charitatis, nec fidelitatis, nec veracitatis, nec unitatis corporis mysti-

ti, & totius Ecclesiæ; ergo &c.

Objic.1. ex D.Bernardo, *Quod est institutum propter charitatem, non debet militare contra illam;* sed celatio secreti hujus sæpe militat contra charitatem magis urgentem; ergo aliquando celatio illa non obligat, sed mala est. Prob.min. celatio illa est propter bonum famæ hominis privati, & sæpe nocet bono publico communitatis, & reipublicæ; sed istud prævalet privato; ergo &c.

Resp.neg.1. min. & 2. maj. nam hæc celatio respicit etiam bonum sacramenti, & totius Ecclesiæ, & Religionis, quorum sanctitas, & unitas læderetur per revelationem hujus secreti, ut diximus.

Inst.1. Jure naturali, & divino charitas incipit à se ipso, & bonum vitæ ipsius Sacerdotis prævalet bono famæ, aut vitæ pœnitentis; sed aliquando celatio hujus secreti nocere potest vitæ Sacerdotis; ergo tunc non tenebitur celare. Prob. min fieri potest, ut pœnitens confiteatur conspirationem in caput Sacerdotis, quando ingredietur domum suam, v. g. sed tunc Sacerdos non posset abstinere ab ingressu domus suæ, quin ad extra uteretur cognitione accepta in confessione, & sic pœnitens id cognosceret; ergo &c.

Resp.dist.maj. à seipso, cæteris paribus, & absolute, conc semper, & in omni casu possibili, neg.maj. & conf. nec enim puto confessarium posse revelare confessionem, sicut nec fidem negare ad tuendam propriam vitam. Casum autem illum vix puto possibilem, scil. quod non posset Sacerdos vitare mortem illam, nisi revelando confessionem, quia posset sub multis speciosis prætextibus abstinere ab ingressu domus, aut alterius loci, in quo paratæ essent insidiæ, absque eo, quod ille pœnitens posset certò dicere Sacerdotem uti notitia confessionis, aut revelare peccatum confessum.

Inst.2. Revelatio secreti hujus potest esse majus bonum, quàm ejus celatio; ergo hæc non semper obligat indispensabiliter. Prob.ant. nam conferre potest ad gloriam Dei, ad vitandam ejus offensam, & inde peccatores averterentur à peccato; sed gloria Dei, & vitatio ejus offensæ est majus bonum, quam celatio talis secreti, quia hæc respicit bonum creaturæ, v. gr. bonum famæ pœnitentis; ergo &c.

Resp.neg.ant.& dist. maj. Potest conferre ex fine extrin-

trinseco, & per accidens, conc. ex fine intrinseco, & per se, neg. maj. & min. nam finis extrinsecus secreti confessionis est Dei gloria, quæ venit ex confidentia peccatorum, qui sic alliciuntur ad pœnitentiam, à quo averterentur magis, quàm à peccato, si putarent peccata confessa posse manifestari. A peccatis autem, si non deterrentur comminatione pęnæ æternæ, non deterrebuntur timore manifestationis, quam non timebunt abstinentes ab eorum confessione.

Objic. 2. Alia jura naturæ non obligant super omnia, nec indispensabiliter; ergo nec istud secretum: non enim major est ratio de isto, quàm de aliis. Prob. ant. per casum vitandæ propriæ mortis per mortem injusti invasoris; ergo &c.

Resp. dist. ant. Si alia jura fortiora non concurrant, conc. si alia concurrant, neg. ant. & 2. conf. nam in casu vitandæ mortis contra invasorem, militat solum jus naturæ; sed in sigillo isto militant jura naturale, Divinum, & Ecclesiasticum.

Objic. 3. Si numquam possit revelari peccatum auditum in confessione, ipsa confessio fieri poterit impossibilis ipsi confessario; sed hoc est inconveniens; ergo &c. Prob. maj. fieri posset, ut Sacerdos absolveret Episcopum à simonia sine debita facultate, & sic peccaret gravissimè per absolutionem invalidam; sed non posset hic confiteri tale peccatum, quin confessarius alter cognosceret peccatum Episcopi; ergo secretum confessionis Episcopi fieret impossibile ejus confessario. Prob. min. nam iste deberet aperire circumstantiam dignitatis simoniaci, ex qua crescit notabiliter peccatum, & non adesset alius Episcopus, de quo posset suspicari.

Resp. ex Scoto [1] neg. 1. maj. & 2. min. & antec. nam posset ille Sacerdos vel differre confessionem, donec haberet confessarium, qui non cognosceret Episcopum, perinde enim esset, ac si deesset opportunitas confitendi, ut sic posset celebrare, vel posset tacere circumstantiam illam dignitatis personæ simoniacæ, quæ est aggravans, sed non specificans peccatum; dicendo absolvi invalidè hominem à gravissimo peccato reservato Papæ. *Plus enim tenetur ad præceptum non prodendi culpam, quam ad confitendum explicitè peccatum*

[1] *ibid.* N. 21.

tum suum, ait Doctor. Et sic non obligaret praeceptum integritatis confessionis.

Dicerem etiam, quod cùm secundus confessarius teneretur eadem obligatione secreti quoad Episcopum, & quoad illum Sacerdotem, non esset inconveniens, quod iste Sacerdos id explicaret, neque per hoc violaret sigillum: nam peccatum tam Episcopi, quàm confessarii ejus manerent sub sigillo.

Objic.4. Sequeretur confessarium non posse vitare hominem, quem ex confessione sciret excommunicatum; sed conf.est contra sacros Canones, cap. *Cùm non ab homine*, scil.excommunicatus occultus debet vitari ab eo, cui notus est. Prob. maj. nam si vitaret, uteretur exterius notitia confessionis, & pœnitens videret peccatum suum publicari; ergo &c.

Resp.neg.min.& 2.conf. nam Canones non loquuntur de notitia per confessionem, quæ non obligat, imò nec permittit vitare excommunicatum.

Objic.5. Antiqui Patres addicebant publicæ pœnitentiæ eos, qui gravia peccata, etiam occulta, confitebantur sacramentaliter: nam viris adulteris, aut idololatris negabant absolutionem, donec quatuor classes pœnitentiæ publicæ decurrissent: mulieres autem adulteras mittebant ad existentes, qui erãt quarti gradus, seu classis; sed hæc fieri non poterant, quin publicarentur eorum peccata, ergo tunc confessio non erat tam secreta: nam ex pœnitentia publica agnoscebantur peccata.

Resp. Quidquid sit de maj. neg. mĩn. nam multi ex humilitate, & devotione stadium illud pœnitentiæ decurrebant æquè, ac peccatores publici; unde si aliqui ex confessione secreta illis pœnitentiæ gradibus addicebantur, non ideo, nec illicitò credebantur peccatores, nec rei atrocium criminum. Adde, quod hinc non poterant determinatè sciri species peccatorum, quia pro diversissimis eædem pœnæ imponebantur.

Objic.6. Multi graves Theologi docebant ante hoc sæculum prælatos posse uti notitia confessionis ad externam Ecclesiæ, aut Religionis gubernationem; sed sic infringitur sigillum confessionis; ergo istud non est inviolabile.

Resp.dist.maj. Docebant erroneè, & malè, conc. ve-

rè,

rè, & benè, neg.maj. & conſ. Unde ut abuſus ille tolleretur, Clem. VIII. decrevit, *ut tam ſuperiores pro tempore exiſtere, quàm confeſſarii, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſimè, ne ex notitia, quam de aliorum peccatis ex confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur*.

Colliges 1. ex dictis, quod violatio hujus ſigilli opponitur multis virtutibus, ſc. charitati, fidelitati, juſtitiæ, ac Religioni: nam violatur res ſacratiſſima, ſpectans ad ſacramentum, & avertit homines ab ejus frequentatione.

2. Quod ex oppoſitione ad Religionem revelatio cujuſcumque peccati, etiam leviſſimi, eſt grave peccatum, quia ſemper æqualiter lædit ſacramentum, nec in hoc attenditur levitas materiæ, ubique eſt idem ſacramentum, reſpiciens æqualiter levia, & gravia peccata in ratione ſacramenti.

3. Hanc obligationem urgere pro omnibus peccatis auditis in confeſſione ſacramentali, ſive compleatur ſacramentum, ſive non, ut cùm pœnitens dimittitur ſine abſolutione: nam ſemper hæc peccata committuntur Sacerdoti in ordine ad ſacramentum, & per conſequens ſub eodem ſecreto, nec magis poteſt revelare reſervata, quàm alia.

CONCLUSIO II.

Non ſolum confeſſarius tenetur ad hoc ſigillum, ſed etiam, qui ex confeſſione ſacramentali norunt peccata quomodocumque. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd non ſolum confeſſor, ſed & is, cui confeſſor revelat, licèt illicitè, tenetur celare. Idem eſt de illo, qui audit confeſſionem confitentis, quique eſt alius à confeſſore; ſi enim audit caſualiter, non peccat, tenetur tamen ad ſilentium; ſi verò dolosè, mortaliter peccat*. Idem docet de interprete, & conſulente.

Prob. 2. Nam omnes omninò debent eandem reverentiam ſacramento; ſed ſigillum pertinet ad reverentiam ſacramenti; ergo omnes obligat, qui ex illo quovis modo cognoſcunt peccata, quæ dicuntur in ordine ad illud.

Confir.

[1] *ibid. H. 13.*

Confir. nam eædem rationes faciunt pro illis omnibus æquè, ac pro confessario.

Prob. 3. discurrendo per omnes casus, & modos, & personas, quæ præter confessarium possunt audire talia peccata, sive mediatè, & indirectè, sive mediatè, & directè. 1. is, cui confessarius malitiosè, aut imprudenter diceret peccata, ut audita in confessione: nam inquit Doctor, *transferens in aliquem aliquid, quod non potest, nec debet transferre, non dat illi jus utendi re translata.* Non enim potest dare plus juris, quam ipse habeat; sed ipse confessarius non habet jus utendi cognitione peccati confessi; ergo nec ille, cui confessarius sic revelaret.

2. Qui audit peccata, dum pœnitens confitetur, ad idem tenetur: nam respectu ejus, secretum est sacramentale, sicut & ipsa confessio directa ad Sacerdotem, & ad finem Sacramenti; ergo quoad secretum est eadem obligatio cujuscumque audientis, sive ex casu, sive ex malitia.

3. Interpres, si adhibetur à pœnitente: nam iste concurrit ad sacramentum, & in ordine ad illud audit hæc peccata; ergo eadem est ejus obligatio, ac Sacerdotis, cum quo constituit unam personam, & uterque se habet ut unus confessarius.

4. Consiliarius, quem consulit confessarius, si peccatum, aut personam revelet imprudenter, aut illicitè: nam pro isto hæc notitia est etiam sacramentalis, & ad sacramentum ordinatur, aut venit ex sacramento.

Confir. nam confessarius consulens non dat, nec dare potest consultori licentiam violandi privilegium confessionis, quam ipsemet non habet.

5. Idem est de superiore, ad quem recurrit confessarius, aut pœnitens pro absolutione à reservatis: nam sive absolvat per se, aut absolutionem alteri committat, semper tenetur ad secretum, quia talis notitia peccati ordinatur ad confessionem sacramentalem. Certè, si Sacerdos inferior, qui audivit, & non absolvit, tenetur sigillo, eo magis superior, qui absolvit, & perficit sacramentum per se, aut per alium.

6. Si quis fingens se Sacerdotem, excipit confessiones, eodem modo tenetur: nam dolus non eximit dolosum, & illa confessio non minus ordinatur ad sa-

cramentum, quàm si esset verè Sacerdos, nec minorem faceret injuriam sacramento. Non loquor de sacrilegio, quod est in illa fictione.

7. Idem est de confessione, quæ fieret laico in extrema necessitate ab illo, qui putaret se ad illam teneri deficiente Sacerdote: nam etiam tunc illa confessio ex intentione pœnitentis ordinaretur ad sacramentum, licèt de facto non esset sacramentalis.

Dico, *si ex intentione pœnitentis ordinaretur ad sacramentum*, aliàs enim non teneretur ad secretum, nisi ex lege naturali, & ut secretum naturale.

8. Idem est de legente chartam, in qua scripta essent peccata, quæ quis confessus est, aut intendit confiteri, si legeret eam cum Sacerdote, vel pœnitente in actu confessionis sacramentalis: nam si eam legeret extra omnem actum confessionis, esset tantùm de secreto naturali, sed in primo casu esset de sacramentali.

Quæres, *Si Sacerdos juridicè interrogetur, an audiverit tale peccatum à penitente, quomodo respondere debet?* nam si neget se audivisse, mentietur cum perjurio; si dicat se audivisse, violabit sigillum.

Respondent aliqui, quòd poterit æquivocare cum restrictione mentali, v.g. dicendo se non audivisse, sc. ut revelet audita. Ita docent multi ex nostris cum Scoto, ut Mastrius.

Respondent alii, ut Poncius, quod deberet dicere liberè se nolle respondere de his, quæ audivit in confessione, & ita persistere constanter, etiam cum periculo vitæ, hæc mihi videtur rationabilior, & dignior homine Apostolico.

CONCLUSIO III.

Omnia peccata ex confessione cognita, & circumstantiæ illorum, ex quibus posset cognosci peccatum confessum, & persona complex peccati sunt materia hujus sigilli. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] *Dico, quod non tantùm peccatum principale confitentis, & circumstantias peccati, quia circumstantiæ non possunt benè revelari sine revelatione facti, sed & secunda persona cum qua pecca-*

[1] d.21.q.2 K.16.

catur. Habes ergo totam conclusionem.

Prob. 1. p. ex dictis: nam omnia peccata, etiam venialia, sunt materia confessionis sacramentalis; ergo eorum revelatio est injuriosa sacramento.

Prob. 2. p. quia pœnitens non minus intendit, & intendere debet servare famam complicis, quàm suam; ergo si aliquando imprudenter, aut ex necessitate aliqua pœnitens dicat personã, cum qua peccavit, eadem necessitate debet celari à confessario, sicut ipse pœnitens.

Confir. nam si complex, & peccatum ejus ex confessione cognitum posset revelari, detegeretur etiam peccatum ipsius pœnitentis; ergo eadem necessitate debet utrumque celari.

Quæres, *An etiam defectus naturales pœnitentis, v. g. quod sit illegitimus, irregularis, servus, libertus, &c. An illa sint materia hujus sigilli, quamvis sint non peccata.*

Resp. affirmativè, quatenus ex sola confessione sunt cogniti, non autem si aliunde sciantur, & modò non loquatur de illis per ullum ordinem ad confessionem, poterunt tamen esse materia secreti naturalis.

Ratio est, quia ex tali revelatione pœnitens fit contemptibilior, & vilior, & inde confessio redderetur odiosa, sicque fieret gravis injuria sacramento, quia hæc sunt credita fidei confessionis, & confessarii; ergo ejus privilegio gaudere debent.

Dixi in conclusione, *Peccata, & circumstantias, & complices, ex confessione cognita*. Nam si aliunde sint cognita, nec de illis taceat confessarius, non peccat contra hoc sigillum; sed vel contra secretum naturale, aut contra charitatem; sed adhuc cavere debet, ne in his circumstantiis loquatur, in quibus videatur uti cognitione orta ex confessione.

CONCLUSIO IV.

POEnitens non potest permittere confessario, ut loquatur de peccatis confessis, nec iste uti potest hac licentia, nisi ea ipse dixerit extra confessionem.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] *Dico peccatum confessum debere celari, non est tantùm jus confitentis, sed jus com-*

[1] *ibid. L. 7.*

munitatis, quia ex opposito, sc. ex revelatione, sequeretur continua perturbatio in communitate, quia passim quilibet reputaret alium abominabilem, & non licet isti renuntiare juri communitati, licèt suo. Probat. adhuc, quia tunc confessor posita hac licentia, adhuc tenetur ad secretum ex aliis juribus, quibus pœnitens non potest renuntiare, scilicet juri divino, nec Ecclesiastico.

Prob.2. quia obligatio sigilli non est privilegium solius pœnitentis, sed est bonum sacramenti, & Ecclesiæ, & institutum à Deo, & de jure divino, & naturali; sed juribus istis non potest unus, vel alter pœnitens, nec ullus homo validè renuntiare; ergo &c.

Prob.min. nam omnis res, *per quascumque causas nascitur, per eas dissolvitur*; sed lex hujus secreti nascitur ex voluntate Dei, & ex lege naturæ, & Ecclesiæ, quæ prohibent generaliter hanc violationem; ergo &c.

Confirm. ex hac licentia, & usu ejus fieret injuria sacramento, contemneretur apud homines, quia hi non considerarent voluntatem pœnitentis, sed fragilitatem sigilli, cui tribuerent istas revelationes.

Objic.1. Qui commisit alicui secretum naturale, potest permittere, ut hoc aliis revelet; ergo idem est de pœnitente quoad peccata sua confessa. Prob. cons. quia tam potest renuntiare juri suo in istis, quàm in illo.

Resp.neg.1.cons.& 2.ant. Nam lex secreti naturalis est in favorem committentis, qui potest illi juri renuntiare sine injuria alterius; non ita est de sigillo confessionis, ut dicebamus.

Inst. Quod ego permittam confessario meo, ut revelet aliquibus peccata mea, nihil interest communitatis, vel Ecclesiæ magis, quàm si ego ipse ea revelem; sed ego possem ea revelare sine præjudicio communitatis; ergo & possum permittere confessario, ut ea revelet.

Resp.neg.ant.nam ex ea licentia,& usu ejus aperitur via Sacerdotibus revelandi confessiones impunè; inde vilescit sacramentum, cui minor exhibetur æstimatio, & reverentia, populus non curat, an id fiat ex licentia pœnitentis, vel libertate confessarii, vel natura sacra-

men-

menti. Denique illa inviolabilitas tam eſt privilegium ſacramenti, & Eccleſiæ, quàm pœnitentis; ideo non eſt in poteſtate ſolius pœnitentis in hoc diſpenſare.

Inſt. 2. De facto Sacerdos utitur hac licentia, cùm rogatur à pœnitente, ut recurrat ad ſuperiorem pro reſervatis: nam tunc Sacerdos revelat reſervata; ergo &c.

Reſp. neg. antec. nec enim debet confeſſarius dicere ſuperiori ſpeciem peccati, nec perſonam, aut ſi utrumque, vel alterutrum dicit, hoc manet ſub eodem ſigillo, & in ordine ad idem ſacramentum.

Objic. 2. Per nos pœnitens poteſt extra ſacramentum dicere peccata confeſſa, & tunc de illis poteſt loqui Sacerdos; ſed non eſt majus inconveniens, quod immediatè poſſit permittere, ut loquatur de confeſſis, quàm mediatè revelatione extraſacramentali; ergo tam de illis, quàm de iſtis poteſt loqui de licentia pœnitentis.

Reſp. neg. min. Nam, ut dicebam, ſi loquitur de revelatis extra ſacramentum, non lædit ſacramentum, nec ſigillum ejus, ſicut cùm revelat immediatè confeſſa.

Inſt. Quando dico confeſſario, ut revelet, quæ confeſſus ſum, non repetendo illa explicitè, idem eſt, ac ſi ea ſic repeterem extra ſacramentum; ſed ſi ea ſic repeto, poteſt ea revelare; ergo fruſtra eſt illa repetitio.

Reſp. neg. maj. nam in primo caſu facit injuriam ſacramento, & confeſſarius illa revelat ut confeſſa, non autem in ſecundo.

Tamen multi graves Theologi docent poſſe pœnitentem permittere confeſſario, ut revelet ſuam confeſſionem, quod licèt ſit probabile, tamen parciſſimè, & cautiſſimè utendum eſſet hac licentia, nec debet hoc doceri propter periculum ſcandali. *Ubi enim timetur periculum ſcandali*, ait S. Bonaventura, [1] *quantumcumque pœnitens licentiat Sacerdotem, non debet Sacerdos aſſumere*; ideo monet, ut Sacerdos relinquat onus pœnitenti revelandi peccatum ſuum, & ſit ipſe ſuus nuntius, non autem Sacerdos ſit nuncius pœnitentis.

[1] *d. 21. a. 2. q. 2.*

QUÆSTIO VII.

An, quomodo, & quando Sacerdos possit uti cognitione, quam habet ex confessione, salva integritate sigilli.

ATtulimus suprà Decretum Clementis VIII. quo graviter vetat Prælatis Regularium usum notitiæ habitæ in confessione sacramentali. Jam in generali quærimus, an aliquando confessarius, salva integritate sigilli, possit uti notitia illa, v. gr. si audiat paratas esse sibi insidias, aut venenum in vino consecrando, &c. possit declinare insidias, manendo domi, vel tenendo aliam viam, vel abstinendo à celebratione, licèt inde pœnitens, aut complices suspicentur confessarium in his uti notitia confessionis. Idem est de multis aliis casibus, qui facilè occurrunt, ut si confessarius novit ex sola confessione aliquem notabilem defectum in novitio, possit ex vi talis notitiæ negare illi suffragium ad professionem, An Abbas, qui ex sola confessione novit Monachum suum extra monasterium degentem in beneficio manuali habere mala quædam consortia, possit eum amovere ab illo loco, & revocare in monasterium, An qui novit ex sola confessione aliquem esse excommunicatum, possit illum vitare, aut illi negare Eucharistiam, & sic de aliis.

CONCLUSIO.

NUnquam licet uti notitia habita ex confessione sacramentali in aliquo facto, vel dicto, ex quo directè, vel indirectè cognosceretur peccatum pœnitentis, vel complicis, benè verò si absit hoc periculum. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] qui dat hanc regulam pro declinante insidias, quæ pro aliis casibus intervenire potest. *Generaliter potest dici, quod est signum* (vel factum) *quod est de se indifferens ad hoc, quod est tale peccatum esse confessum, vel non esse, licèt aliquibus sit magis signum determinatum ex aliquo supposito, non est*

[1] *d.21.q.2.M.20.*

est signum revelativum confessionis, nec per consequens simpliciter illicitum confessori; ergo ex Scoto non potest confessarius uti ea notitia in præjudicium sigilli per actum, ex quo per se cognoscatur peccatum pœnitentis, quia est signum determinatum ejus, benè verò si absit periculum notitiæ peccati, scil. si fiat per actum, qui de se id non significat determinatè, v. gr. *Sacerdos sciens ex confessione sibi paratas esse insidias in nemore, quod intraturus erat, posset aliò declinare, quia factum illud* (sc. declinatio) *ex se non est signum revelativum confessionis, esto qui confessus est, ex sua confessione concipiet declinationem illam fieri*, inquit Scholiastes.

Prob. 1. p. nam confessio est simpliciter, & absolutè secreta; ergo nullo modo publicari potest, sed per usum notitiæ ibi acceptæ, ex qua directè, vel indirectè cognosceretur peccatum pœnitentis confessum, revelaretur confessio; ergo talis usus est illicitus, si per illum directè, vel indirectè manifestetur peccatum pœnitentis, aut complicis. Ant. patet ex dictis de inviolabilitate sigilli. Prob. subs. nam qui viderent tales actus confessarii, v. gr. si parochum post confessionem negaret pœnitenti eucharistiam, certò judicarent istum habere peccata, de quibus non potuit absolvi; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam talis usus notitiæ non potest prohiberi, nisi quatenus ex eo violaretur secretum confessionis; ergo si ex eo usu non violatur hoc secretum, non est illicitus.

Confir. quia cessante periculo violationis secreti, nullo jure prohibetur, quin confessarius posset cavere sibi ab insidiis, aut à veneno, &c. per modos licitos; hoc enim est de jure naturæ; ergo &c. Prob. ant. Si quid prohiberet, maximè decretum prædictum Clementis VIII. pro Regularibus, aut sanctitas sacramenti; sed neutrum dici potest; ergo nec illud. Prob. min. 1. non decretum, sive quia non tangit, nisi Prælatos regulares, quibus id sæpius accidere potest, quia inferiores magis arctantur quoad confessarios, & ideo isti possent eis confiteri defectus, & inhabilitates suas, ne illi possent uti ea notitia sub prætextu, quod hæc illis confessi sunt. 2. non propter sacramentum, quia non est ibi periculum revelationis; ergo nec injuriæ sacramenti.

trinseco, & per accidens, conc. ex fine intrinseco, & per se, neg. maj. & min. nam finis extrinsecus secreti confessionis est Dei gloria, quæ venit ex confidentia peccatorum, qui sic alliciuntur ad pœnitentiam, à quo averterentur magis, quàm à peccato, si putarent peccata confessa posse manifestari. A peccatis autem, si non deterrentur comminatione pęnæ æternæ, non deterrebuntur timore manifestationis, quam non timebunt abstinentes ab eorum confessione.

Objic. 2. Alia jura naturæ non obligant super omnia, nec indispensabiliter; ergo nec istud secretum: non enim major est ratio de isto, quàm de aliis. Prob. ant. per casum vitandæ propriæ mortis per mortem injusti invasoris; ergo &c.

Resp. dist. ant. Si alia jura fortiora non concurrant, conc. si alia concurrant, neg. ant. & 2. cons. nam in casu vitandæ mortis contra invasorem, militat solum jus naturæ; sed in sigillo isto militant jura naturale, Divinum, & Ecclesiasticum.

Objic. 3. Si numquam possit revelari peccatum auditum in confessione, ipsa confessio fieri poterit impossibilis ipsi confessario; sed hoc est inconveniens; ergo &c. Prob. maj. fieri posset, ut Sacerdos absolveret Episcopum à simonia sine debita facultate, & sic peccaret gravissimè per absolutionem invalidam; sed non posset hic confiteri tale peccatum, quin confessarius alter cognosceret peccatum Episcopi; ergo secretum confessionis Episcopi fieret impossibile ejus confessario. Prob. min. nam iste deberet aperire circumstantiam dignitatis simoniaci, ex qua crescit notabiliter peccatum, & non adesset alius Episcopus, de quo posset suspicari.

Resp. ex Scoto [1] neg. 1. maj. & 2. min. & antec. nam posset ille Sacerdos vel differre confessionem, donec haberet confessarium, qui non cognosceret Episcopum, perinde enim esset, ac si deesset opportunitas confitendi, ut sic posset celebrare, vel posset tacere circumstantiam illam dignitatis personæ simoniacæ, quæ est aggravans, sed non specificans peccatum; dicendo absolvi invalidè hominem à gravissimo peccato reservato Papæ. *Plus enim tenetur ad præceptum non prodendi culpam, quam ad confitendum explicitè peccatum*

[1] *ibid. N. 21.*

tum suum, ait Doctor. Et sic non obligaret praeceptum integritatis confessionis.

Dicerem etiam, quod cùm secundus confessarius teneretur eadem obligatione secreti quoad Episcopum, & quoad illum Sacerdotem, non esset inconveniens, quod iste Sacerdos id explicaret, neque per hoc violaret sigillum: nam peccatum tam Episcopi, quàm confessarii ejus manerent sub sigillo.

Objic.4. Sequeretur confessarium non posse vitare hominem, quem ex confessione sciret excommunicatum; sed conf.est contra sacros Canones, cap. *Cùm non ab homine*, scil.excommunicatus occultus debet vitari ab eo, cui notus est. Prob. maj. nam si vitaret, uteretur exterius notitia confessionis, & pœnitens videret peccatum suum publicari; ergo &c.

Resp.neg.min.& 2.conf. nam Canones non loquuntur de notitia per confessionem,quæ non obligat, imò nec permittit vitare excommunicatum.

Objic.5. Antiqui Patres addicebant publicæ pœnitentiæ eos, qui gravia peccata, etiam occulta,confitebantur sacramentaliter: nam viris adulteris, aut idololatris negabant absolutionem, donec quatuor classes pœnitentiæ publicæ decurrissent: mulieres autem adulteras mittebant ad existentes,qui erãt quarti gradus, seu classis; sed hæc fieri non poterant, quin publicarentur eorum peccata, ergo tunc confessio non erat tam secreta: nam ex pœnitentia publica agnoscebantur peccata.

Resp. Quidquid sit de maj. neg. min. nam multi ex humilitate, & devotione stadium illud pœnitentiæ decurrebant æquè, ac peccatores publici; unde si aliqui ex confessione secreta illis pœnitentiæ gradibus addicebantur, non ideo, nec illicitò credebantur peccatores, nec rei atrocium criminum. Adde, quod hinc non poterant determinatè sciri species peccatorum, quia pro diversissimis eædem pœnæ imponebantur.

Objic.6. Multi graves Theologi docebant ante hoc sæculum prælatos posse uti notitia confessionis ad externam Ecclesiæ, aut Religionis gubernationem; sed sic infringitur sigillum confessionis; ergo istud non est inviolabile.

Resp.dist.maj. Docebant erroneè, & malè, conc. verè,

Confir. nam eædem rationes faciunt pro illis omnibus æquè, ac pro confessario.

Prob. 3. discurrendo per omnes casus, & modos, & personas, quæ præter confessarium possunt audire talia peccata, sive mediatè, & indirectè, sive mediatè, & directè. 1. is, cui confessarius malitiosè, aut imprudenter diceret peccata, ut audita in confessione: nam inquit Doctor, *transferens in aliquem aliquid, quod non potest, nec debet transferre, non dat illi jus utendi re translata.* Non enim potest dare plus juris, quam ipse habeat; sed ipse confessarius non habet jus utendi cognitione peccati confessi; ergo nec ille, cui confessarius sic revelaret.

2. Qui audit peccata, dum pœnitens confitetur, ad idem tenetur: nam respectu ejus, secretum est sacramentale, sicut & ipsa confessio directa ad Sacerdotem, & ad finem Sacramenti; ergo quoad secretum est eadem obligatio cujuscumque audientis, sive ex casu, sive ex malitia.

3. Interpres, si adhibetur à pœnitente: nam iste concurrit ad sacramentum, & in ordine ad illud audit hæc peccata; ergo eadem est ejus obligatio, ac Sacerdotis, cum quo constituit unam personam, & uterque se habet ut unus confessarius.

4. Consiliarius, quem consulit confessarius, si peccatum, aut personam revelet imprudenter, aut illicitè: nam pro isto hæc notitia est etiam sacramentalis, & ad sacramentum ordinatur, aut venit ex sacramento.

Confir. nam confessarius consulens non dat, nec dare potest consultori licentiam violandi privilegium confessionis, quam ipsemet non habet.

5. Idem est de superiore, ad quem recurrit confessarius, aut pœnitens pro absolutione à reservatis: nam sive absolvat per se, aut absolutionem alteri committat, semper tenetur ad secretum, quia talis notitia peccati ordinatur ad confessionem sacramentalem. Certè, si Sacerdos inferior, qui audivit, & non absolvit, tenetur sigillo, eo magis superior, qui absolvit, & perficit sacramentum per se, aut per alium.

6. Si quis fingens se Sacerdotem, excipit confessiones, eodem modo tenetur: nam dolus non eximit dolosum, & illa confessio non minus ordinatur ad sacra-

cramentum, quàm si esset verè Sacerdos, nec minorem faceret injuriam sacramento. Non loquor de sacrilegio, quod est in illa fictione.

7. Idem est de confessione, quæ fieret laico in extrema necessitate ab illo, qui putaret se ad illam teneri deficiente Sacerdote: nam etiam tunc illa confessio ex intentione pœnitentis ordinaretur ad sacramentum, licèt de facto non esset sacramentalis.

Dico, *si ex intentione pœnitentis ordinaretur ad sacramentum*, aliàs enim non teneretur ad secretum, nisi ex lege naturali, & ut secretum naturale.

8. Idem est de legente chartam, in qua scripta essent peccata, quæ quis confessus est, aut intendit confiteri, si legeret eam cum Sacerdote, vel pœnitente in actu confessionis sacramentalis: nam si eam legeret extra omnem actum confessionis, esset tantùm de secreto naturali, sed in primo casu esset de sacramentali.

Quæres, *Si Sacerdos juridicè interrogetur, an audiverit tale peccatum à penitente, quomodo respondere debet?* nam si neget se audivisse, mentietur cum perjurio; si dicat se audivisse, violabit sigillum.

Respondent aliqui, quòd poterit æquivocare cum restrictione mentali, v.g. dicendo se non audivisse, sc. ut revelet audita. Ita docent multi ex nostris cum Scoto, ut Mastrius.

Respondent alii, ut Poncius, quod deberet dicere liberè se nolle respondere de his, quæ audivit in confessione, & ita persistere constanter, etiam cum periculo vitæ, hæc mihi videtur rationabilior, & dignior homine Apostolico.

CONCLUSIO III.

Omnia peccata ex confessione cognita, & circumstantiæ illorum, ex quibus posset cognosci peccatum confessum, & persona complex peccati sunt materia hujus sigilli. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] *Dico, quod non tantùm peccatum principale confitentis, & circumstantias peccati, quia circumstantiæ non possunt benè revelari sine revelatione facti, sed & secunda persona cum qua pecca-*

[1] d. 21. q. 2. K. 16.

catur. Habes ergo totam conclusionem.

Prob. 1. p. ex dictis: nam omnia peccata, etiam venialia, sunt materia confessionis sacramentalis; ergo eorum revelatio est injuriosa sacramento.

Prob. 2. p. quia pœnitens non minus intendit, & intendere debet servare famam complicis, quàm suam; ergo si aliquando imprudenter, aut ex necessitate aliqua pœnitens dicat personã, cum qua peccavit, eadem necessitate debet celari à confessario, sicut ipse pœnitens.

Confir. nam si complex, & peccatum ejus ex confessione cognitum posset revelari, detegeretur etiam peccatum ipsius pœnitentis; ergo eadem necessitate debet utrumque celari.

Quæres, *An etiam defectus naturales pœnitentis, v. g. quod sit illegitimus, irregularis, servus, libertus, &c. An illa sint materia hujus sigilli, quamvis sint non peccata.*

Resp. affirmativè, quatenus ex sola confessione sunt cogniti, non autem si aliunde sciantur, & modò non loquatur de illis per ullum ordinem ad confessionem, poterunt tamen esse materia secreti naturalis.

Ratio est, quia ex tali revelatione pœnitens fit contemptibilior, & vilior, & inde confessio redderetur odiosa, sicque fieret gravis injuria sacramento, quia hæc sunt credita fidei confessionis, & confessarii; ergo ejus privilegio gaudere debent.

Dixi in conclusione, *Peccata, & circumstantias, & complices, ex confessione cognita*. Nam si aliunde sint cognita, nec de illis taceat confessarius, non peccat contra hoc sigillum; sed vel contra secretum naturale, aut contra charitatem; sed adhuc cavere debet, ne in his circumstantiis loquatur, in quibus videatur uti cognitione orta ex confessione.

CONCLUSIO IV.

POEnitens non potest permittere confessario, ut loquatur de peccatis confessis, nec iste uti potest hac licentia, nisi ea ipse dixerit extra confessionem.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] *Dico peccatum confessum debere celari, non est tantùm jus confitentis, sed jus com-*

R 2 *mu-*

[1] *ibid. L. 7.*

munitatis, quia ex opposito, sc. ex revelatione, sequeretur continua perturbatio in communitate, quia passim quilibet reputaret alium abominabilem, & non licet isti renuntiare juri communitati, licèt suo. Probat. adhuc, quia tunc confessor posita hac licentia, adhuc tenetur ad secretum ex aliis juribus, quibus pœnitens non potest renuntiare, scilicet juri divino, nec Ecclesiastico.

Prob.2. quia obligatio sigilli non est privilegium solius pœnitentis, sed est bonum sacramenti, & Ecclesiæ, & institutum à Deo, & de jure divino, & naturali; sed juribus istis non potest unus, vel alter pœnitens, nec ullus homo validè renuntiare; ergo &c.

Prob.min. nam omnis res, *per quascumque causas nascitur, per eas dissolvitur*; sed lex hujus secreti nascitur ex voluntate Dei, & ex lege naturæ, & Ecclesiæ, quæ prohibent generaliter hanc violationem; ergo &c.

Confirm. ex hac licentia, & usu ejus fieret injuria sacramento, contemneretur apud homines, quia hi non considerarent voluntatem pœnitentis, sed fragilitatem sigilli, cui tribuerent istas revelationes.

Objic.1. Qui commisit alicui secretum naturale, potest permittere, ut hoc aliis revelet; ergo idem est de pœnitente quoad peccata sua confessa. Prob. cons. quia tam potest renuntiare juri suo in istis, quàm in illo.

Resp.neg.1.cons.& 2.ant. Nam lex secreti naturalis est in favorem committentis, qui potest illi juri renuntiare sine injuria alterius; non ita est de sigillo confessionis, ut dicebamus.

Inst. Quod ego permittam confessario meo, ut revelet aliquibus peccata mea, nihil interest communitatis, vel Ecclesiæ magis, quàm si ego ipse ea revelem; sed ego possem ea revelare sine præjudicio communitatis; ergo & possum permittere confessario, ut ea revelet.

Resp.neg.ant.nam ex ea licentia, & usu ejus aperitur via Sacerdotibus revelandi confessiones impunè; inde vilescit sacramentum, cui minor exhibetur æstimatio, & reverentia, populus non curat, an id fiat ex licentia pœnitentis, vel libertate confessarii, vel natura sacra-

men-

menti. Denique illa inviolabilitas tam est privilegium sacramenti, & Ecclesiæ, quàm pœnitentis; ideo non est in potestate solius pœnitentis in hoc dispensare.

Inst.2. De facto Sacerdos utitur hac licentia, cùm rogatur à pœnitente, ut recurrat ad superiorem pro reservatis: nam tunc Sacerdos revelat reservata; ergo &c.

Resp.neg.antec. nec enim debet confessarius dicere superiori speciem peccati, nec personam, aut si utrumque, vel alterutrum dicit, hoc manet sub eodem sigillo, & in ordine ad idem sacramentum.

Objic.2. Per nos pœnitens potest extra sacramentum dicere peccata confessa, & tunc de illis potest loqui Sacerdos; sed non est majus inconveniens, quod immediatè possit permittere, ut loquatur de confessis, quàm mediatè revelatione extrasacramentali; ergo tam de illis, quàm de istis potest loqui de licentia pœnitentis.

Resp.neg.min. Nam, ut dicebam, si loquitur de revelatis extra sacramentum, non lædit sacramentum, nec sigillum ejus, sicut cùm revelat immediatè confessa.

Inst. Quando dico confessario, ut revelet, quæ confessus sum, non repetendo illa explicitè, idem est, ac si ea sic repeterem extra sacramentum; sed si ea sic repeto, potest ea revelare; ergo frustra est illa repetitio.

Resp.neg.maj. nam in primo casu facit injuriam sacramento, & confessarius illa revelat ut confessa, non autem in secundo.

Tamen multi graves Theologi docent posse pœnitentem permittere confessario, ut revelet suam confessionem, quod licèt sit probabile, tamen parcissimè, & cautissimè utendum esset hac licentia, nec debet hoc doceri propter periculum scandali. *Ubi enim timetur periculum scandali*, ait S. Bonaventura, [1] *quantumcumque pœnitens licentiat Sacerdotem, non debet Sacerdos assumere*; ideo monet, ut Sacerdos relinquat onus pœnitenti revelandi peccatum suum, & sit ipse suus nuntius, non autem Sacerdos sit nuncius pœnitentis.

[1] *d.21.a.2.q.2,*

QUÆSTIO VII.

An, quomodo, & quando Sacerdos possit uti cognitione, quam habet ex confessione, salva integritate sigilli.

ATtulimus suprà Decretum Clementis VIII. quo graviter vetat Prælatis Regularium usum notitiæ habitæ in confessione sacramentali. Jam in generali quærimus, an aliquando confessarius, salva integritate sigilli, possit uti notitia illa, v. gr. si audiat paratas esse sibi insidias, aut venenum in vino consecrando, &c. possit declinare insidias, manendo domi, vel tenendo aliam viam, vel abstinendo à celebratione, licèt inde pœnitens, aut complices suspicentur confessarium in his uti notitia confessionis. Idem est de multis aliis casibus, qui facilè occurrunt, ut si confessarius novit ex sola confessione aliquem notabilem defectum in novitio, possit ex vi talis notitiæ negare illi suffragium ad professionem, An Abbas, qui ex sola confessione novit Monachum suum extra monasterium degentem in beneficio manuali habere mala quædam consortia, possit eum amovere ab illo loco, & revocare in monasterium, An qui novit ex sola confessione aliquem esse excommunicatum, possit illum vitare, aut illi negare Eucharistiam, & sic de aliis.

CONCLUSIO.

N*Unquam licet uti notitia habita ex confessione sacramentali in aliquo facto, vel dicto, ex quo directè, vel indirectè cognosceretur peccatum pœnitentis, vel complicis, benè verò si absit hoc periculum.* Est communior.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] qui dat hanc regulam pro declinante insidias, quæ pro aliis casibus intervenire potest. *Generaliter potest dici, quod est signum* (vel factum) *quod est de se indifferens ad hoc, quod est tale peccatum esse confessum, vel non esse, licèt aliquibus sit magis signum determinatum ex aliquo supposito, non est*

[1] *d.21.q.2.M.20.*

est signum revelativum confessionis, nec per consequens simpliciter illicitum confessori; ergo ex Scoto non potest confessarius uti ea notitia in præjudicium sigilli per actum, ex quo per se cognoscatur peccatum pœnitentis, quia est signum determinatum ejus, benè verò si absit periculum notitiæ peccati, scil. si fiat per actum, qui de se id non significat determinatè, v. gr. *Sacerdos sciens ex confessione sibi paratas esse insidias in nemore, quod intraturus erat, posset aliò declinare, quia factum illud* (sc. declinatio) *ex se non est signum revelativum confessionis, esto qui confessus est, ex sua confessione concipiet declinationem illam fieri*, inquit Scholiastes.

Prob. 1. p. nam confessio est simpliciter, & absolutè secreta; ergo nullo modo publicari potest, sed per usum notitiæ ibi acceptæ, ex qua directè, vel indirectè cognosceretur peccatum pœnitentis confessum, revelaretur confessio; ergo talis usus est illicitus, si per illum directè, vel indirectè manifestetur peccatum pœnitentis, aut complicis. Ant. patet ex dictis de inviolabilitate sigilli. Prob. subs. nam qui viderent tales actus confessarii, v. gr. si parochum post confessionem negaret pœnitenti eucharistiam, certò judicarent istum habere peccata, de quibus non potuit absolvi; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam talis usus notitiæ non potest prohiberi, nisi quatenus ex eo violaretur secretum confessionis; ergo si ex eo usu non violatur hoc secretum, non est illicitus.

Confir. quia cessante periculo violationis secreti, nullo jure prohibetur, quin confessarius posset cavere sibi ab insidiis, aut à veneno, &c. per modos licitos; hoc enim est de jure naturæ; ergo &c. Prob. ant. Si quid prohiberet, maximè decretum prædictum Clementis VIII. pro Regularibus, aut sanctitas sacramenti; sed neutrum dici potest; ergo nec illud. Prob. min. 1. non decretum, sive quia non tangit, nisi Prælatos regulares, quibus id sæpius accidere potest, quia inferiores magis attactantur quoad confessarios, & ideo isti possent eis confiteri defectus, & inhabilitates suas, ne illi possent uti ea notitia sub prætextu, quod hæc illis confessi sunt. 2. non propter sacramentum, quia non est ibi periculum revelationis; ergo nec injuriæ sacramenti.

Objic.1. cont. 2. par. Sacerdos non debet uti notitia ex sacramento accepta, nisi ad finem sacramenti; sed ille usus in casu conclusionis non est ad finem sacramenti; ergo non est licitus.

Resp.neg.maj. absolutè: nam sufficit, quod non sit contra finem illum, & talis usus notitiæ non est contrarius.

Objic.2. Si cessante periculo illo, usus talis notitiæ esset licitus, fideles deterrerentur à confessione; sed hoc est contra intentiones Christi; ergo & ille usus. Prob. maj. nam subditus sciens prælatum, seu confessarium posse uti notitia illa in electionibus, non auderet illis confiteri peccata, pro quibus posset ei negare votum ad professionem, aut movere ab officio; ergo &c.

Resp.neg.maj. & 2.cons. nam licèt pœnitens sciat, quòd ex confessione minui poterit ejus æstimatio apud confessarium, non deterretur à confessione peccatorum, ita nec debet deterreri ex eo, quod prævideat ista; & hæc inconvenientia sunt extra, sed non contra finem sacramenti, nisi per accidens.

Objic 3. Si ex notitia illa confessarius posset declinare insidias sibi paratas à pœnitente, aut abstinere à vino venenato complices non possent dubitare de peccato confesso; ergo confessarius non posset uti illa notitia, quin revelaret peccatum confessum. Prob.antec. nam pœnitens, & complices sciunt confessarium non potuisse sic declinare, nisi ex illa notitia, quia ex tribus v.g. qui conspirarunt, solus Petrus confessus est, & nullus alius potuit insidias declarare, nec aliunde id potuit scire confessarius; ergo semper inde revelatur confessio, saltem indirectè; ergo ille usus notitiæ semper est illicitus.

Resp.neg.ant.& 2.cons.nam illa declaratio posset fieri ex alio motivo, & causa, quàm propter insidias, & quàm ex cognitione illarum posset confessarius manere domi, aut iter facere per aliam viam, aut aliquo impedimento diverti ab egressu, &c. ideo conspiratores temerè judicabunt de peccato confesso.

Inst. Verè tamen illa declinatio fiet ex illa notitia ex parte confessarii; ergo illud judicium de peccato confesso non erit temerarium, sed verum.

Resp.dist.conf. Erit verum à parte rei, & in se, conc. ex fundamento & quoad ipsos, & quoad alios, neg.

cons.

conf. nam illud fundamentum judicii posset esse falsum ob rationes datas, non solum respectu eorum, qui nihil sciunt de insidiis, sed etiam respectu conspiratorum. Certè si ratio, aut verba haberent determinatam connexionem, saltem moralem, cum peccato confesso, in individuo, vel in specie, aut genere, aut circumstantiis, usus notitiæ esset illicitus, quia sic frangeretur sigillum, non autem quando signa, actiones, aut verba sunt æquivoca. Ideo, ut sit licitus ille usus, requiritur, ut confessarius habeat prætextus alios sic loquendi, vel agendi, quibus æquè possint tribui actiones, aut verba.

Hinc resolvi possunt plura dubia, & casus in hac materia occurrentes, & qui solent examinari, & obvii sunt apud Casuistas, v.g. confessarium, qui ex confessione audivit paratas esse sibi insidias in via, aut venenum in vino consecrando, posse manere domi, & abstinere à celebratione, v.g. prætextu infirmitatis, &c.

Item eum, qui novit ex confessione aliquem esse excommunicatum, posse istum vitare sub aliis prætextibus, qui non habeant connexionem cum confessione, alioqui non licebit ei vitare illum, ne frangat sigillum hoc sacrum; & sic de aliis, de quibus consule Casuistas, maximè apud Cardinalem de Laurea.

Quæres 1. *Si Sacerdos interrogetur de aliquo, an ipsum absolverit, quem revera non absolvit, quid debeat respondere*: nam si negat, revelat confessionem, si asserit, mentitur.

Resp multa multi, & casus est difficilis. Dicerem rectè facturum, si affirmet, quia obligatio sigilli prævalet præcepto non mentiendi, & illa affirmatio non est mendacium, nisi materiale.

Quæres 2. *An jussus sub juramento dicere, si audierit tale peccatum, quod verè audivit, possit negare.*

Resp. non teneri affirmare propter sigilli sanctitatem, & si neget, non erit perjurium, quia juramentum non obligat ad illicita.

Quæres 3. *Quid si peccator, & peccata ejus sint publica? Respondebitne se absolvisse, licèt non absolverit?*

Responderem me fecisse, quod debui. Cardin. verò cit. docet respondendum affirmativè.

Quæres 4. *An qui ex confessione scit hominem esse in-*

dignum professione, aut dignitate, possit ei negare suffragium.

Resp. affirmativè, modò caveat, ne conjici possit eum id facere ex notitia in confessione accepta: nam incapacitas ex multis aliis signis cognosci potest, & suffragium negari ex aliis motivis, quàm ex iis, quæ ex confessione habentur.

Quæres 5. *An Sacerdos extra confessionem loqui possit cum pœnitente de auditis in confessione.*

Resp. id posse de consensu libero, & licentia ipsius pœnitentis, sed non aliter, ne inde odiosa reddatur confessio propter pudorem, quo afficerentur pœnitentes, si extra sacramentum deberent confessa repetere, aut refricare.

Et hæc de pœnitentiæ virtute, & sacramento dicta sufficiant ad laudem, & gloriam Dei Opt. Max. & M. D. P. ac Seraphici P. S. Francisci, sub censura Sanctæ Matris Ecclesiæ.

Hìc potuissent annecti quædam de Indulgentiis, de Purgatorio, & de Censuris Ecclesiasticis. Sed de his erit tractatus seorsim, si Deus dederit. Ad alia sacramenta properamus.

SUM-

SUMMÆ THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ

TRACTATUS XVI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

TRactatum hunc remittunt plurimi ad ultimum locum inter sacramenta, sicut ultimò solet hominibus administrari, & inde nomen habet *extremi*; sed alii magis communiter hunc ei locum tribuunt cum Patribus Concilii Tridentini, dicentibus, quòd *non modò pœnitentiæ, sed & totius vitæ christianæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum est*; quippe reliquias peccati abstergit, si quæ restant expiandæ post pœnitentiam. De illo igitur sacramento hìc disputamus.

DISPUTATIO UNICA.

De existentia, essentia, materia, & forma, ministro, subjecto, effectibus, & necessitate extremæ unctionis.

PAuca veniunt de hoc sacramento disputanda, ideò totum hunc Tractatum unica Disputatione concludemus.

QUÆSTIO PRIMA.

An, & quid sit sacramentum extremę unctionis, & de illius institutione.

Sacramentum hoc nomen habet à materia, & à subjectis, quibus conferri solet, nam materia ejus est oleum, & unctio, quæ fit ex illo; sed quia in aliis etiam adhibetur unctio, sc. in baptismo, confirmatione, & ordine; additur vox *extrema*, quia non solet dari, nisi extremè laborantibus; ideò etiam oleum istud dicitur *infirmorum*: olim dicebatur *unctio sacramenti olei*, apud veteres *unctio infirmorum*, apud Græcos *oleum sanctum*, sive *oratio cum oleo inuncta*, in Conciliis Aquisgranensi, & Tridentino *sacramentum extremæ unctionis*, apud alios *sacramentum exeuntium*, seu *morientium*.

Controversia nobis est cum hæreticis novissimis, qui nolunt hanc unctionem recenseri inter sacramenta; contra quos sit

CONCLUSIO I.

Extrema unctio est verè sacramentum novæ legis. Est de fide contra Lutheranos, & Calvinistas.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Sit ergo prima conclusio, quòd respectu finalis remissionis venialium convenit, & potest esse, & est sacramentum novæ legis, & quod extrema unctio est tale sacramentum*; ergo &c.

Prob. 2. ex Scriptura, & Conciliis: nam fundatur in illis verbis S. Jacobi, [2] *Infirmatur quis ex vobis, inducat presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum.... Et si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Hæc enim de hoc sacramento intelligit Ecclesia, & Patres, & Theologi. Unde Concil. Cabilon. circa an. 818. sub Leone III. *Juxta Beati Jacobi Apostoli documentum, cui etiam Decreta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopo benedicitur, à presbyteris ungi* de-

[1] *d.23.A.2.*
[2] *Jac.5.*

debent, & post verba Apostoli concludit, *Non est itaque parvipendenda hujusmodi medicina, quæ animi, corporisque medetur languoribus*. Idem etiam apud D. Marcum insinuatur, inquit Trident. Nam *instituta est sacra hæc unctio infirmorum tanquam verè, & propriè sacramentum novi Testamenti à C. Domino nostro apud Marcum quidem insinuatum, per Jacobum autem Apostolum fidelibus commendatum, ac promulgatum .... Quare nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam, & dilucidam Apostoli Jacobi sententiam docent hanc unctionem, vel figmentum esse humanum*, &c. Apud Marcum [1] autem legitur de Apostolis, quòd *ungebant oleo multos ægrotos, & sanabant*. Disputant autem Theologi, an illud oleum, & unctio sit eadem, de qua loquitur Jacobus, de quo vide Maldonatum. Nobis sufficiat, quod si non sit eadem in materia, est eadem in intentione, & quatenus una figurabat, & insinuabat aliam.

Confir. ex aliis Conciliis citatis pro numero sacramentorum, inter quæ numeratur istud, & novissimè Trident. [2] in quo definitur *sacramenta novæ legis non esse plura, nec pauciora, quàm septem, Baptismum.... extremam unctionem*, &c. Et infrà, [3] *Si quis dixerit extremam unctionem non esse verè, & propriè novæ legis sacramentum*, &c. *anath. sit*. Et in Moguntino præcipitur, *sacram unctionem doceant Pastores nostri esse infirmorum .... præsidium, & per Dominum traditam esse, & quam ejus jussu Apostoli primi exercuerunt*, &c.

Confir. 2. ex perpetua traditione SS. Patrum: nam Origenes pro remissione peccatorum pœnitentiam memorat, & unctionem hanc, citans prædicta verba Jacobi: *Si quis infirmatur*, &c. Et Chrysost. *Neque enim solùm, cùm nos regenerant* (Sacerdotes) *sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent*. *Infirmatur*, inquit, *inter vos aliquis* &c. Et Innoc. I. ad eadem verba Jacobi scribit, quo *non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt*, &c. Idem eisdem verbis colligit August. pluribi, Ambros. Hieron. & alii unanimiter.

Prob. 3. Nam in hac unctione adsunt omnes conditio-

[1] *Mar. 6.* [2] *Sess. 7. can. 1.* [3] *Sess. 14. can. 1.*

tiones veri sacramenti. 1. *est signum sensibile*, *est unctio externa*, 2. *ex signum efficax gratiæ*; ex S. Jacobo, *dat remissionem peccatorum*. 3. *est divinitùs institutum*, ut patebit infra; ergo habet omnes conditiones sacramenti.

Objic. 1. Si hæc unctio esset sacramentum, S. Dionysius in sua Hyerarchia Ecclesiastica, & Clemens Romanus in constitut. Apostol. non omisissent eam, quia ibi omnia Christianorum mysteria tractant ex professo; sed eam prorsus omittunt illi SS. Patres, & alii sex primorum sæculorum de illa silent; ergo ab initio nascentis Ecclesiæ unctio ista non censebatur sacramentum.

Resp. 1. argumentum esse negativum, & sic nihil concludit.

Resp. 2. neg. maj. Nam hæc mentio non erat illis ad propositum. *Dionys.* (inquit S. Tho) [1] *Non intendit determinare de sacramentis, nisi quatenus per ea innotescere posset Ecclesiasticæ hierarchiæ ordinata dispositio, quantum ad ministros, & actiones ministrorum, & recipientis*. Unde nihil etiam dixerunt de matrimonio.

Resp. 3. neg. min. Nam patet ex Origene, Chrysost. Innoc. I. & aliis, quos citavimus (vide apud Coccium) ex prioribus sæculis, quòd erat tunc in usu, & si aliqui siluerunt de illo, non sequitur, quin usitaretur, nec enim singuli omnia dixerunt.

Inst. Ille ritus ortum habuit potiùs ab ethnicis, & hæreticis Valentinianis, quàm à Christo, vel Apostolis, ut scribit Ireneus; ergo &c.

Resp. neg. ant. Nam id falsissimum est, nec id dicit Ireneus, qui loquitur de unctione mortuorum, non verò morientium, qualis est ista.

Objic. 2. Tota ratio asserendi hoc sacramentum petitur ex verbis Jacobi; sed hæc non valet, ergo malè asseritur. Prob. min. Nam Hæretici nolunt hanc Epistolam esse librum Canonicum; ergo &c.

Resp. neg. min. & ant. Nam ab omni ævo Epistola illa recipitur ab Ecclesia ut Canonica, ut patet ex Conciliis, Laodiceno, Milevit. Carthagin. Florent. & Trident. & communi calculo SS. Patrum.

Inst. 1. Hieron. & Euseb. Cæsarienses dicunt veteres non

[1] *supplem. q. 29. a. 1. ad 3.*

non agnovisse hanc Epistolam ut scriptam à D. Jacobo; ergo non est canonica.

Resp. neg.conf. Nam ab initio multa non agnoscebantur, quæ tractu temporis apparuerunt vera, ut patet de Epistola Pauli ad Hebræos, de Apocalypsi, de 2. Petri, &c.

Objic.3. Unctio, de qua loquitur S. Jacobus, erat medicinalis, non sacramentalis: nam erat similis ei, de qua loquitur Marcus, dicens, quod Apostoli *ungebant oleo multos, & sanabant eos*. Et ipse Jacobus dicit de ista, quod *oratio fidei alleviabit infirmum*; ergo neutra unctio erat sacramentalis, sed medicinalis corporibus magis, quàm animabus.

Resp. neg. ant. & conf. prob. Nam Jacobus loquitur apertè de salute animæ, & remissione peccatorum, & quod mediante gratia, quam causat in anima, alleviatur corpus, & dat animæ vires ad tolerandos corporis dolores.

Inst. Vera sacramenta non dantur per modum orationis, nec eorum efficacia pendet à fide ministri; sed hæc unctio datur per modum orationis, & ejus efficacia pendet à fide ministri, *Oratio fidei salvabit*; ergo &c.

Resp. dist. maj. Omnia, con. aliqua, neg. maj. Nam debent conferri eo modo, quo instituta sunt à Christo. Istud verò institutum est, ut conferatur deprecatoriè, & d.2.p.min. dependet à fide Ecclesiæ, con. à fide ministri seorsim, & singulariter, neg. min. nam forma ejus dicitur *oratio fidei*, quia confertur deprecatoriè in fide Ecclesiæ.

CONCLUSIO II.

Extrema unctio est sacramentum novæ legis consistens in unctione ex oleo benedicto per Sacerdotem facta infirmis extremè laborantibus, gratiam efficaciter significans.

Prob.1. ex Scoto, [1] qui sic eam describit, *Est unctio hominis infirmi pœnitentis facta in partibus determinatis corporis, cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à Sacerdote, simul verba cum debita intentione proferente, ex institutione Divina, efficaciter significans*

[1] *d.2.q.3.*

ficans curationem finalem venialium. Sic habes naturam, & effectus sacramenti hujus.

Prob. 2. Nam nostra illa descriptio coincidit cum aliis, quæ à Theologis assignantur, & sufficienter explicat naturam ejus per verum genus, & differentiam: ergo &c. Prob. ant. nam dicitur 1. *sacramenta novæ legis*, quod ponitur loco generis. 2. *consistens in unctione*, &c. Et per hoc incipit differre ab Eucharistia, pœnitentia, & matrimonio, quæ fiunt sine unctione. 3. *facta infirmis*, in quo est ultima differentia: nam baptismus, confirmatio, & ordo, in quibus intervenit unctio, non sunt pro solis infirmis. Reliqua ponuntur ad clariorem notitiam ejus. Singulæ autem particulæ patebunt ex dicendis de materia, forma, subjecto, & ministro.

CONCLUSIO III.

E*Xtrema unctio verè, & immediatè instituta est à Christo Domino*. Est de fide post Concil. Trid. contra quosdam antiquiores putantes eam fuisse institutam ab Apostolis immediatè, aut à Spiritu S. ut putat S. Bonaventura, & multo magis contra dictos Hæreticos.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, *hoc sacramentum fuisse institutum à Christo, ut patet d. 2. q. 1. Jacobus autem non erat nisi promulgator, seu præco*, &c.

Prob. 2. ex dictis de sacramentis in communi, quia de isto eadem est ratio, ac de aliis. Unde Conc. Trid. dicit, [2] *Omnia septem sacramenta fuisse à D. J. Christo instituta*; ergo & istud, quod est unum ex septem.

Confir. ex Concil. Senonensi an 1528. ubi dicitur istud fuisse à Christo Domino institutum nominatim, & in eodem Trident. [3] *instituta est autem hæc sacra unctio infirmorum, tanquam verè, & propriè sacramentum novi Testamenti à C. D. nostro*, &c.

Prob. 3. ex Patribus. Nam inquit S. August. post dicta verba S. Jacobi: *Ergo si roges de te fieri, & pro te, sicut dixit Apostolus Jacobus, imò per Apostolum suum Dominus; ipsa videlicet olei sacrati delibutio intelligitur Spiritus S. typicalis unctio*, &c. ergo S. August. seu

[1] *Ibid. E. 6. Sess. 7. can. 1.*
[3] *cà. 10. Sess. 14. c. 1.*

seu author illius libri censet, quod instituit illam unctionem. Idem dicendum cum iis, qui putant unctionem, quam usurpabant Apostoli vivente Christo, fuisse eandem, quam præcipit Jacobus, hoc enim non fecissent, nisi ejus jussu.

Prob. denique: nam Christus ipse instituit alia sacramenta; ergo & istud.

Objic. 1. Si Christus instituisset istud, id de illo constaret, sicut de aliis; sed non constat ullibi de isto, sicut de aliis, ut patet legendo Scripturas; ergo &c.

Resp. neg. min. Nam sufficienter constat ex Euangelio Marci, [2] in quo insinuatur, ut loquitur Tridentinum, & ex Ep. Jacobi, à quo publicatur; nihil enim publicarunt Apostoli, nisi ex jussu Christi, *docentes servare omnia, quæcumque mandavi vobis.*

Objic. 2. Si Christus istud instituisset, etiam illud administrasset, sicut alia, sed istud non ministravit; ergo nec instituit.

Resp. neg. maj. Non enim dubitatur, quin instituerit Confirmationem, & Matrimonium, & neutrum legitur ministrasse.

QUÆSTIO II.

De materia, & forma extremæ unctionis.

Agitur de materia tam remota, quàm proxima. *Remota* est res, quæ assumitur ad significandam gratiam, *Proxima* est applicatio talis rei, maximè in sacramentis, quæ consistunt in usu. Agitur etiam de forma præcisa, & necessaria, sicut de aliis sacramentis; Item de modo illam pronunciandi; an scil. proferatur indicativè, aut deprecativè.

CONCLUSIO I.

Materia remota extremæ unctionis est oleum olivæ consecratum ab Episcopo, proxima autem est unctio ex eodem oleo. Est communis.

Prob. ex Scoto cit. [2] *Cum oleo, nec oportet ibi aliquid confectum ex oleo, & balsamo, ut in materia confirmationis;* ergo sufficit oleum. *Consecratio autem Epi-*

[1] *Mar.6.* [2] *ibid.D.5.*

Episcopalis est necessaria ad hoc, ut sit materia apta, &c.

Prob. 2. ex Concil. Cabilon. [1] III. sub Leone III. ubi *habetur*, *quod infirmi oleo*, *quod ab Episcopo benedicitur*, *à presbyteris ungi debent*. Et Florent. in Decreto unionis, *Quintum sacramentum est extrema unctio*, *cujus materia est oleum olivæ*. Et Trid. [2] *Intellexit Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum*. Denique ex praxi Ecclesiæ, quæ id præcipit in Ritualibus, & docet in Catechismo Romano.

Confir. ex S. Jacobo dicente, *ungentes illum* (infirmum) *oleo*. Unde Theophilactus addit, *est igitur oleum ad labores utile*, *& lucis fomentum*, *& hilaritatis effectivum*, *& significat misericordiam Dei*, *& gratiam Spiritus*, *per quam à labore liberamur*, *& lucem*, *& gaudium*, *& hilaritatem Spiritus accipimus*; ergo &c.

Prob. 2. p. ex iisdem: nam Jacobus indicat actionem, dicens, *ungentes*, &c. Et Concil. Trid. *Aptissimè Spiritus S. gratiam*, *qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur*, *repræsentat*; ergo ex Script. & Conciliis materia proxima consistit in illa unctione.

Prob. 3. ex dictis de aliis sacramentis: nam materia proxima sacramenti est id, in quod cadit immediatè forma, & quod immediatè determinatur ad significandum efficaciter gratiam; sed forma hujus sacramenti immediatè cadit in ipsam unctionem, & determinat eam ad significandam gratiam, quam efficit; ergo, &c.

Confir. Nam, ut diximus de aliis, materia proxima eorum, quæ consistunt in usu, est ipse usus, seu applicatio materiæ remotæ ad subjectum idoneum; sed extrema unctio consistit in usu, & unctio est usus, & applicatio olei, quod est materia remota; ergo &c.

Dixi 1. *oleum olivæ*, quod sc. ex baccis olivarum educitur, quod enim ex aliis fructibus educitur, non dicitur propriè oleum.

Dixi 2. *oleum consecratum*: nam ita docent Concilia citata, & Patres, & praxis Ecclesiæ. Nam inquit Innocent. I. *Quo* (oleo) *consecrato ab Episcopo*, *non solùm Sacerdotibus*, *sed & omnibus Christianis uti licet in sua*, *aut suorum necessitate inungendo*. Et S. Gregor.

[1] *Can.* 48. [2] *Ibid.*

gor. in sacramentario, *Tunc offertur pontifici oleum, & benedicit illud tam ipse, quàm omnes Presbyteri*, sc. assistentes. Et ita docent Ritualia Ecclesiæ.

Tamen illa benedictio non putatur de necessitate sacramenti, ita ut sine illa sacramentum non valeat. Nullibi enim legitur asserta hæc necessitas, nihil aliud requirit S. Jacobus, nisi *unctionem olei in nomine Domini*; ergo ad essentiam hujus unctionis sufficit, quod fiat ex oleo in nomine Domini, quod est invocandum.

Unde notat Juenin, quòd Græci utuntur oleo benedicto à Presbyteris, quod probat ex Arcadio, & Decreto Clem. VII. in instructione directa ad Episcopos Latinos, & ex approbatione S. Congregationis de propaganda fide. Et Cardinalis noster Brancatus dicit, quòd *ad faciendum istud oleum validè, sufficit quævis benedictio Ecclesiastico more facta, qua invocatur assistentia Spiritus S.* Et P. Frassen dicit, quòd *illa benedictio Episcopi non est sic necessaria, quin ex dispensatione Episcopi, vel S. Pontificis à simplici Sacerdote posset benedici*. Contrarium docet P. Mastrius noster.

Revera Scotus dicit, quod *consecratio Episcopalis necessaria est ad hoc, ut* (oleum) *sit materia apta, quia communiter in sacramentis consistentibus in usu, solus baptismus non requirit materiam consecratam*; sed Scotus non dicit de qua necessitate, an præcepti, an sacramenti.

Notant etiam Theologi non ita esse essentiale, ut oleum istud sit purum, quin valeat sacramentum collatum in Chrismate, ut colligit idem Cardinalis ex cap. I. Innocentii I. & ex Concilio Vvormat. an. 868. dicente, quòd *Episcopi est chrisma conficere, quo infirmi uti debent*. Verum quidem est, nomen chrismatis genericè sumi pro quavis unctione; ideo ratione magis hoc suadetur, quia sc. Chrisma conficitur ex oleo pro majori parte cum modico balsamo; ergo non differt essentialiter ab oleo.

CON-

CONCLUSIO II.

P*Luralitas unctionum est de necessitate praecepti, non sacramenti.*

Prob.1. ex Scoto dicente, *hoc sacramentum esse unum unitate integritatis, sed non unitate indivisibilitatis*; ergo si omitterentur plures unctiones partiales, sacramentum non esset quidem integrum, sed adhuc esset verum quoad essentiam. Et clariùs dicit, quòd, *quia ordinatur ad deletionem venialium, venialia verò perpetrantur ab anima secundum unionem ejus ad carnem corruptam .... Ideo rectè in deletione talium peccatorum debet adhiberi medicamentum exterius secundum id, quod habet sensibile circa organa ipsarum potentiarum .... ideò istæ partes unguntur. Et sic patet, quod nec totum corpus debet inungi, nec una pars determinata*. Habes, cur plures adhibeantur unctiones, & quòd nulla pars sit determinata, quæ de necessitate sacramenti debeat ungi.

Prob.1.p. ex usu, & Ritualibus Ecclesiæ, & ex Catechismo Romano, in quibus designantur illæ unctiones, 5. aut 7. aut 12.

Prob.2. p.1. Quia in ejus institutione non fit mentio de pluralitate unctionum, neque ex Conciliis quidquam circa hoc determinatur; ergo &c. probat. ant. Script. non requirit absolutè, nisi unctionem, *ungentes oleo*. Et Tridentinum dicit præcisè, *quod unctio aptissimè Spiritus S. gratiam .... repræsentat*; ergo nihil dicit de pluralitate unctionum; & sicut per unicam sufficienter significatur interior unctio animæ, ita in casu necessitatis unica sufficeret.

Confir. ex usu aliquarum Ecclesiarum, & judicio universitatis Lovaniensis, quibus constat, grassante peste, sufficere unicam in organo sensus magis exposito, & de facto P. Frassen cit. & Albertus Magnus id narrant de multis Ecclesiis.

Confir.2. ex praxi Græcorum, qui non observant septuplicem illam unctionem, sed ungunt solum caput, pectus, manus, & pedes. Alii aliter. Ex quo patet hanc pluralitatem, & numerum non esse de essentia sacramenti hujus.

Objic.

[1] *Sess.14.c.1.de extr.unct.*

Objic. 1. con. 2. p. Concil. Florent. [1] in quo præscribuntur unctiones in singulis sensibus; ergo omnes sunt de necessitate sacramenti. Prob. conf. Nam Concilium ibi explicat essentiam sacramenti quoad materiam, & formam, & ex parte materiæ assignat loca ungenda; ergo illas omnes unctiones æqualiter assignat ut necessarias.

Resp. neg. utramque conf. Nam licèt assignet materiam proximam, & remotam, sc. oleum, & unctiones, non tamen determinat, an omnes sint de materia necessaria ad valorem, sed ex præcepto.

Inst. Assignat æqualem necessitatem de singulis; ergo de singulis est absoluta. Prob. ant. *Ungendus est* (infirmus) *in oculis propter visum, in auribus propter auditum*, &c. sc. quia in singulis æquè peccamus; ergo æqualis est necessitas in singulis.

Resp. neg. conf. Nam unica unctione possent exprimi peccata omnia singulorum, unde arguitur pura necessitas præcepti fundati in illis rationibus, sed non sacramenti, prout de facto creditur institutum.

Objic. 2. Non est major ratio de ulla, quam de omnibus; ergo vel omnes sunt necessariæ, vel nullæ.

Resp. neg. conf. Nam licèt omnes integrent sacramentum, si tamen aliqua, vel aliquæ tantùm in casu necessitatis fiant, & aliæ omittantur, valebit quoad essentiam.

Objic. 3. ex S. Thoma, [2] *Illa unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad 5. sensus, quasi de necessitate sacramenti*, ergo censet omnes esse sic necessarias.

Resp. neg. conf. Non enim loquitur absolutè, sed dicit, *quasi*. Imò notat, quòd *quidam non servant alias, quidam verò servant illam, quæ ad pedes, & non quæ ad renes*, &c. ergo non putat absolutè omnes esse de necessitate sacramenti. Unde S. Carolus monet, *ut ministraturus mulieribus renes ne ungat*.

Peccaret igitur, qui unam, aut plures omitteret extra casum necessitatis.

CON-

[1] *decr. un. Arm.* [2] *3.p.q.32.a.6.supplem.*

CONCLUSIO III.

F*Orma sufficiens, & necessaria hujus sacramenti consistit in illis verbis, aut æquivalentibus*. Per istam sanctam unctionem, & piissimam misericordiam parcat tibi Dominus, quidquid narium.... deliquisti.

Prob. 1. ex Scoto cit. qui hanc in terminis tradit.

Prob. 2. ex Conc. Trid. [1] & Florent. cit. & ex praxi Ecclesiæ, ut patet ex Ritualibus.

Objic. sacramenta non solent conferri verbis deprecativis; sed hæc forma constat verbis deprecativis; ergo &c. Prob. maj. sacramenta debent significare, quod causant gratiam, & quidem infallibiliter, ut patet in omnibus aliis, *baptizo te*, &c. *confirmo te*, &c. sed forma deprecativa neutrum significat; ergo &c. Prob. min. forma deprecativa non significat causari, sed impetrari gratiam, & quæ impetrantur, pendent ex Dei beneplacito, nec habent infallibilitatem; ergo &c.

Resp. dist. maj. Aliqua sacramenta, conc. nulla, neg. maj. & dist. min. forma deprecativa, quam Christus non sic instituit, con. Nam Deus tam infallibiliter confert gratiam per sacramenta, quæ Christus instituit conferri deprecatoriè, quàm per illa, quæ voluit conferri indicativè, & tale est istud, quod S. Jacobus promulgavit sub hac forma.

Quæres, *an valeret, si daretur in forma indicativa*.

Resp. probabiliter, quod valeret, v. gr. si diceres, *ungo te oleo sancto*, &c. Nam olim in aliquibus Ecclesiis sic dabatur, ut in Mediolanensi tempore S. Ambrosii, ubi dicebatur: *ungo te oleo sanctificato in nomine Patris .... ut more militis uncti præparatus ad certamen, aereas possis superare potestates*. Et in Ecclesia Veneta, approbante Leone X. *Ungo te oleo sancto, ut hac unctione protectus, fortiter stare valeas adversus aereas catervas, in nomine*, &c. Idem ferè colligitur ex S. Gregorio, *inungo te oleo sancto*, &c. sed non est probabile illas Ecclesias errasse, & invalidè fecisse hoc sacramentum; ergo &c.

Sed quidquid sit de illis modis, certum est in Ecclesia tam Græca, quàm Latina formam proferri deprecato-

[1] *Sess. 14. c. 1.*

catoriè. De Græcis testatur Arcudius, [1] *apud Græcos forma est deprecatoria, ut apud Latinos;* de istis verò patet ex Ritualibus. Unde Scotus dicit, *hanc formam continere septem orationes à Sacerdote cum septem unctionibus principalibus proferendas.* Unde sine peccato mortali non potest aliter proferri.

Quæres 2. *An omnia singula illa verba sint de essentia formæ.*

Resp.1. Non omnem variationem esse substantialem. Ideò dixi eam consistere *in his verbis, aut æquivalentibus.*

Resp.2. cum Mastrio, & aliis, posse sufficere, si diceretur, *per istam sanctam unctionem indulgeat,* vel *parcat,* vel *remittat tibi Deus, quidquid peccasti;* sed tu sequere formam in Ritualibus præscriptam.

QUÆSTIO III.

De ministro hujus sacramenti.

Singula sacramenta suos habent ministros, sed quædam habent tales, ut ab eis dependeat valor sacramenti, solus baptismus nullum habet determinatum, saltem in casu necessitatis, sed confirmatio, & ordinatio debent fieri ab Episcopo, de via ordinaria, Eucharistia, & pœnitentia à solo Sacerdote, de Extrema unctione id quærimus.

CONCLUSIO I.

Extremæ unctionis minister sufficiens est solus Sacerdos, ita ut non valeat, nisi à solo Sacerdote rectè ordinato. Est de fide contra eosdem hæreticos dicentes, *nomine presbyterorum intelligi ætate seniores, aut primores in populo.*

Prob.1. ex Scoto. [2] *Quod dicitur, ministrata à Sacerdote, exprimit ministrum idoneum, non solum qui licitè exerceat, sed qui solus sacramentum ministret, ita quòd si alius attentaret, nihil faceret, sicut si non Sacerdos attentet conficere Eucharistiam;* ergo tam necessarius est Sacerdos ad hoc sacramentum, quàm ad Eucharistiam.

P.ob.

[1] *l.5.c.5.* [2] *ibid.D.5.*

Prob.2.ex Script. Nam S. Jacobus jubet *induci presbyteros, ut orent*, &c.

Prob.3. ex Conciliis citat. Nam inquit Trid. *Si quis dixerit presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremæ unctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anath. sit.*

Prob.4. Quia cùm hoc sacramentum sit quasi pœnitentiæ consummativum, delens ejus reliquias, meritò spectat ad eundem ministrum, scil. Sacerdotem, ut idem dicat, *indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti*, cujus est dicere, *absolvo te à peccatis*; ergo ex institutione Divina solus presbyter est minister validus hujus sacramenti.

Cùm dico *Sacerdotem*, non excluduntur Episcopi, nec Abbates, aut alii Prælati superioris ordinis, quia & ipsi sunt veri Sacerdotes.

Objic.1. Dicitur, quod Apostoli vivente Christo ungebant ægrotos; sed tunc illi non erant Sacerdotes; ergo hoc ministerium non spectat ad solos Sacerdotes.

Resp.1. neg. suppositum maj. sc. quod illæ unctiones fuerint sacramentales, sed curativæ, & prænuntiativæ unctionis istius sacramentalis, ut loquitur Tridentinum.

Resp.2. Quod si fuerunt sacramentales, ut volunt aliqui, id fiebat ex dispensatione divina Christi, qui tunc id permittebat per potestatem excellentiæ.

Inst. Innocent.I. non solùm ad Episcopos, sed etiam ad quosvis fideles spectasse dicit hanc unctionem; ergo &c. Prob. ant. *Quo oleo ab Episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed omnibus Catholicis uti licet in sua, aut suorum necessitate inungendo*. Sed ibi loquitur de ministro æquè, ac de recipiente unctionem; ergo &c.

Prob. min. Decentius interrogaverat Pontificem, an soli Sacerdotes, excludendo Episcopos, possent hoc ministrare? Respondet, *Superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non dubium est*. Deinde dicit, *licere omnibus uti, inungendo in sua, aut suorum necessitate*; ergo, &c.

Resp.

Respondeo 1. dist. 1. maj. Unctionem, quæ non sit sacramentum, sed quoddam sacramentale, con. quæ sit sacramentum verum, neg. maj. Nam sicut si Laicus ex devotione, & deficiente Sacerdote, se ipsum, vel infirmum inungeret, non faceret sacramentum, nec intenderet facere, alioqui nihil faceret, nisi peccatum sacrilegii.

Resp. 2. neg. absolutè maj. nam ibi loquitur de Unctione, non quoad confectionem sacramenti, sed quoad susceptionem, & utilitatem pro suscipiente, non pro ministro, cùm dicit, *omnibus Catholicis licet uti oleo benedicto*, &c. Nam ipse Sacerdos non ungit se ipsum, sed alios, & quidem non omnes indifferenter, sed solos fideles, & pœnitentes.

Objicies 2. Beda per Presbytéros explicat seniores; ergo censet non solos Sacerdotes, sed etiam seniores ministrare posse hanc unctionem. Prob. ant. dicit, *Infirmos moneri debere, ut seniorum adjutorio curari se meminerint, neque ad juniores, minùsque doctos causam suæ imbecillitatis deferant*, &c. ergo Beda per presbyteros intelligit seniores, seu sapientiores.

Respondeo dist. 1. an. 2. conf. Seniores in sensu morali, & mystico, con. in sensu litterali, neg. 1. ant. & 2. conf. Nam litteraliter intelligit solos Sacerdotes, qui ungant infirmos corporaliter: in sensu autem morali intelligit sapientiores, qui curent morbos spirituales animæ, ut legenti patebit.

Inst. Apud Tertullianum legitur de Monachis Ægyptiis, quod ungebant ægrotos, & idem sæpiùs legitur de aliis sanctis; sed nec isti, nec illi non erant Sacerdotes; ergo &c.

Resp. dist. maj. Unctione curativa corporum, con. unctione Sacramentali, neg. maj. & conf. Non enim novum, nec mirum, quòd Sancti viri ex devotione, & fide oleum sanctum adhiberent in creationibus miraculosis, sicut alii sumunt oleum lampadis Ecclesiæ in morbis, & vulneribus suis.

Objic. 3. Christus voluit quemlibet hominem ministrare baptismum propter ejus necessitatem; sed hoc sacramentum non est minùs necessarium; ergo quilibet posse debet istud ministrare. Prob. min. Non minùs periclitatur salus infirmorum in vita, quàm infantium in nativitate; ergo &c.

Resp.neg.min. & ant. Nam baptismus est janua sacramentorum, & non potest suppleri per aliud, & est de necessitate medii, non autem unctio ista, nec instituta est ad delenda mortalia, saltem per se.

CONCLUSIO II.

HOc *sacramentum posset validè ministrari à quolibet Sacerdote, sed non licitè, nisi à solo parocho, vel de ejus licentia, vel nisi in casibus necessitatis*. Est communis.

Prob.1. ex Scoto cit. *si non Sacerdos attentet conficere, nihil facit*; ergo modò sit Sacerdos, per se loquendo, facit hoc sacramentum.

Prob. 2. tum quia Scriptura non loquitur nisi de presbyteris, nec ipsa Concilia: nam inquit Trid. cit. *Ostenditur illic proprios hujus sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros*. Tum quia non exigit ullam jurisdictionem, nec confertur judicialiter, ut exigat specialem potestatem ex natura sua, ut sacramentum pœnitentiæ; sed confertur per modum orationis, & deprecatoriè, ut dictum est; ergo &c.

Prob.2. p. Nam Ecclesia hoc ministerium regulariter solis parochis reservat; & in Concil. Viennensi prohibetur specialiter Religiosis sub pœna excommunicationis *ministrare clericis, aut laicis sacramenta unctionis extremæ, vel Eucharistiæ*,&c. sc.sine licentia Episcopi, aut Parochi, & declaratur *hæc esse jura parochialia*, undè infertur hoc reservari non tantum quoad Regulares, sed etiam quoad alios sacerdotes simplices, & non parochos; ergo &c.

Confir.ex praxi Ecclesiæ,nã ubique hoc ministerium reservatur parochis,seu habentibus curam animarum.

Prob.3.p. de casibus extremæ necessitatis; in his enim non tantùm licet, sed etiam ad hoc tenetur omnis Sacerdos, qui potest adesse, tum quia tunc cessat ratio reservationis, ideo enim sic statuerat,quia Religiosi *invadebant jura parochialia*. In his autem casibus,non invadunt, sed juvant, & sustinent onera parochorum. Tum quia numquam fuit mens Ecclesiæ limitare hoc ministerium in his casibus, imò S. Carolus dicit, quod si *parochus est impeditus, aut aliàs in mora, mortisque periculum instat, hoc Sacerdos alius administret*.

Confir,

Confir. Nam Ecclesiæ decreta non dantur in perniciem animarum; sed si hæc reservatio valeret in casibus extremæ necessitatis, esset perniciosa animabus, quia plures sine hoc sacramento morerentur, & fortè perirent ejus defectu; ergo &c.

Dixi; *Imò ad hoc tenetur*, nam tunc maximè urget præceptum charitatis; ergo graviter peccaret Sacerdos, qui hoc non præstaret.

Quod autem dicimus de Parocho, à fortiori verum est de Episcopo, qui habet potestatem ordinis, & jurisdictionis eminenter, & in statu perfecto. Imò & hoc directè spectat ad Episcopum, & ad Sacerdotes in subsidium, nam inquit Innoc.I.cit.[1] *Idcircò de presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti ad languidos omnes ire non possunt. Cæterùm, si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem à se visitandum, & benedicere, & tingere chrismate, sine cunctatione potest, cujus est chrisma conficere.*

CONCLUSIO III.

Extrema unctio valide conferri potest ab unico, vel à pluribus ministris, item & licitè, modo singuli adhibeant debitam materiam, & formã. Est communior.

Prob.1.ex Scoto[2]1.p.qui in singulari designat ministrum; nempe *Sacerdotem simul verba certa, cum debita intentione proferentem*. Nam si putasset necessariò requiri plures Sacerdotes, non loqueretur in singulari.

Prob. 2. nam Concil. Florent. & Trident. loquuntur similiter de Sacerdote in singulari; ergo &c.

Confir.ex cap.[3] *Quæsivit*, ubi definitur, quòd *Sacerdos, uno clerico præsente, & etiam solus, potest ungere infirmum*. Et Innoc. I.cit. cum dicit Episcopum hoc posse, non dicit eum debere convocare Episcopos vicinos.

Confir.2. Ex receptissima Ecclesiæ praxi.

Prob. 2. p. de pluribus. 1. quia Græci adhibent septem presbyteros, ut notat Arcudius[4] *septem presbyteros numero Græcorum Ecclesia exigit sive propter peccata mortalia, sive, quia septenarius numerus in Scriptura valde commendatur.... dicerem etiam pro-*

[1] *Ibid.* [2] *Ibid.B.3.*
[3] *de verb. signi.* [4] *l.5.c.3.*

pter 7. *partes corporis, quas ungunt*. Alias convenientias hujus numeri affert Simon Thessalonicensis apud eundem Arcudium.

Probatur 2. quia cùm istud sacramentum constet pluribus unctionibus, posset ungi una pars ab uno, & alia ab alio cum prolatione formæ convenientis. Vel singuli successivè partes easdem ungerent cum verbis debitis.

Probatur 3. nam in Ecclesia Latina olim plures aderant Sacerdotes, ut scribit Ledesma apud Juenim. [1] *Dico, quod de necessitate sacramenti unus solus sufficit, sed ex decentia debent esse plures sacerdotes, & ita habet consuetudo Ecclesiæ universalis, quod plures Sacerdotes conveniunt ad ministrandum hoc sacramentum*. Vivebat hic author circa an. 1597. Nunc autem solus Sacerdos unus administrat.

Prob. 3. p. nam si unus Sacerdos adhiberet unctionem, & alter eodem tempore proferret formam, non facerent sacramentum; ergo singuli debent simul ungere,& proferre formam. prob.ant. quia S.Jacobus dicit,quod presbyteri *orent ungentes*, &c. ergo debent orando ungere, & ungendo orare; sed id non facerent, si unus solus oraret, dum alter ungeret; ergo neuter faceret sacramentum.

Probatur 2. ex dictis de baptismo; si unus ablueret, & alter diceret, *ego te baptizo*, &c. non fieret sacramentum; ergo multo minùs sic fieret istud, quod est longe minoris necessitatis.

Confirmatur. Nam in sacramentis,quæ in usu consistunt, actio ministri est materia proxima; ergo debet determinari per verba ejusdem ad significandam gratiam, quæ est effectus talis actionis; sed non rectè determinaretur per verba alterius, qui nihil ageret: unde sicut iste non ungit, non potest verè dicere, per istam S. unctionem, &c. quia respectu orantis, non esset, *ista unctio*; sed illa.

Objic.1.con. 1. p. Infirmus debet *inducere presbyteros*, non autem presbyterum; ergo si ex hoc textu colligitur institutio hujus sacramenti, requirit plures Sacerdotes, nec valet ab uno.

Respondeo neg. conf. nam Scriptura solet uti numero plurali pro singulari indifferenter, & vicissim. Sic S.

[1] *pag.798.*

Sic S. Marcus dicit, *Latrones, qui crucifixi erant cum Christo, conviciabantur ei*; Lucas verò hoc dicit de uno, *unus de his, qui pendebant latronibus, blasphemabat*, &c. S. August. de consensu Euangelistarum. ergo verba illa Jacobi de presbyteris non sumuntur in rigore, quasi plures necessariò requirantur ad hoc sacramentum.

Objicies con.2. Si plures ministrarent, vel ambo, nihil facerent, vel facerent duo sacramenta, sed neutrum dici potest: ergo plures simul non possunt dare hoc sacramentum.

Probatur maj. 1. unitas materiæ, & formæ in uno ministro requiritur ad unum sacramentum: sed ibi non esset unitas illa: ergo nec unum sacramentum; ergo nihil fieret. 2. singuli applicarent materiam, & formam; ergo singuli facerent suum sacramentum; ergo fierent plura sacramenta.

Respondeo, quod omnes simul facerent unum sacramentum unitate morali, & formali, sicut si plures simul proferant verba consecrationis super eundem panem, facient unum sacrificium unitate integritatis: ita si omnes simul ungant easdem partes, & proferant eadem verba, aut si unus ungat oculos, & alter pedes, &c. facient unam integram unctionem, & plures partiales.

Inst. Si in consecratione panis unus proferret partem unam formæ, & alter aliam partem, nihil facerent; ergo ita est in isto, si unus ungat oculos, & alter pedes cum verbis proportionatis; prob. conf. Nam eadem est ratio de utroque sacramento.

Resp. neg. 1. conf. & 2. ant. & disparitas est, quia neutra pars verborum consecrationis habet perfectum sensum pro effectu sacramenti Eucharistiæ: benè verò in isto, ut patet, nam forma prolata in unctione pedum perfectè significat gratiam deletivam peccatorum commissorum gressu.

Inst.2. Unitas sacramenti venit ab unitate intentionis ministri qui vult facere unicum per plures unctiones: sed talis unitas non adesset in hoc casu; ergo nec unitas sacramenti: prob.min. nam singuli intenderent facere suam unctionem, & causare suam gratiam; ergo &c.

Resp.neg.min.& dist.ant.Intenderent suam unctio-

nem partialem in ordine ad unum totum sacramentum, con. sine tali ordine: neg. ant. Nam singuli intenderent suam partialem unctionem in ordine ad unam integram, & totalem. Sicut cùm plures Sacerdotes proferunt verba consecratoria super eandē hostiam, omnes simul faciunt idem numero sacramentum unitate rei, seu sacramenti, cum pluralitate actionum, & hoc intendunt facere singuli, sed in isto, res paulò aliter contingit, quia non est unum unitate indivisibilitatis, ut consecratio illa.

Objic. con. 3. p. In sacramento pœnitentiæ minister adhibet solam formam, & pœnitens materiam, sc. peccata per confessionem, & contritionem; ergo si unus sacerdos adhiberet unctionem, & alter proferret verba, adhuc facerent sacramentum. Idem est de Eucharistia, & matrimonio, in quibus idem minister non facit utrumque.

Resp. neg. conf. & disparitas est. 1. quia pœnitentia est sacramentum judiciale, in quo requiritur reus confessus, & Sacerdos absolvens, in isto autem, idem minister facit utrumque, sc. ungit, & orat. 2. Eucharistia est sacramentum consistens in esse permanenti, nec requirit in ministro nisi prolationem formæ debitæ super panem, & vinum, istud verò consistit in usu, & actione, ac verbis ejusdem ministri. 3. In matrimonio singuli contrahentes, qui sunt ejus ministri, offerunt suam partem materiæ, & formæ in ordine ad unum totale sacramentum, & hoc facit pro nobis.

Dixi autem fieri posse *à pluribus valide*; non enim fieret licitè, quia sine gravi necessitate non debemus discedere à ritibus præscriptis in Ecclesia, quæ jam ab unico Sacerdote vult omnia fieri.

QUÆSTIO IV.

De subjecto, seu de suscipiente hoc Sacramentum.

IN subjectis sacramentorum attenduntur dispositiones *naturales*, v.g. ætas adulta, & usus rationis, & status viæ, & *morales*, ut sint baptizati, in statu gratiæ, si sint sacramenta vivorum, &c. De quibus dicendum quoad sacramentum extremæ unctionis.

CON-

CONCLUSIO I.

Nec mortui, nec sani, nec infantes, nec perpetuò amentes, aut furiosi, seu carentes usu rationis, sed solus christianus viator, habens usum rationis, & infirmus, est subjectum legitimum hujus sacramenti. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Subditur, hominis infirmi; ideo non debet conferri sano, nec qualitercumque exposito periculo mortis, nec qualitercumque infirmo, sed periculosè, ita quod probabiliter immineat sibi exitus de statu viatoris ad terminum.... excluduntur non utentes ratione, ut parvuli.... excluduntur amentes, & furiosi, & hoc, nisi per voluntatem præcedentem expressam præsumantur illud velle;* ergo &c.

Prob. 1. p. Nam sacramenta non sunt instituta nisi pro viatoribus, nec mortuis adhibetur medicina; ergo &c. ant. patet ex dictis de Sacramentis in communi.

Prob. 2. p. ex script. qua constat hoc Sacramentum institutum esse pro infirmis. *Infirmatur quis ex vobis*, &c. Et ideo dicitur sacramentum, & *oleum infirmorum*; ergo non debet dari sanis, sed infirmis, & periculosè, ita ut probabiliter timeatur mors eorum, & ideò dicitur *unctio extrema*.

Confirm. ex Conciliis cit. Nam inquit Florent. hoc sacramentum, non nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari debet. Et Trid. cit. *Extremæ unctionis Sacramento finem vitæ tamquam firmissimo præsidio muniviâ* (Christianum.) Et loquens de effectu ejus dicit, quod *ægroti animam alleviat, & confirmat.... fiduciam divinæ misericordiæ excitando, qua infirmus sublevatur, & morbi incommoda, & labores leviùs fert*, &c. *Declaratur etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis verò præsertim, qui tam periculosè decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur, unde & sacramentum exeuntium nuncupatur*, &c. Et ut docebat Concil. Mogunt. sub Leone IV. *Unctio hæc infirmis danda est, de quorum salute multum timetur.*

Prob. 3. p. De infantibus ante usum rationis. Nam istis nulla sunt delenda peccata; ergo illis non prodesset hoc sacramentum.

Confir. Nam ex sua institutione debet peti ab infirmis,

[1] *Ibid. B. 3.*

mis, sed infantes ante usum rationis non sunt capaces talis desiderii; ergo &c. prob. nam dicit Apostolus, *Si quis infirmatur ex vobis, inducat*, seu advocet *presbyteros*, &c.

Prob.4.p. De perpetuò amentibus; eadem ratione, sc. isti non habent peccata delenda, quæ deletio est primarius finis hujus sacramenti, nec sunt capaces desiderii ejus, nec vocandi presbyteros; ergo &c.

Idē est de furiosis, nō qui habent lucida intervalla, aut qui non habuerunt usum rationis, in quo potuerint illud desiderare, aut de facto petierint; alioqui nō esset eis denegandū, neque amentibus in simili casu.

Objic.con.1.p. Olim ungebantur corpora defunctorum, & per hanc unctionem credebatur eos juvari; ergo hæc unctio dari potest mortuis.

Resp. Ungebantur, & credebantur juvari velut per quoddam sacramentale; con. velut per sacramentum, neg.ant. eodem modo, & intentione asperguntur aqua benedicta.

Objic. con. 3. p. Infantes sunt capaces gratiæ, & augmenti ejus; sed hoc sacramentum confert augmentum gratiæ; ergo dandum est illis.

Resp. dist. min. Confert augmentum illis, pro quibus institutum est: con. absolutè, & indifferenter omnibus, neg. min. quia non fuit institutum nisi pro illis, qui habent peccata delenda; & possunt illud desiderare, quales non sunt infantes.

Inst. Pueri sunt capaces confirmationis, & ordinis; ergo & hujus unctionis.

Resp.neg.conf. & disparitas est, quia illa imprimunt characterem, cujus capaces sunt pueri; istud verò nihil imprimit. Denique non ita placuit Christo, ut docemur ab Ecclesia divinæ mentis interprete infallibili, & fideli depositaria.

CONCLUSIO II.

Suscipiens hoc sacramentum debet esse in statu gratiæ: Non autem necesse est, ut actu habeat venialia, modo aliquando fuerit peccator. Est communis quoad 1.p.

Prob.1. ex Scoto cit. nam, inquit, *nullus est capax hujus sacramenti dignè, nisi sit in gratia. Istud enim sacramentum non est remedium acquirendi gratiam*, &c. Et si ergo infirmus habet mortalia, debet priùs pœnitere, & absolvi.

Prob.

Prob.2.ex Conc.Trid. *Hæc unctio, si quæ sint delicta expianda, ac peccati reliquias abstergit*. Et supra dixerat *hoc sacramentum esse pœnitentiæ consummativum*; ergo supponit infirmum in statu gratiæ per pœnitentiam acquisitæ, si opus fuerat.

Prob.3. quia duo sacramenta non sunt instituta in eundem finem; sed pœnitentia instituta est in remedium peccati mortalis, & ad recuperandam gratiam; ergo hæc unctio non est ad hoc instituta, sed supponit gratiam in infirmo.

Confir. Tria sunt peccatorum genera, originale, mortale actuale, & veniale; pro 1.habetur baptismus, pro 2.pœnitentia, & pro 3.hæc unctio; ergo hæc exigit carentiam peccati mortalis.

Prob.2.p. 1.ex Scriptura: nam S. Jacobus non exigit positivè, ut infirmus habeat peccata, sed solum dicit, *si in peccatis fuerit, remittentur ei*; ergo satis indicat, quod potest carere peccatis illis, dum suscipit hoc sacramentum.

Prob.2. quia sic catechumenus, si post baptismum statim ægrotaret periculosè, non posset ungi, quia non habuisset tempus peccandi venialiter, & Sacerdos esset semper dubius de capacitate infirmi, & de validitate sacramenti: nam dubitaret, an infirmus confessus, & absolutus haberet venialia delenda; sed hæc sunt absurda, & inconvenientia; ergo &c.

Prob.3.ex Scriptura: nam S.Jacobus non dicit absolutè, quod hoc sacramentum remittat peccata, sed *si fuerit in peccatis, remittentur ei*. Et Trident. dicit, quod *remittit reliquias peccatorum*; sed hæ reliquiæ non sunt peccata; ergo &c.

Prob.3.p. nam, ut dicebamus ex Scoto, definitur hoc sacramentum *unctio hominis infirmi, & pœnitentis*; & addit, quod *sic excluduntur, qui non habent materiam pœnitentiæ .... saltem de venialibus, ut perfectè innocentes*; ergo suscipiens hoc sacramentum debet fuisse peccator.

Prob.2. ex S.Bonaventura, quia *hoc sacramentum est principaliter ad venialia delenda, secundum quod possunt convenientem recipere effectum .... & ideo debet dari solis infirmis, qui peccare potuerunt*; alioqui forma ejus non esset vera, *Parcat tibi Deus, quidquid .... deliquisti.*

Prob. 3. ex eodem Concilio: nam si nullum præcessit peccatum; ergo nec habere potest reliquias peccati remittendas. Item dicit hoc sacramentum *esse pænitentiæ consummativum*; sed si materia pœnitentiæ desit, non poterit dari ejus consummatio, quia ejus initium non habetur, nec adest materia ejus; ergo &c.

Hinc probabilius est, ac magis de mente Scoti, quòd qui nullum habet, nec habuit peccatum, ut B. Virgo, non est capax hujus sacramenti.

Dico *probabilius*: nam opinio dicentium, quod sufficit, quod possit peccare, non caret probabilitate, maximè propter authoritatem gravissimorum Theologorum, inter quos sunt Cardinalis noster Brancatus, & P. Pontius, & Aretinus ex nostris, & tunc faceret ad præservationem, si non ad remissionem.

QUÆSTIO V.

De effectibus hujus sacramenti.

SAnctus Jacobus tres assignat fructus extremæ unctionis. 1. est sanitas corporis, *oratio fidei salvabit infirmum*, scilicet si Deus noverit expedire saluti animæ. 2. alleviatio à mœrore, torpore, languore, & molestia, *alleviabit eum Dominus*. 3. remissio venialium, & reliquiarum peccati, *si in peccatis fuerit, remittentur ei*. Et, ut dicit Tridentinum, *Delicta, si quæ sunt expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat ...... sanitatem interdum corporis, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.*

Certum est autem, quòd causat gratiam habitualem, seu augmentum ejus, hoc enim commune est omnibus sacramentis nostris, de quo non dubitant Catholici, nec de auxiliis ad finem suum propriis, hoc enim essentiale est omni sacramento, ut præter gratiam habitualem, causet etiam actuales, quibus juvamur ad fines consequendos, ad quos institutum est, v. gr. in isto ad vincendas tentationes, quibus vexari solent infirmi instante morte, & ad morbi molestias patienter ferendas.

Conveniunt etiam omnes, quod isti proprium est abstergere peccati reliquias, sed quid sint istæ reliquiæ,

quiæ, non convenit inter Theologos. Probabilius videtur esse animi languores, torpores, mœrores, tristitias, fastidia, anxietates, aliasque pravas affectiones, quas in morbis relinquunt peccata, & quæ ex eorum cogitatione divexant animos instante morte, & possent inducere illos in desperationem, nisi juvarentur gratiis, quas accipiunt ex hoc sacramento.

Quæritur etiam, utrum aliquando remittat mortalia, quæ habere possunt infirmi, de quibus per oblivionem inculpabilem non sunt confessi, nec absoluti.

De his omnibus effectibus quæritur, qui sint primarii, & principales ex divina institutione, quive secundarii.

CONCLUSIO I.

P*Rimarius, & principalis effectus unctionis sacramentalis est infusio gratiæ habitualis, cum remissione finali venialis peccati, non autem mortalis*. Est communis, maximè inter Scotistas.

Prob.1. ex Scoto, qui dicit, *hoc sacramentum esse unum, sicut effectus ejus est unus unitate plenariæ remissionis omnium venialium, ut omnibus remissis, nihil remaneat retardans à perceptione beatitudinis*. Et in ejus definitione dixerat hanc unctionem significare *curationem venialium finalem*. Sed remissio peccati non fit, nisi per infusionem gratiæ habitualis; ergo hæc infusio, & remissio est effectus primarius hujus sacramenti.

Prob.2. ex Script. & Conciliis: nam inquit Jacobus; *si in peccatis fuerit* (infirmus) *remittentur ei*; sed, ut dicebam, non remittuntur peccata sine infusione gratiæ, id non potest intelligi de mortalibus, quæ remittuntur per pœnitentiam; ergo loquitur de remissione venialium per infusionem gratiæ.

Confir. ex Concilio Tridentino, *Si quis dixerit sacram infirmorum unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata ..... anath. sit*; & supra dixerat, quod *res, seu effectus ejus gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit*; ergo &c.

Prob.3. Ille est effectus per se, & primarius unctionis sacramentalis, qui per formam ejus exprimitur; sed per formam hujus unctionis exprimitur remissio

peccatorum, quæ restant infirmo delenda finaliter in eo statu, & hæc sunt venialia, quia supponitur confessus; ergo &c. Prob.min. nam ad singulas unctiones dicitur, *Per istam sanctam unctionem parcat ti bi Deus, quidquid oculorum*, &c. *vitio deliquisti*; ergo singulæ formæ significant gratiam remissivam peccatorum per singulos sensus commissorum.

Prob.2.p.de mortalibus: nam hæc per se remittuntur per pœnitentiam; ergo per se non remittuntur per hoc sacramentum: nam, ut diximus, singula sacramenta habent effectus suos principales distinctos, nec duo, vel plura habent eundem effectum primarium. Prob.ant.ex dictis, maximè ex Conc. Trid. *Fuit pœnitentia omnibus, qui se aliquo mortali peccato inquinassent, quovis tempore necessaria* (sc. tam tempore infirmitatis, quam sanitatis) *ad gratiam, & justitiam assequendam, nec ullibi legimus, quod ad hoc necessaria sit unctio ista*; ergo &c.

Confirm. Tum quia si hæc unctio per se remitteret mortalia, non esset necessariò præmittenda confessio habenti mortalia, quia hæc sufficeret; sed conseq. est falsum, & contra praxim Ecclesiæ; ergo &c. Tum quia cùm singulorum sensuum peccata remittantur singulis unctionibus, sequitur ea non esse mortalia, quia hæc non remittuntur per partes, nec successivè; ergo id solum dicitur de venialibus.

Dico *per se*, quia per accidens, & secundariò posset deleri mortale aliquod omissum inculpabiliter, supposita contritione, vel attritione.

Objic. 1. Primarius effectus sacramentorum novæ legis est infusio gratiæ; sed hæc infusio non est necessariò connexa cum remissione venialium, ut patet de Christo, & B. Virgine, & aliis Sanctis, quibus novæ gratiæ infunduntur, quamvis non habeant peccata; ergo principalis effectus extremæ unctionis non est remissio ullius peccati.

Resp.dist.maj. In his, qui non habent peccata, conc. in his, qui habent venialia, neg.maj.& min. nam institutio hujus sacramenti est ad delenda peccata in infirmo, si quæ habet. *Si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Et id patet ex forma ejus.

Inst. Si esset institutum ad delenda peccata, maximè venialia, non deberet differri in finem vitæ, quia singu-

gulis momentis peccamus. *Septies* ad minus *in die cadit justus*, & ideò toties adhibenda esset unctio; sed conf. est falsum, & contra praxim; ergo &c.

Resp. neg. maj. nam venialia illa possunt deleri tempore sanitatis pluribus aliis mediis, maximè per sacramentalia; sed in morbis extremis non possunt facilè hæc adhiberi. Denique pro solis his infirmis fuit institutum, ut patet ex dictis.

Inst. 2. Peccata non remittuntur, nisi per absolutionem, & pœnitentiam, quia sunt culpæ; sed hìc neutra intervenit; ergo nec remissio peccati. Prob min. nam forma ejus est purè deprecatoria, non absolutiva, nec judicialis; ergo &c.

Resp. 1. neg. maj. nam venialia remittuntur per sacramentalia, orationes, & alia bona opera, ut dictum est aliàs.

Resp. 2. neg. min. nam verba formæ indicant veram remissionem, ut patet, & licèt dicantur deprecatoriè, non minus remittuntur à Deo.

Objic. 2. ex Scoto. *Per unctionem remittuntur ea, quibus homo retardatur à receptione beatitudinis.* Sed non minus retardatur per reatum pœnarum temporalium pro mortalibus, quàm per reatum venialium; ergo remissio reatus pœnarum est primarius effectus hujus sacramenti, non autem solius venialis.

Resp. neg. maj. nam Scotus ibi loquitur de solis venialibus: nam reatus pœnarum supponitur remissus per pœnitentiam, & per opera satisfactoria, & indulgentias; & si in extremis pœnæ illæ restant exsolvendæ, per accidens est.

Objic. 3. Effectus, qui absolutè tribuitur sacramento, est magis proprius, & principalior, quàm qui conditionatè, & quasi per accidens; sed remissio peccati tribuitur conditionatè, & quasi per accidens, salus verò, & alleviatio tribuitur absolutè; ergo hæc est principalior effectus ejus. Prob. min. nam Apostolus dicit, *Si in peccatis fuerit*, &c. Et Concil. *Delicta, si quæ sint adhuc expianda .... abstergit*; ergo remissio peccati non asseritur, nisi conditionatè, alii verò effectus ponuntur absolutè.

Resp. 1. neg. min. & 2. conseq. nam illud *si* non importat præcisè conditionem, sed æquivalet assertioni absolutæ, quasi diceret, peccata, quæ superfuerint, remit-

mittentur, ut patet ex verbis formæ, quæ est absoluta, & Concilium ipsum dicit absolutè, res enim hæc, *gratia est Spiritus Sancti*, quæ per se est deletiva peccati, collatio autem gratiæ non est effectus conditionalis sacramenti debitè suscepti, sed absolutus, & primarius.

Resp.2.neg.maj. nam si appositio conditionis tolleret principalitatem effectus, infusio gratiæ, & propriissimi effectus omnium sacramentorum non essent nisi secundarii, quia hos non causant, nisi sub conditione, quod non adsit obex in suscipiente.

Inst. Tam Apostolus, quàm Concilium prius tribuunt huic sacramento salutem, & alleviationem infirmi, & abstersionem reliquiarum peccati; ergo isti sunt effectus primarius ejus. Prob.ant.ex ipsis textibus.

Respon. dist. antec. Prioritate grammaticali, & orationis, conc. prioritate dignitatis, & præeminentiæ, seu principalitatis, neg. antec. nam principalitas, de qua loquimur, non petitur ex ordine, quo res ponuntur in oratione, imò sæpiùs principaliora, & optima sunt ibi ultima; imò & verba Concilii exprimunt deletionem peccatorum prius, quàm abstersionem reliquiarum peccati.

Objic.4. Si deletio venialium esset primarius effectus hujus sacramenti, sæpe exponeretur nullitati, & effectus iste esset incertus; sed hoc est absurdum, & inconveniens; ergo &c. Min. patet: nam de ratione sacramenti est causare infallibiliter gratiam, seu effectum, ad quem est principaliter institutum. Prob. maj. nam si infirmus non haberet peccata remittenda, sacramentum careret hoc effectu, & nihil faceret; ergo &c.

Resp.neg.maj.& ant. nam licèt infirmus non haberet peccata, adhuc reciperet gratiam habitualem, quæ de se est deletiva peccati, & est primarius effectus omnium sacramentorum, & haberet etiam alios effectus secundarios, sicut qui recipit absolutionem sacramentalem de peccatis tantùm venialibus, aut de peccatis jam confessis, & remissis, non recipit remissionem, sed gratiam remissivam.

Objic.1. cont. 2.par. ex Conc. Trid. Effectus hujus sacramenti sunt peccata, & peccatorum reliquiæ; sed hæc possunt esse mortalia, & maximè si ex oblivione incul-

inculpabili non fuerunt remissa in confessione, hæc inquam sunt veræ reliquiæ peccatorum; ergo primarius effectus hujus sacramenti est peccatum mortale æquè, ac veniale.

Respond. dist. maj. Sunt peccata hujus sacramenti objecta propria, conc. objecta propria aliorum sacramentorum, neg.maj. & min. nam licèt possint restare mortalia oblita, id tamen est per accidens, quia mortalia sunt per se objecta pœnitentiæ, & non restant, cùm suscipitur unctio, nisi per accidens; unde Concilium in Canone non loquitur de reliquiis, sed de gratia, & peccatis, quæ non possunt esse nisi venialia, quia hæc sola sunt per se objecta hujus sacramenti.

Inst. Illa omnia censentur posse remitti, quæ directè cadunt sub sensum formæ; sed omnia, etiam mortalia, cadunt sub sensum formæ; ergo &c. Prob.min. nam dicitur universè, *parcat tibi Deus, quidquid ..... deliquisti*; ergo &c.

Resp. ut supra dist. maj. Si sunt de objecto ejus primario ex vi institutionis ejus, conc. sin minus, neg. maj. & cons. ob rationem allatam.

Non ergo negamus, quin per accidens remitti possint mortalia, si v.gr. ex oblivione inculpabili infirmus omiserit aliqua in confessione, de quibus non fuerit absolutus, nec contritus, sed solum attritus, sicut diximus de sacramento Eucharistiæ, & aliis, quæ dicuntur vivorum.

CONCLUSIO II.

Effectus alii hujus sacramenti sunt gratiæ confortativæ infirmi, fiducia divinæ misericordiæ, patientia dolorum, resistentia tentationibus, & sæpè solatia, & levamenta dolorum, & ipsa sanitas corporalis, si Deus videat id expedire saluti animarum, & hæc operatur ex opere operato. Est communis.

Prob. ex dictis: nam Apostolus dicit, quod *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus,* &c. & Concil. Florent. dicit, quod *sanat mentem infirmi*; & Mogunt. quòd *est contra terrores conscientiæ, dat hilaritatem, & alleviationem*; & Trident. quòd *est institutum contra tentationes diaboli, ægrotâ ani-*

animam alleviat, & confirmat, magnam divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatur, ac labores levius fert, tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis faciliùs resistit, & sanitatem corporis interdum .... consequitur. Habes totam conclusionem in terminis.

Quod autem hæc operetur ex opere operato, patet ex eo, quod id commune est omnibus sacramentis nostris, ut sic operentur effectus suos.

Objic. Si hæc essent, & maximè ex opere operato, infirmi omnes semper reciperent hos effectus; sed conf. est falsum, nam rarissimè illos experiuntur; ergo &c. prob. maj. nam sacramenta semper operantur effectus operis operati; ergo &c.

Resp. neg. maj. Nam quæ pendent ex fide, non cadunt sub experientiam, & præcipuè, quia possunt ea, quæ experimur, venire ex aliis causis, etiam naturalibus, & etiam, quia solet conferri in extremis, ita ut infirmi non benè reflectere possint super se ipsos. Et denique sæpe recipitur sine debitis dispositionibus fidei, ac fiduciæ in ejus virtutem.

Inst. Saltem justi deberent semper virtutem hanc experiri; sed hoc falsum est; ergo &c.

Resp. neg. maj. Imò quia isti magis conformantur divinæ voluntati, & magis diligunt Deum, & suspirant post æternam felicitatem, intùs quidem percipiunt illos effectns, sed ad extra non ostendunt, nec corporalem curant sanitatem.

Quæres, *Quandonam unctio hæc producat suos effectus, An in prima, vel ultima unctione*.

Resp. probabiliter eam producere illos gradatim, scil. singulos ad singulas unctiones, ex quibus integratur hoc sacramentum, & sic ex singulis gradibus gratiæ integratur totalis gratia, & effectus ejus primarius, de quo loquimur.

Prob. ex Scoto dicente hoc sacramentum *esse unum unitate integritatis, non indivisibilitatis, sicut effectus ejus non est unus indivisibiliter, quia non est remissio unius venialis, sed unus unitate plenariæ remissionis omnium venialium*; ergo ex Scoto effectus totalis hujus sacramenti causatur successivè, sicut partes ejus existunt successivè.

Prob. 2. Nam quælibet unctio habet formam suam cum

cum propria significatione sui effectus partialis, v.g. unctio oculicum sua forma significat remissionem peccatorum per oculos commissorum, & sic de aliis; ergo statim ac uncti sunt oculi cum sua forma, infunditur gradus gratiæ illi correspondens, & remittuntur peccata per visum admissa, nec ulla apparet ratio in contrarium.

Confir. ex sacramento Eucharistiæ, quod integratur ex consecratione panis, & vini: nam prolatis verbis supra panem, statim convertitur in corpus Christi, antequam proferantur verba super calicem, & convertatur vinum in sanguinem; ergo ita fieri debet in singulis unctionibus.

Prob.3. Si quid impediret successionem, esset indivisibilitas gratiæ, ac remissionis; sed neutra est indivisibilis: nam gratia dividitur per gradus, & nihil vetat unum veniale remitti sine alio, sicut id repugnat de mortalibus; ergo &c.

QUÆSTIO VI.

De necessitate hujus sacramenti, & de modo illud recipiendi.

QUæstio procedit de necessitate tam medii, quàm præcepti. De utilitate autem patet ex præcedenti. Ubi de effectibus ejus.

CONCLUSIO I.

EXtremæ unctionis susceptio non est de necessitate medii, nec præcepti per se loquendo. Est communis.

Prob.1. ex Scoto, [1] qui hanc necessitatem videtur dicere congruitatis. *Congruum est, recessurum ab hac vita finaliter à venialibus absolvi, quia ista non remissa essent impedimentum gloriæ consequendæ, & possunt esse non remissa usque ad exitum, quia peccator quasi continuè peccat talibus peccatis.* Et in Reportatis dicit, quòd *congruum fuit* (tale sacramentum) *dari, & recipi ab infirmo laborante in extremis, quia tunc in januis mortis, quando Spiritus exit, potest recipiens liberari à peccato, quod retardaret eum à gloria, nisi* amo-

[1] *Ibid. A.2,*

amoveretur, & deleretur virtute sacramenti; ergo ex Scoto istud sacramentum non est necessarium absolutè, sed ex congruitate.

Prob.2. Quia non apparet ratio alterutrius necessitatis. 1. non necessitatis medii, quia omne impedimentum salutis amoveri potest per pœnitentiam, & Eucharistiam; illa enim delent omne peccatum, & conferunt gratiam sanctificantem, & istud eam supponit, quam auget. 2. non præcepti, quia nullibi constat de præcepto Divino, vel Ecclesiastico, ut patet percurrenti Scripturam, & Concilia, & decreta Apostolica.

Confir. Nam Ecclesia non prohibet media necessaria salutis, v. g. baptismum, nec pœnitentiam, benè verò hanc unctionem tempore interdicti; ergo &c.

Dixi autem, *per se:* nam qui ex contemptu, vel defectu fidei non credens illud esse verum sacramentum, aut ex alio pravo motivo illud negligeret, vel si ex ejus omissione scandalum, aut aliud periculum grave immineret infirmo, hic sine dubio peccaret graviter; sed hoc non venit ex natura sacramenti per se, neque ex ullo præcepto divino, vel humano.

Objic.1. ex Scriptura. D. Jacobus jubet, ut infirmus *inducat presbyteros*, &c. ergo hoc sacramentum est necessarium ex præcepto Divino, vel Apostolico.

Resp. neg. ant. Neque enim hoc dicit præcipiendo, sed docendo, & hortando, ut notant SS. Patres interpretes.

Objic.2. Concil. Trid. [1] *declarat esse hanc unctionem adhibendam .... Et quòd nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam Jacobi sententiam docent, hanc unctionem non esse mandatum Dei*. Sed hæc sapiunt præceptum etiam divinum; ergo &c. Idem infertur ex aliis, in quibus graviter præcipitur parochis, *ne in sacramento unctionis ministrando negligentiam, ullamve moræ culpam contrahant*, &c. Et Mediolan. V. narrat ex S. Bernardo maximum dolorem S. Malachiæ Episcopi Hiberniæ, quia mulier quædam culpa ejus decesserat sine unctione. Idem est de Colon. & Senonensi; sed hæc non ita dicerentur, nisi hoc sacramentum esset absolutè necessarium; ergo ita est.

Resp. neg. min. Nam nomine *mandati* intelligitur insti-

[1] *cap.3.*

institutio Divina hujus sacramenti, non præceptum; nisi fortè agnoscendi illud ut verum sacramentum. Alioqui non vetaret illud contemni, sed declararet necessitatem. *Nec verò* (inquit Trid.) *Tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & Spiritus S. injuria esse posset*, &c. Alia Concilia sic loquuntur ob ejus maximam utilitatem, quam parochi graviter obligantur procurare infirmis suis.

Objic.3. Homo ex præcepto charitatis tenetur sibi providere de remediis salutis, & maximè contra tentationes, quæ instante morte sunt fortiores, & periculosiores, & amovere omnia, quæ retardare possunt gloriæ æternæ consecutionem; sed hæc fieri non possunt in morbis extremis sine hoc sacramento; ergo est necessarium, saltem ex præcepto charitatis.

Resp.1. Id non esse contra nos, quia loquimur de necessitate unctionis per se, & in se spectatæ, præcisè ab aliis extrinsecis, ut est charitas.

Resp.2. dist. maj. Si illa sint absolutè necessaria, nec possint aliter haberi, conc. si non sint ita necessaria, vel possint aliunde haberi, neg. maj. & min. nam per sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ homo fit satis certus de sua salute, & sibi sufficienter ad eam consulit, quamvis plurimùm conferat unctio.

Objic.4. ex Conciliis cit. Hoc sacramentum non potest contemni sine peccato; sed non potest omitti ab infirmo in extremis sine contemptu; ergo nec sine peccato. Prob. min. nam inquit Concil. Senon. *Contemni dicitur, quando Episcopus est præsens, paratus dare, & persona hoc sciens, negligit, aut despicit recipere.* Et Colon. privat Ecclesiastica sepultura *eum, qui sacramentum istud nobis ab Apostolo Jacobo tantopere commendatum contempserit*; ergo Concilia censent non posse omitti sine contemptu.

Resp. neg. min. & 2. cons. Nam Concilia loquuntur de impiis, & hæreticis, qui illud respuunt, aut contemnunt, aut negligunt ex parvipendentia. Potest autem omitti ex aliis motivis non malis, v. g. ex metu erroneo mortis, quam quidam putant certam reddi ex hac unctione, &c.

CON-

CONCLUSIO II.

R*Egulariter, & quantum potest, debet præmitti sacramentum pœnitentiæ, & viatici, maximè si adsit peccatum mortale, aut si non possit confiteri, debet conteri, quantum potest.*

Prob. 1. p. ex Catechismo Romano, qui docet, *servandam consuetudinem perpetuam Ecclesiæ, ut ante extremam unctionem, pœnitentię, & eucharistiæ sacramentum administretur*, & Rituale pariter Rom. idem præcipit.

Probat. 2. Quia, ut dictum est, hoc sacramentum est vivorum, sc. supponit suscipientem in vita gratiæ, & sine peccato mortali; nec enim per se confert primam gratiam, nec remittit mortalia, nisi valdè per accidens; ergo regulariter debet præmitti confessio, per quam remittantur mortalia, si adsint.

Prob. 2. p. Quia, si non possit infirmus loqui, & confiteri, & habeat mortalia, debet conteri, ut deleantur, aut saltem atteri, ut tollatur obex, scilicet affectus ad peccatum, & sic sacramentum possit illud delere.

Cęteras dispositiones vide in Ritualibus; & patent ex definitione hujus sacramenti, & ex dictis de suscipiente, v. g. quod sit adultus, baptizatus, habens usum rationis, &c.

QUÆSTIO VII.

De obligatione Sacerdotis ad hoc sacramentum ministrandum.

QUæritur præcipuè, quanta sit obligatio parochi, seu pastoris cujuscumque administrandi hoc sacramentum infirmis suis, an cum periculo vitæ, v. g. tempore pestis.

CON-

CONCLUSIO.

P*Arochus, seu pastor quicumque tenetur administrare hoc sacramentum subditis suis infirmis, & petentibus, & hoc non solum ex charitate, sed etiam ex justitia, non tamen absolutè cum periculo vitæ.* Est communissima quoad primam partem, & communior quoad secundam.

Prob.1.p. ex Dionysio Papa in decretis, [1] ubi præcipitur parocho, *ut taliter Ecclesiam, & plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal æterni judicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat*, &c. ergo non tantum in necessariis, sed etiam in valdè utilibus, ut est hoc sacramentum, debet providere illis ex justitia, quandoquidem de illis est rationem redditurus.

Prob.2. Nam pastores ex officio debent ministrare subditis sacramenta, quæ Christus instituit pro bono spirituali eorum, ad hoc enim constituti sunt, ut *attendant universo gregi, in quo posuit eos Spiritus S. Episcopos regere Ecclesiam Dei*; ergo &c.

Probat.2. p. nam 1. illa obligatio cum periculo vitæ non urget, neque ex præcepto speciali explicito in hac materia, quia de hoc nullibi constat. 2. non ex præcepto generali charitatis, quia istud non præcipit proximum diligere plusquam seipsum. 3. non ex justitia: nam hæc non obligat cum tanto onere, ut in non necessariis pastor se exponat periculo vitæ, & ita communiter docent Theologi.

Dico, *in non necessariis, & absolutè*: nam possent occurrere casus, & circumstantiæ, in quibus ad id teneretur, v. g. si timeret valdè probabiliter, quòd defectu hujus subsidii periclitaretur animæ salus: nam tunc *bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis*, & salus animæ infirmi prævalet saluti corporis proprii, & tunc urget non solùm charitas, sed etiam justitia.

Objic. con.1.p. Parochus non tenetur administrare ovibus omnia purè utilia, sed solùm necessaria; sed hoc sacramentum non est necessarium absolutè, sed solùm utile; ergo &c. prob. maj. si teneretur ad omnia utilia, onus parochi esset intolerabile, nec unus sufficeret pro duobus, aut tribus subditis; ergo &c.

Resp.

[1] *13.q.1.c.Eccles.*

Resp. neg. maj. & 2. conf. Nam licèt pastor non teneatur ad omnia prorsus, & quovis modo utilia, tenetur tamen ad ea, quæ ex institutione Divina specialem, & gravem habent utilitatem, ut hæc unctio in extremis.

Dixi autem 1. *parochus*, seu *pastor*, sub quo nomine intelliguntur omnes habentes curam animarum, ut superiores Religionum.

Dixi 2. *Parochus*, quia ipsi reservatur ministratio hujus sacramenti, ut dictum est, & ipsi directè incumbit hoc onus; sicut & honor. Unde colligitur, quòd alius Sacerdos, absente parocho, ad id teneretur ex sola charitate, non ex officio, vel justitia.

Et hæc de extremæ unctionis sacramento dicta sufficiant pro instituto, cætera videri possunt apud Morales, & Casuistas.

SUM-

SUMMÆ THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ

TRACTATUS XVII.

De Sacramento Ordinis.

QUINQUE sacramenta, quæ meditati sumus huc usque, spectant ad omnes fideles in quovis statu sint constituti, duo restant examinanda, quæ spectant ad speciales status, sc. *ordo*, qui pertinet ad eos tantùm, qui sacris ministeriis destinantur; & *matrimonium*, quod spectat ad eos, qui humanæ propagationi incumbunt: à priore, quod dignitate præcellit, progrediemur ad posterius, & ultimum, si Deus dederit.

DISPUTATIO I.

De existentia, & essentia sacramenti ordinis.

ORdinis nomen, latissimè sumptum, significat relationem prioris, & posterioris inter res quascumque; & describitur ab Augustino, rerum parium, dispariumque cuique sua loca tribuens congrua dispositio. 2. magis propriè sumitur pro aliquo gradu eminenti in Republica, ut cùm dicitur, *ordo Equestris*, *ordo Senatorius*, &c. Sed propriissimè, & in præsenti significat statum, seu gradum personarum, quæ sacris, & Ecclesiasticis functionibus destinantur; item pro ipsa actione, per quam personæ istæ iisdem ministeriis deputantur, & vocatur magis propriè *ordinatio*.

natio. De ordine, & ordinatione in hoc proprio sensu hìc disputamus, quia sic tantùm pertinet ad hoc sacramentum.

QUÆSTIO I.

An, & quid sit ordo sacramentalis.

ORdo, prout de illo hìc agimus, significat 1. gradum, seu statum clericorum supra cæteros eminentem in Ecclesia. 2. Potestatem, quam habent exercendi aliquos actus Ecclesiasticos, maximè circa sacramenta. 3. Ipsam ordinationem, seu unctionem sacram, per quam accipiunt illum gradum, & illam potestatem, & hæc est propriè sacramentum: nam in priori sensu est potiùs effectus sacramenti, & describitur à Doctore, *Gradus præeminens in Ecclesia, disponens ad aliquem Ecclesiasticum eminentem, seu ad aliquem actum sacramentalem.*

Certum est igitur dari in Ecclesia ordines in 1. & 2. sensu, de quo non dubitant nequidem Hæretici, licèt non conveniant de illorum usu, & potestate, & multò minus de illorum ordinatione, quàm nolunt esse sacramentalem, sed nudam electionem aliquorum de populo ad legendum, docendum, prædicandum, & aliqua sacramenta administrandum, sc. baptismum, & cœnam. Hæc autem veritas patet ex Scriptura: nam à Christo ipso Apostoli deputantur ad conficiendam, & ministrandam Eucharistiam. *Hoc facite in meam commemorationem*. Et ad pœnitentiam, *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata*, &c. Et Petrum constituit petram fundamentalem, & caput Ecclesiæ, & clavigerum regni Cœlorum. *Tibi dabo claves regni Cœlorum*. Et, *Quodcumque ligaveris*, &c. Denique Christus Deus *in Ecclesia dedit quosdam quidem Apostolos.... alios pastores, alios Euangelistas*, &c. Item *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, &c. Denique de facto videmus in Ecclesia tales ordines hominum destinatorum ad sacras functiones.

Restat ergo disputandum cum hæreticis, an sint in Ecclesia veræ ordinationes, & in quo consistant, & an sint verè sacramenta.

CON-

CONCLUSIO I.

Ordo, seu ordinatio Ecclesiastica est sacramentum, quo confertur homini gratia, et potestas exercendi functiones sacras in ea; et est verum sacramentum.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quod loquendo propriè de sacramento; ordo non est propriè sacramentum. Quid ergo est septimum sacramentum? Dico, quòd ordinatio* (est sacramentum) *cujus descriptio potest esse ista. Ordinatio est institutio alicujus in gradu Ecclesiæ praeminenti, cui convenit aliquod ministerium circa Eucharistiam exhibendam facta à Ministro idoneo, certa verba cum debita intentione proferente, ministerium gradus illius aliquo signo visibili repræsentans ex institutione divina efficaciter significans gratiam præminentem, qua ordinatus dignè aliquod ministerium exequitur.* In Reportatis idem habet, ubi ordinatio dicitur [2] *collatio determinati gradus ad ministrandum circa Eucharistiam, facta à ministro idoneo certa verba cum debita intentione proferente, significans efficaciter ex institutione Divina effectum gratiæ invisibilis, quo ordinatus dignè exequitur aliquod ministerium.* Habes in his descriptionibus per extensum, quod compendiosè diximus in conclusione.

Prob. 2. nam sic explicatur essentia hujus sacramenti secundum genus, & differentiam propriam, & verè convenit omni, & soli sacramento ordinis, prout de illo hic agimus. Dicitur 1. [3] *sacramentum*, loco generis. 2. *Quo confertur homini gratia*, quod etiam commune est omni sacramento [4] 3. *Et potestas exercendi in Ecclesia functiones sacras*: per quod differt ab aliis, quæ non sunt collativa ullius potestatis; & quoad sensum conveniunt omnes catholici, licet in verbis non nihil different.

Prob. 2. Quòd sit sacramentum, contra hæreticos. 1. ex Concilio Chalcedonensi [5] docente, quod ordinatio confert gratiam. *Si quis Episcoporum, accepta pecunia, ordinationem fecerit, et sub pretium duxerit impretiabilem gratiam*: &c. Audis gratiam hîc conferri,

[1] *d.24.F.8.* [2] *ibid. n.20.*
[3] *act. 15.a. can.2.* [4] *Decr. Sess.7.can.1.*
[5] *Sess.3.can.3.*

erri? & Branca, *Non aliquo pretio gratia Dei, & impositio manuum venditur*. Ideo anathema dicit *danti, & accipienti*. Et Florent. in decreto Eugen. *Sextum sacramentum est Ordinis*, &c. Et in Trident. post enumerata 7. sacramenta, inter quæ est istud: dicit anathema, *Si quis aliquod horum non esse verè, & proprie sacramentum dixerit*. Et alibi, *cùm scripturæ testimonio, & Apostolica traditione, & patrum unanimi consensu perspicuum sit per sacram ordinationem .... gratiam conferri, dubitare nemo debet ordinem esse vere, & proprie unum ex 7. sacramentis*. Item, *si quis dixerit ordinem, seu sacram ordinationem non esse vere, et proprie sacramentum à Christo Domino institutum.... anath. sit*.

Prob. 3. Ad rationem sacramenti nihil aliud requiritur, quàm ut sit *signum sensibile gratiam invisibilem ex institutione Divina significans*, &c. Sed hæc concurrunt in sacra ordinatione; ergo &c. maj. patet ex dictis de sacramentis in genere. prob. min. 1. est *signum sensibile*, quia ordines conferuntur per actus, & verba externa; sc. per manuum impositionem, aut traditionem alicujus rei, & cum certis verbis. 2. patet de *institutione Divina* ex Conciliis cit. & 3. de *causalitate gratiæ* patet ex iisdem. Et colligitur satis aperte ex Script. ut cum D. Paulus scribit ad Tim. [1] *noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum presbyterii*. Et iterum, [2] *admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum*, &c.

Prob. 4. ex SS. PP. & perpetua traditione, & praxi Ecclesiæ, qua constat hanc cæremoniam, & ministrorum Ecclesiæ institutionem semper habitam fuisse, ut verum Sacramentum, ut discurrenti per singulas ætates patebit.

Objic. 1. non constat ex scriptura, vel traditione de institutione ordinationis in ratione sacramenti; ergo gratis dicitur sacramentum. Prob. ant. Nam potius constat Christum ordinasse Apostolos sine ullo signo externo, ut patet in ultima cœna, cùm eos consecravit sacerdotes; ergo idem est de aliis.

Respondeo 1. neg. conf. nam Christus ut Deus, & ut habens potestatem excellentiæ poterat omnia con-

[1] 1. *Tim*. 4. [2] 2. *Tim*. 1.

conferre sine ceremonia externa, & potuit aliter præcipere Apostolis.

Respondeo 2. neg. ant. Nam sicut dans illis potestatem remittendi peccata insufflavit eos, ita & dans eis potestatem conficiendi Eucharistiam, potuit hoc facere per aliquod signum externum, & de facto usus est verbis istis, *Hoc facite in meam commemorationem.*

Respondeo 3. neg. eandem conf. Nam sufficit, quod ex perpetuo usu, & traditione Ecclesiæ hoc ita determinetur: Ecclesia enim est fidelis interpres, & depositaria voluntatis Divinæ.

Inst. Sacramenta debent constare verbis, & rebus; sed non ita est de ordinatione; ergo &c. Prob. min. quia de neutro constat ex scriptura, sicut nec de institutione Divina, &c.

Respondeo neg. min. & 2. conf. Nam sufficit, quod hæc habeamus ex praxi, & traditione perpetua per Christum, & Apostolos.

Objic. 2. ex scriptura constat, quod inter fideles nulla est distinctio graduum; sed per baptismum omnes fiunt æquales; ergo ibi nullus est ordo, ergo nec ordinatio sacramentalis. prob. ant. [1] *Quicumque baptizati estis, Christum induistis: non est Judæus, nec Græcus, non est servus, neque liber; omnes vos estis unum in Christo J.* Item, [2] omnes fideles sunt sacerdotes, *Genus electum, Regale Sacerdotium.* Item Christus fecit nos omnes *Regnum, & Sacerdotes Deo;* ergo in Ecclesia non est ordo præeminentiæ, nec dignitatis: ergo nec ordinatio sacramentalis.

Resp. neg. 1. ant. & 2. conf. Neque enim talis æqualitas, & confusio decet Ecclesiam, imò ubique fit mentio de servis, & dominis in civilibus; de præpositis, & subditis in Ecclesia, quibus jubemur obedire. Loquitur ergo scriptura de æqualitate respectu prædestinationis ad gratiam, & gloriam, in quibus Deus nullam conditionem aspicit, sed sola merita. *Non est acceptatio personarum apud Deum.* Si quidem, [3] *omnes unum corpus sumus in Christo, una fides,* &c. Et sicut *omnia unius corporis membra non eundem actum habent,* nec ibi est æqualitas, nec confusio; ita est in Ecclesia. Loquitur etiam ibi de sacerdotio mystico, & inter-

[1] *Gal. 3. 3. p. 1.* [2] *Apoc. 2.* [3] *Rom. 2.*

interno, quatenus quisque interna sacrificia, & oblationes facit Deo, non autem de externo, quod non spectat ad omnes.

Inst. ex Tertull. [1] *differentiam inter ordinem, et plebem Ecclesiæ constituit authoritas*; ex parte autem Christi, *nonne et Laici sacerdotes sumus? Scriptum est* quoque, *nos sacerdotes Deo, et patri suo fecit*; ergo ordines, & ordinationes sunt ex institutione Ecclesiæ; ergo non sunt sacramenta.

Resp. neg. ant. nec enim id intendit Tertull. Imò addit hoc esse à Deo. *Honor per ordinis consessum sanctificatus à Deo*. Docet æqualitatem inter sacerdotes, & Laicos quoad obligationem Monogamiæ, non autem æqualitatem status, nec dignitatis, quippe, *unius matrimonii esse oportere, quos allegi in ordinem sacerdotalem*. Et quoad hoc æquales eos facit. Vani sumus, si putaverimus, quod *sacerdotibus non liceat; laicis licere, nonne et laici sacerdotes sumus*. Vide rationem, *unusquisque enim de sua fide vivit.... Digamus tangit, digamus offert*: &c. Se internè per sacrificia fidei, orationum, jejuniorum, &c. non autem per sacrificia externa veri sacerdotii.

Resp. 2. non magni faciendum hoc opus Tertulliani, quippe quod scripsisse dicitur post lapsum in errorem Montani, unde non mirum si irrepserint errores.

Objic. 3. Apud Græcos ordinatio dicitur manuum impositio: sed hæc impositio per se non est sacramentalis; ergo nec ordinatio. prob. min. Nam illa manuum impositio significat electionem per suffragia; ergo non est actio sacramentalis. prob. ant. nam in Concilio Laodiceno dicitur. [2] *Non licere manus impositionem super ordinandos fieri præsentibus Catechumenis*. Et in Carthag. III. *ut clerici non ordinentur, nisi omnes, qui cum eis sunt, fuerint fideles*; ergo illa manus impositio, & ordinatio intelliguntur de electionibus clericorum, quibus adesse non debent Catechumeni, vel infideles.

Resp. neg. min. & 2. & 3. conf. nam licet manuum impositio, & ordinatio supponant electionem ordinandorum, electi tamen ordinantur per actionem sacramentalem, ut etiam hodie fit de Episcopis electis, aut præsentatis per Reges, aut patronos.

Objic.

[1] *Exh. castit. 5.* [2] *ca. 18.*

Objic.4. Si ordinatio esset sacramentum, darentur plusquam 7. sacramenta. Nam ipsi ordines, & ordinationes sunt 7. vel 8. Si Episcopatus est ordo distinctus à sacerdotio: sed conf. est falsum, & contra Concilia, & contra nos; ergo &c.

Respondeo neg.maj.& dist prob. ordines sunt 7. vel 8. in speciebus subalternis: & quasi partialiter, cong genericè, seu in specie totali, & integra: neg. maj. quia singulæ ordinationum referuntur, & constituunt unum totale sacramentum unitate generica, & reductivè: & sic non sunt nisi unum sacramentum totale.

CONCLUSIO II.

Sacramentum Ordinis fuit à Christo D. institutum; & probabiliter in ultima cœna.

Probatur 1. ex Scoto cit.[1] Nam in definitione hujus sacramenti facit mentionem de institutione divina, ut patet ex citato textu. Et infra dicit, quod in consecratione sacerdotum *Episcopus concorditer agit cum summo Episcopo Christo, qui, ut dictum est prius, contulit potestatem Apostolis tam conficiendi, quàm absolvendi*; ergo censet ordinationem sacramentalem institutam esse à Deo Christo.

Prob. 2. ex præcedenti; nam hoc ipso, quod probavimus esse sacramentum: sequitur esse institutum à Christo: quia hæc institutio est essentialis sacramento.

Prob.2. p. nam in ultima cœna Christus instituit sacerdotes, dans eis potestatem conficiendi, & ministrandi Eucharistiam; ut diximus aliàs; ergo tunc instituit ordines: nam sacerdotium est principalis ordo quoad præstantiam ministerii.

Probatur 2. ex Trid. [2] Christus *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech constitutus corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo patri obtulit: ac sub eorumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque successoribus in sacerdotio, ut offerrent, præcepit per hæc verba, hoc facite*, &c. Et infra, *si quis dixerit illis verbis*, hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse *Apostolos sacerdotes*: &c. *anath. sit*. Per hoc

 factum

[1] *Ibid.H.9.* [2] *Sess.22.c.1.*

factum instituit omnes inferiores ordines, & eisdem contulit potestatem ordinandi successores. Nam sub potestate Sacerdotali omnes alii inferiores ordines comprehenduntur quasi sub capite, & principali, & quasi consummatione, ac fine.

Confir. Non enim apparet, nec potest rationabiliter assignari aliud tempus, vel occasio talis institutionis, quàm cùm ipsam Eucharistiam instituit.

QUÆSTIO II.

De unitate, & multiplicitate ordinis sacramentalis.

JAm tetigimus dubium de unitate hujus sacramenti, ubi de numero sacramentorum, & in quæst. præcedenti, sed adhuc id examinandum specialiter, quia cũ non numeretur in numero sacramentorũ nisi pro uno inter septem, & tamen certum sit plures dari ordinationes; meritò quærimus, qualis sit ejus unitas in illa pluralitate; & quanta illa pluralitas, seu, quot sint illi ordines.

CONCLUSIO I.

SAcramentum ordinis est unum unitate generica, non verò specifica. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] *patet, quomodo ordines illi septem, qui sunt institutiones in ordinibus, dicuntur contineri sub sacramento ordinis, vel magis propriè sub sacramento ordinationis, in quantum est unum sacramentum*. Et quærens [2] *qualiter sacramentum ordinis est unum? R. unitate generis propinqui*, &c.

Prob. 2. Omnes ordines conveniunt in ratione talis sacramenti, prout definitum est supra, ut patet; ergo habent quoad hoc unitatem genericam.

Prob. 2. p. Nam sub illo uno genere, seu ratione generica continentur plures gradus illam univocè participantes sub diversis rationibus specialibus; ergo non est unum specie sacramentum, sed multiplex. prob. ant. Nam Diaconatus, & Subdiaconatus, & Presbyteratus sunt diversi ordines, & separatim cõferun-

[1] *Ibid. H.* 10. [2] *Ibid. l.* 11.

runtur, & diversis subjectis; ergo &c. prob. ant. habent diversa munia, actus, & effectus specie diversos, sicut in familia, cancellarius, pincerna, senescalcus, sunt officia diversa, & gradus specie differentes: sic subdiaconus non exercet officium diaconi, &c.

Confir. Nam conferuntur diversis actibus, materiis, & formis, ut patebit; ergo sicut alia sacramenta dicuntur diversa ex materiæ, & formæ diversitate, ita & istæ ordinationes sunt diversa sacramenta.

Confir. 2. Nam aliqui ordines non sunt sacri, alii sunt sacri, in primis sunt quatuor minores, & in istis sunt tres majores, sc. subdiaconatus, diaconatus, & sacerdotium; ergo differunt specie.

CONCLUSIO II.

ORdines *sacramentales sunt principaliter septem; sc. Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] *In Ecclesia sunt tantùm septem ordines, quorum primus est disponens ad consecrationem Eucharistiæ, & est sacerdotium. Secundus.... est diaconatus*, &c.

Prob. 2. ex Concil. Trid. [2] definiente; *Si quis dixerit præter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines, & majores, & minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur, anath. sit.* Ipsos enumerat c. 2. sc. *Sacerdotes, diaconos, & subdiaconos*, &c.

Confir. ex SS. Canonibus, in quibus singuli enumerantur, ut cap. [3] perlectis, & de hoc non est difficultas, nec controversia inter catholicos.

Objic. 1. non plures sunt ordines, quam qui numerantur in Scriptura, & Patribus: sed ibi non numerantur nisi tres, Episcopatus, presbyteratus, & diaconatus; ergo non sunt plures. prob. min. nam in tota scriptura nihil legitur de subdiaconatu, nec de minoribus: idem de S. Dionysio in sua Hierarchia Ecclesiastica: & de S. Hieronymo, qui non agnoscit in Ecclesia nisi quinque status: Episcoporum, presbytero-

 rum,

[1] *ibid. D. 6.*
[2] *Sess. 3. can. 2. & cap. 2.*
[3] *disp. 25. & 23.*

rum Diaconorum, fidelium, & Catechumenorum; ergo inter ordines non sunt nisi tres illi.

Resp. neg. min. & conf. prob. nam inquit Doctor, Scriptura, & antiqui Patres nascentis Ecclesiæ non meminerunt ordinum inferiorum, quia ob paucitatem fidelium non poterant conferri diversis personis, sed ministeria inferiora supplebantur à Diaconis. [1] *In primitiva Ecclesia erant pauci credentes, & ideò pauci ministri sufficiebant ad dispensandam Eucharistiam.* Et hodie in pagis inter solemnia non adhibentur tot ministri.

Objic. 2. Ecclesia Græca non agnoscit nisi 4. ordines, lectorarum, cum tribus majoribus; ergo ex institutione Divina non sunt plures. prob. ant. nam ibi Sacerdos obit munus Exorcistæ; sicut in Ecclesia Latina subdiaconus, aut Lector supplet officia Ostiarii, & Acolythi; ergo &c. ita refert Arcudius.

Resp. neg. ant. nam plures Patres mentionem faciunt de omnibus. S. Ignatius salutat *presbyterum, diaconos, subdiaconos, lectores, cantores, ostiarios, laborantes, exorcistas, confessarios*, &c. Et Epiphan. [2] memorat lectores, exorcistas, *interpretes linguarum, laborantes, qui corpora mortuorum deponebant, janitores*, &c. Concil. Laudic. memorat. *Lectores, cantores, ostiarios*, &c. Uno verbo, sufficit nobis Ecclesiam hos quatuor retinuisse.

Objic. 3. Episcopatus est ordo distinctus à sacerdotio; ergo sunt saltem octo.

Resp. dist. ant. Distinctus inadæquatè, con. adæquatè: neg. ant. Nam Episcopatus includit essentialiter Sacerdotium; ita ut non valeret ordinatio Episcopi, nisi esset sacerdos; non ita est de aliis, qui regulariter quidem subordinantur sacerdotio, sed non ita essentialiter, quin possent valide separari, ut suppono ex dicendis. Præterea, cùm Episcopatus longè supereminent sacerdotio, & ab eo incipiat Hierarchia, censetur quasi extra ordinem respectu aliorum, sed de hoc infrà.

QUÆ-

[1] *Ibid. K. 11.* [3] *Ep. ad Antioch.*

QUÆSTIO III.

An Episcopatus, et tonsura sint ordines distincti ab aliis. Quid de Corepiscopis.

TOnsura est ritus, & ceremonia, qua quis à laicorum statu in clericalem militiam introducitur. Dicitur *tonsura* propter tonsuram capillorum in capite per modum Crucis, qua significatur illum devoveri Deo, relictis sæcularibus curis, & pompis. Ideo dicit, *Dominus pars*, &c. ideo clerici graviter prohibentur nutrire comam.

Duplex est hæc tonsura, una, quam clerici deferunt in summitate capitis in modum coronæ, & figura orbiculari, & hæc præcipuè distinguit clericos à laicis; alia semel celebrata ab Episcopo abscindente extrema capillorum in modum crucis à sincipite ad occiput, & ab aure dextra ad sinistram. Hæc autem semel celebratur, quando scilicet quis ad clericatum destinatur, illa verò semper deferenda est, alioqui amittitur privilegium clericale. Et quæstio est de *tonsura actuali*, an sit sacramentum, & inter ordines numeranda.

Quoad Episcopatum considerari potest secundum potestatem jurisdictionis, qua regit, & imperat aliis ordinibus Ecclesiæ, & ipsam Ecclesiam regit, etiam laicos in his, quæ pertinent ad religionem, vel in *potestate ordinis*, quæ consistit in actibus sacris, v. gr. in confectione, & dispensatione Eucharistiæ, quam habet ex Sacerdotio, & in collatione aliorum ordinum, scilicet Sacerdotii, Diaconatus, &c. De prima potestate non est quæstio: nam præcisè quoad illam jurisdictionem certum est ordinationem Episcopi non esse sacramentum, quia multi simplices Sacerdotes exercent jurisdictionem illam; sed quæstio est de ordinatione Episcopi quoad illam potestatem ordinis, an sit sacramentum, & an Episcopatus sit ordo distinctus à Sacerdotio.

CONCLUSIO I.

P*Robabilius est Episcopatum esse ordinem à Sacerdotio distinctum, saltem inadæquatè*. Est hodie communis contra plures antiquos.

Prob.1.ex Scoto, [1] qui licèt in scripto Oxoniensi videatur dubius, & nolit hoc decidere, tamen in Parisiensi, seu Reportatis [2] positivè dicit, quod *Episcopatus est ordo, & habet gradum eminentiorem, cui conjungitur omnis gradus inferior, & per consequens authoritas, & potestas exequendi omnem actum pertinentem ad quemcumque gradum in Ecclesia, quia nullus est Episcopus, qui non sit Sacerdos, Diaconus*, &c. Et id probat, maximè quia quidam actus competunt Episcopo soli, qui non competunt aliis ordinibus; ergo ex Scoto episcopatus est ordo sacramentalis, & distinctus.

Prob.2.ex Script. nam D.Paulus [3] loquens de ordinatione Timothei in Episcopum, dicit, *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii*. Item, [4] *ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Sed inquit S.Dionys. [5] *Manuum impositio docet eos, qui ordinibus sacris mancipantur, sacras omnes actiones, quasi sub Deo efficere .... indicat protectionem principis perfectoris Dei, qua internè .... ab eo gubernatur .... qua virtutem, & robur ipsi largitur*, &c. ergo consecratio, seu ordinatio Episcopalis est sacramentum, quod confertur per impositionem manuum. Sic Paulus ipse, & Barnabas ordinati sunt, cùm cæteri Apostoli, [6] *jejunantes, & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos*; quod confirmat S. Leo epist. ad Dioscorum.

Dices, hæc non posse intelligi de ordinatione, 1. quia Paulus jam antea fuerat electus à Christo in Apostolum. 2. quia id non potuit contingere, nisi vel prima vice, qua ascendit Jerosolymam, scil. anno tertio conversionis suæ, vel secunda vice, scil. post 14. annos, & utraque vice jam erat Apostolus, jam prædicaverat, & alias functiones Apostolicas exercuerat.

Con-

[1] 4.*d* 24.*B*.5. [2] *ibid.n*.7. [3] 1.*Tim*.4.
[4] 2.*Tim*.1. [5] *Eccl.Hier*.5. [6] *Act*.13.

Contra. Neutro illo tempore id contigit, sed medio quodam, sc. anno Christi 44. quo Antiocheni per illos collectam factam pro Apostolis miserunt Jerosolymam, & tunc redeuntes ordinati sunt. Non legitur autem, quod ante id tempus Ecclesiam ullam fundaverit, vel quemquam ordinaverit Paulus, sed tantùm, quòd prædicabat, & docebat, & licèt Christus ipse per se immediatè elegerit, tamen electio illa erat privata adhuc, & non solemnis in facie Ecclesiæ, donec impositæ sunt illi manus ab aliis Apostolis; ergo &c.

Prob. 3. ex Concil. Trid. [1] docente, *præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hanc hierarchiam præcipuè pertinere, & positos, dicit Apostolus, à Spiritu S. regere Ecclesiam Dei*. Et definit hierarchiam à Deo institutam in Ecclesia constare Coepiscopis, Presbyteris. *Etsi quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem*. Et, *Si quis dixerit Episcopos, qui authoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse veros Episcopos ... anathema sit*; ergo ordinatio Episcoporum est verum sacramentum distinctum à Sacerdotali.

Idem colligitur ex Carthagin. IV. ubi dicitur, *Episcopus cùm ordinatur, duo Episcopi teneant, & ponant Evangeliorum codicem super caput*, &c. ergo ordinatio Episcopi est sacramentum distinctum, quia est ordinatio diversa.

Prob. 4. ex Patribus, qui Episcopatum vocant ordinem, ut S. Dionys. cit. [2] qui tres ordines Ecclesiasticos enumerat, sc. Diaconorum, Presbyterorum, & Episcoporum. Et Epiphan. [3] *Dicere Episcopum, & presbyterum æquales esse, quomodo erit possibile? Episcoporum enim ordo patrum generator est ... Patres enim generat .... Ecclesia, Presbyterorum verò ordo non potens generare patres, per lavacri regenerationem generat filios Ecclesiæ, non tamen patres*; & sic de aliis; ergo sacramentum hoc differt ab aliis ordinationibus.

Prob. 5. Episcopatus est gradus præeminens, & potestas ad actus sacramentales distinctos à potestate, & actibus Sacerdotii; ergo est ordo distinctus, & ordi-

[1] *sess. 23. c. 4.* [2] *Eccles. hier. c. 5.*
[3] *hær. 75.*

natio ejus est sacramentum distinctum à Sacerdotio, & ejus ordinatione: nam inde petitur distinctio ordinum, & ordinationum. Prob.ant. nam actus, & potestas ordinandi presbyteros, & diaconos, & confirmandi, & consecrandi chrisma differunt ab actibus conficiendi Eucharistiam, & remittendi peccata; sed illi spectant ad solos Episcopos, & isti sunt communes Episcopis, & presbyteris; ergo &c.

Confir. nam ordines singuli distinguuntur per materiam, & formam; sed materia, & forma ordinationis Episcopi, & presbyteri differunt; ergo & ipsæ ordinationes.

Dixi, *saltem inadæquatè*: nam Episcopatus includit presbyteratum, non autem iste includit Episcopatum, & iste addit illi novum gradum supra presbyteratum.

Objic. 1. Apostolus presbyteros, & Episcopos pro eodem ordine confundit; ergo non putat eos distingui. Prob. ant. non memorat nisi Episcopos, & diaconos; sed presbyteros non memorat sub nomine diaconorum; ergo sub nomine Episcoporum, & sic eos confundit. Prob.maj. Scribit [1] *Omnibus sanctis qui sunt Philippis, coepiscopis et diaconibus*; & scribens ad Timotheum, [2] præscribit conditiones Episcopi, & diaconi. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse... Diaconos similiter pudicos, non bilingues*, &c. sed non omisisset salutare presbyteros, nec omittere conditiones requisitas ad talem ordinem, nisi putasset eos contineri sub Episcopatu; ergo putavit Episcopatum, & Sacerdotium esse eundem ordinem.

Respon.neg.1. conf.& dist.1.maj. Non meminit, nisi Episcoporum quoad vocem, conc. quoad rem, neg. maj. & 2.conf. & idem dico ad 2.maj. nam, ut notat S. Chrysost. [3] tunc nomina Sacerdotis, & Episcopi erant adhuc communia, quamvis officia essent distincta: nam inquit, *an unius civitatis multi erant Episcopi? nequaquam; sed presbyteros isto nomine appellavit*. Quippe ob paucitatem fidelium iidem utroque munere fungebantur, sc. Episcopali, & Sacerdotali: nam omnis Episcopus est etiam Sacerdos, sed non vicissim; ideo in Episcopis salutabat etiam Sacerdotes, in quibus requirebat easdem virtutes, licèt diversa, & inæqualia essent munia. *Procedente verò tempore, proprium* cui-

[1] *Philip.* 1. [2] 1. *Tim.* 1. [3] *ibid. ser.* 1.

cuique distributum est nomen; imò et ipse etiam Episcopus vocabatur diaconus.

Inst.ex D.Hieron. *Idem est presbyter, qui Episcopus, et antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, et dicerentur in populis, ego sum Pauli, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur*; ergo presbyteratus, & Episcopatus sunt idem ordo.

Resp.neg.conf. Nec enim id somniavit S.Doctor, sed solum vult, quod ab initio ante schisma Corinthianum, in quo dicebant fideles, *ego sum Pauli, et ego Cephæ*, eodem nomine vocabantur presbyteri, & Episcopi, ut dicebamus ex Chrysostomo, & cùm in singulis urbibus non constituerentur Episcopi, benè verò presbyteri, illæ regebantur communi consilio presbyterorum; sed numquam putavit simplicem Sacerdotem æquandum Episcopo in dignitate, & potestate.

Objic.2. Episcopatus, ut distinctus à Sacerdotio, non ordinatur ad Eucharistiam conficiendam, & administrandam: nam sub hac distinctione, & respectu est supra Sacerdotium; ergo sub hac distinctione non est ordo sacramentalis. Prob. conf. ex definitione ordinis sacramentalis, qui habet ministerium aliquod circa Eucharistiam; sed Episcopatus, ut distinctus à Sacerdotio, non habet tale ministerium; ergo, ut distinctus, non est ordo sacramentalis.

Resp.neg.ant.& min. nam Episcopus etiam, ut distinctus, & superior presbytero, est minister ipsius ordinis Sacerdotalis, & illi confert potestatem conficiendi Eucharistiam, & aliis ordinibus inferioribus illam ministrandi; item consecrat templa, & altaria, vasa, & vestes sacras, quæ inserviunt illi ministerio; & hoc sufficit, ut illi conveniat dicta definitio.

Inst. De ratione ordinis sacramentalis est, ut exigat tempus certum, in quo conferatur; sed nullum tempus determinatur pro ordinatione Episcopi; ergo non est ordo sacramentalis.

Respon. neg. maj. nam licèt Ecclesia determinaverit quædam tempora ordinationum, id tamen non est de essentia ordinum sacramentalium, ut patet ex praxi.

Resp. 2. neg. min. Nam Episcopi non debent consecrari, nisi in die Dominico, aut solemni festivo.

CON-

CONCLUSIO II.

T*Onsura clericalis non est propriè ordo, nec psalmista, nec cantor, nec laborans, seu fossarius*. Est communis contra paucos, qui volunt tonsuram esse ordinem.

Prob.1.ex Scoto. [1] *Nego primam tonsuram esse ordinem. Et cùm dicis esse signum rei sacræ, respondeo non esse signum practicum efficax rei sacramentalis, id-est gratiæ*, &c.

Prob.2. ex Conc.Trid.cit. [2] quod tonsuram clericalem non ponit inter ordines, sed ut dispositionem ad illos, *ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores, & majores ordines ad Sacerdotium ascenderent*; ergo est tantùm dispositio quædam prævia ad ordines, non ordo.

Prob.3. nam ordo est gradus, seu potestas eminens in Ecclesia, & disponens ad aliquem actum eminentem exercendum in ea in ordine ad Eucharistiam; sed nihil tale confertur homini per tonsuram; ergo &c. Patet maj. ex definitione ordinis: nam in verbis, quæ habent rationem formæ in hac ceremonia, nihil tale significatur nec formaliter, nec virtualiter; ergo per illam non datur tonsurato potestas ulla.

Prob.2.p. eadem ratione, quia nullum ex illis officiis dat potestatem, nec præeminentiam ullam in Ecclesia ad exercendos ullos actus spectantes ad Eucharistiam, nec per ullam cæremoniam conferebantur, quæ significaret gratiam sacramentalem.

Confirm. nam illis ministeriis destinabantur quidam officiales, aut laici, aut etiam ex aliis ordinibus, & illa spectabant ad aliqua opera disciplinæ Ecclesiasticæ, ut *notarii*, aut charitatis, ut *laborantes*, & *defensores*, ac *fossarii*, aut religionis, ut *custodes martyrum*. Ex simplicibus clericis assumebantur *laborantes*, qui mortuorum corpora curabant, & *fossarii*, qui illis sepeliendis operam dabant. Ex omni statu, etiam laicorum, erant *confessores*, qui coram gentibus, & regibus confitebantur nomen Dei, & Christi ejus. Ex ostiariis, & subdiaconis sumebantur *custodes martyrum*, sive *sanctuarii*, seu *martyrii*, in quo

[1] *ibid.L.*12. [2] *ibid.c.*2.

quo sub altari recondita erant corpora martyrum, & reliquiæ, & apud Latinos dicebatur *confessio*: nam adhuc Romæ *Confessio Sancti Petri* est locus sub altari, in quo primùm requievit corpus ejus. Ex ordine lectorum sumebantur non solum *psalmistæ*, & cum illis confundebantur, sed etiam *notarii*, qui res Ecclesiasticas, & maximè passiones martyrum scribebant. Ex omnibus sumebantur *defensores*, qui viduarum, & pupillorum, & afflictorum, & pauperum patrocinium exercebant. Idem est de *cantoribus*, qui etiam sumebantur ex laicis, imò & ex Catechumenis. Unde in Concil. Carthagin. IV. dicitur, quòd *psalmista, id est cantor, potest absque licentia Episcopi, sola jussione presbyteri, officium suscipere cantandi.... dicente sibi presbytero, Vade, ut, quod ore cantas, & corde credis, operibus comprobes*; ergo in his, & similibus nulla est forma sacramentalis, nec propriæ ordinationis.

Objic. 1. cont. 1. par. Per tonsuram homo extrahitur ex statu laicali, & deputatur ad ministeria Ecclesiastica, & ei datur potestas cantandi laudes divinas. Et Innocentius III. [1] vocat illam ordinem, & denique gaudet privilegiis clericorum; ergo est verus ordo, & verum sacramentum.

Resp. dist. ant. Extrahitur initiativè, & dispositivè ad ordines, conc. in ratione veri ordinis, neg. antec. & conseq. nam 1. facultas, seu onus psallendi commune est omnibus, etiam laicis, imò & catechumenis, ut dicebamus. 2. Innocentius loquitur de ordine latè sumpto, & impropriè, non rigorosè, pro actu sacramentali, sicut & Xyxtus V. cùm illi tribuit characterem clericalem, scilicet sumit illud nomen pro aliqua nota externa, vel interna, qua designantur destinati ad statum Ecclesiasticum, ut simplices clerici. Imò ex constitutione Xyxti patet illum characterem, seu clericatum non esse verum ordinem; sed dispositionem ad ordines, quia dicit, [2] *Munus est Præsulum militiæ clericali adscribere, & ad majores, & minores ordines promovere*; ergo non censet clericatum esse inter ordines majores, aut minores. 3. quia privilegium clericale conceditur etiam monachis, & mo-

nia-

[1] *cap. Cùm contingat.*
[2] *Constit.* 91.

nialibus: ergo non est signum veræ ordinationis sacramentalis.

Objic. 2. Conc. Trid. [1] graviter prohibet Episcopis *non subditos promovere ad sacros, vel minores ordines, vel primam tonsuram.* Item, [2] quod *tonsura non initientur, de quibus probabilis conjectura non sit eos hoc vitæ genus elegisse, ut Deo fidelem cultum præstent.* Item, [3] *Prima tonsura initiatus .... privilegio fori non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut tonsuram clericalem, et habitum deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi deserviat.* Denique per tonsuram destinantur ad majores ordines; ergo ex Conc. Trid. tonsurati ponuntur inter ordinatos ad ministerium Ecclesiæ, & ipsius Eucharistiæ; ergo est verus ordo.

Resp. neg. consf. nam ex his ipsis textibus patet Concilium non æstimare clericalem tonsuram esse ordinem, sed ad ordines disponere, & ideo ligat hos clericos, ut ad illos ordines se disponant.

Objic. 3. Tonsura est signum rei sacræ; ergo est verum sacramentum ordinis. Prob. ant. nam significat hominem Deo consecrari; ergo &c.

Resp. neg. consf. Non enim quæcumque res sacra est effectus, & significatum sacramenti, sed gratia, & potestas exercendi aliquos actus sacros in Ecclesia in ordine ad Eucharistiam. Et hæc non significat tonsura, nec ad hoc sufficit illa simplex, & remota destinatio ad statum Ecclesiasticum, quam significat.

Objic. cont. 2. par. Concilia, & Patres reponunt illa ministeria, sc. cantores, psalmistas, &c. inter alios ordines; ergo censent illos esse ordines, ut sunt alii. Prob. ant. In Collectione Canonum dicitur, *non liceat in pulpito canere, ac legere, nisi qui ab Episcopo lectores sunt ordinati.* Et in Constit. Apost. eodem Can. prohibetur presbyteris *ordinare diaconos, vel lectores, vel cantores, vel janitores,* &c. id reservatur solis Episcopis. Et in Conc. Carthag. IV. *Clericorum nomen etiam lectores, et psalmistæ, et ostiarii retineant;* ergo ista ministeria inter veros ordines reputantur.

Respon. neg. conseq. tum quia cantores, psalmistæ, & lectores sæpius pro eodem ministerio reputantur, tum

[1] *sess. 23. c. 4. de reform.*
[2] *ibid. c. 6.*
[3] *ibid. c. 2.*

tum, quia nomen *ordinum* sumunt in latiori significatione, & minus rigorosa.

Quæres, *Quid dicendum de corepiscopatu, an esset ordo verus, & distinctus ab episcopatu, vel Sacerdotio.*

Resp. negativè: nam corepiscopi nomen significat episcopum pagi, seu oppidi, seu vici, quia isti extra urbem episcopalem episcoporum vices agebant, quasi eorum vicarii. Porrò illorum aliqui erant verè episcopi consecrati, sed sine plebe, & de illis loquitur Isidorus, cùm dicit, quod *in vicis, & in villis instituti gubernant commissas sibi Ecclesias, habentes licentiam constituere lectores, subdiaconos, exorcistas, presbyteros autem, & Diaconos ordinare non audeant præter conscientiam Episcopi, in cujus regione præesse noscuntur.* Igitur ordine, seu consecratione erant episcopi, alii verò erant simplices Sacerdotes instituti ad formam 70. Discipulorum, non autem duodecim Apostolorum, quibus succedunt Episcopi, ergo corepiscopatus non est ordo distinctus ab episcopatu, ut patet de primis, vel à Sacerdotio, ut patet de ultimis.

DISPUTATIO II.

De causis, materiali, formali, efficiente, seu ministeriali, & suscipiente sacramenti ordinis.

Sequimur hìc eundem ordinem, quem servavimus in aliis, ut postquam vidimus de ejus essentia, & existentia, unitate, & divisionibus, agamus de ejus causis singulis, non quidem de finali, aut principali efficiente, de quibus nihil restat speciale, nec quidquam dici potest, quod non sit ei commune cum aliis, sed de materia, & forma, & ministro, & suscipiente, seu subjecto.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De materia, & forma ordinis sacramentalis.

SUppono ex dictis de sacramentis in communi, quod singula constant aliquibus rebus, vel actibus, tamquam materia, & verbis, tamquam forma, & quod ex illis verbis, & rebus constituitur materia una totalis, cujus forma, etiam totalis, est significatio gratiæ sacramentalis, quæ est propria cuique sacramento, v.g. in sacramento baptismi, materia remota, & partialis est aqua naturalis, & ablutio, qua tingitur puer; forma etiam partialis, & remota, sunt verba, *ego te baptizo*, &c. Ex utraque verò conflatur signum totale materiale, cujus forma totalis est significatio gratiæ abluentis animam; & sic de aliis.

Suppono 2. quod sicut Christus D. instituit omnia sacramenta, ita & eorum materiam, & formam in genere, vel specie: in genere quidem omnium, in specie verò aliquorum, & non omnium, saltem per se, sed specificam determinationem reliquit judicio, & dispositioni ecclesiæ, modò tam res, quàm verba sint symbola, seu signa sensibilia apta ad significandos effectus singulorum. Sic diximus, quod in matrimonio voluit consensum contrahentium esse materiam ejus proximam, & totalem conflatam ex personis contrahentibus, & verbis, quibus exprimunt consensum mutuum, sed rationem contractus reliquit dispositioni Ecclesiæ. Ita est de ordine, Christus determinavit materiam in genere tantùm, quatenus voluit ordines conferri in rebus, & verbis aptis ad significandos eorum effectus, sc. potestatem singulis propriam exercendi actus etiam proprios in Ecclesia circa sacrificium Eucharistiæ, seu Missæ, sed electionem rerum, & verborum, ex quibus constant signa, seu sacramenta, singula illa reliquit Ecclesiæ.

Hinc est, quòd in Ecclesia tam Orientali, quàm Latina singuli ordines dantur per aliquos ritus, & signa actuum, & verborum sensibilium idem significantium, sed in specie atoma diversa sunt, ut patet ex Ritualibus.

CON-

CONCLUSIO I.

Materia singulorum ordinum in Ecclesia Romana est porrectio instrumentorum, quibus exercentur illorum actus, & forma verba, quibus significatur potestas data ad illos actus exercendos in Ecclesia.

Prob.1. ex Scoto, quatenus docet *hoc sacramentum conferri in aliquo signo sensibili repræsentante ministerium gradus, & per verba prolata cum debita intentione, & pro Sacerdotio assignat duas formas partiales, quarum altera confertur potestas conficiendi eucharistiam, in reliqua potestas absolvendi in pœnitentia; et istis conjunguntur duæ materiæ, hoc est duo signa visibilia, propria forma, prima traditio calicis, & patenæ cum hostiis: Accipe potestatem celebrandi*, &c. *Forma impositio manus episcopi super caput*, &c. ergo idem est de aliis cum proportione.

Confir. ex eodem in Reportatis. *Patet, quod materia hujus sacramenti est aliquod sensibile externum, vel ostensio gradus eminentis in aliquo signo visibili ad exercendum aliquem actum eminentem circa corpus Christi verum .... forma verò sacramenti, secundum diversas ordinationes .... sunt certa verba, quæ sunt scripta in libris Episcoporum.* &c.

Prob.2. ex Concilio Florent. [1] dicente, *Sextum sacramentum est ordinis, cujus materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo, sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane traditionem .... forma Sacerdotii talis est*, &c. Et Trid. [2] *Patrum unanimi consensu perspicuum est, per sacram ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri*. Signa autem alia non apparent præter porrectiones instrumentorum, nec alia verba, quàm quæ significant functiones singulorum; ergo &c.

Prob.3. Nam certum est omnia sacramenta constare signis sensibilibus, tamquam materia, & verbis, tamquam forma; sed singuli ordines sunt sacramenta; ergo singuli constant materia, seu rebus, & verbis; sed nullæ res possunt aptiùs assignari, quàm porrectiones instrumentorum, quibus exercentur actus eorum,

[1] *decr. Euge.* [2] *Sess. 23. c. 3.*

rum, nec verba ulla meliùs, quàm illa, per quæ significatur dari potestas illos actus exercendi circa eucharistiam; ergo &c.

Objic. Materia, & forma sacramentorum debet institui, & determinari ab authore illorum; sed neutra determinata est à Christo, quia neutra usus est ipse, nec de illis fit mentio in Scriptura; ergo &c.

Resp. ex dictis dist. maj. Determinari in genere, vel specie, con. maj. & neg. min. in specie semper, neg. maj. & conf. nam sufficit determinatio in genere, & quod determinationem in specie reliquerit Ecclesiæ suæ, ut de facto reliquit istam.

Objic. 2. materia, & forma sunt partes essentiales sacramenti, sine quibus non existit; sed sine porrectione instrumentorum valet ordinatio; ergo porrectio illa non est materia ordinationis. Prob. min. nam apud Græcos non porriguntur ulla instrumenta, & tamen validè ordinant; ergo &c.

Resp. dist. min. sine porrectione formali, con. sine porrectione virtuali, aut signo æquivalenti, neg. min. & 2. conf. Nam Græci non porrigunt quidem instrumenta, sed adhibent signa æquivalentia, quibus ex illius Ecclesiæ determinatione immediata, & Christi determinatione mediata idem cum verbis significatur, quod per nostram porrectionem instrumentorum, & per verba significatur apud Latinos.

Igitur materia ostiariatus remota sunt claves Ecclesiæ, proxima est earum traditio, cum cymbalo ad convocandum populum. Forma est ista, *Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur*. Quippe officium ostiarii, qui est *janitor*, seu *æditυus* dicitur, est aperire Ecclesiam fidelibus, & claudere infidelibus, aperire sacrarium, pulsare campanam, aperire librum prædicanti, & quæ sunt in Ecclesia, custodire, ne pereant.

Materia lectoratus est liber, & traditio libri lectionum facta per Episcopum, forma verò verba, quæ profert Episcopus porrigendo librum, *Accipe, & esto verbi Dei relator*, &c. Quippe officium ejus erat in Ecclesia legere Scripturam sacram. Dico *legere*, non autem prædicare, quod est munus diaconi.

Materia exorcistatus est liber, & traditio libri exorcismorum; forma autem sunt verba Episcopi dicentis,

tis, *Accipe*, *& commenda memoriæ*, *& habe potestatem imponendi manus super energumenos*, &c. Officium enim exorcistarum erat imponere manus super energumenos, & expellere ab eis Dæmones, legendo super illos exorcismos Ecclesiæ, & sic eos præparare, ut sacris possent interesse, & participare de illis.

Materia Acolythatus est cereus, & traditio ejus extincti, & urceoli vacui. Forma sunt verba Episcopi, *Accipe ceroferarium cum cereo.... Accipe urceolum ad suggerendum vinum, & aquam ad eucharistiam*, &c. Vides materiam hujus ordinis constare duabus partibus integrantibus, quæ sunt traditio cerei, & urceoli, cum verbis cuique convenientibus. Quia officium Acolythi est lumina accendere, & deferre, & cum his assistere Sacerdoti celebranti, & præparare, ac porrigere vinum, & aquam subdiacono.

Idem est de materia subdiaconatus: tradetur ordinando calix vacuus cum patena, quam tangit manu dextera, Episcopo dicente, *vide, cujus ministerium tibi traditur*, &c. Et liber Epistolarum, dicente eodem, *Accipe librum Epistolarum*, *& habe potestatem legendi eas*, &c. scilicet duplex quoque hic est materia, & forma, quia ministerium subdiaconi est potestas legendi solemniter Epistolam, & ministrandi vasa corporis, & sanguinis Christi, quæ tamen non tangit, ex quo in eis est corpus, & sanguis ille divinus.

Idem etiam est de diacono: nam materia ordinationis ejus consistit in traditione libri Euangeliorum, & impositione manuum Episcopi, cum verbis utrique actioni propriis: nam tradendo librum dicit, *Accipe potestatem legendi Euangelium*, &c. Et imponendo manus dicit, *Accipe Spiritum S. & ad resistendum Diabolo*, *& tentationibus ejus in nomine Domini*. Unde officium Diaconi est: 1. assistere Sacerdoti in his, quæ spectant ad sacrificium Missæ, cui materiam consecrandam à subdiacono acceptam porrigit. 2. Euangelium in Missa solemni cantare. 3. olim erat Calicem communicaturis porrigere, & dispensare. 4. erat baptizare. 5. prædicare verbum Dei populis, & Euangelium explicare. 6. Ecclesiæ thesauro, & oblatis eleemosynis præesse, & eas pauperibus

bus erogare, juxta episcopi, vel sacerdotis decretum; & præcipuè cura illi erat fidelibus, qui ob confessionem fidei carceribus detinebantur, providendi; sed duo tantùm, vel tria priora munia videntur propriè spectare ad hunc ordinem, quia præcipuè concernunt eucharistiam, & sacrificium Missæ.

Materia presbyteratus sunt signa sensibilia, quæ in ejus collatione adhibentur, & forma sunt verba, quæ in illorum signorum exhibitione proferuntur. Signa principalia sunt 1. porrectio calicis cum patena, & hostia, & verba huic correspondentia sunt, *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, missasque celebrandi*, &c. 2. manuum impositio cum his verbis, *Accipite spiritum S. quorum remiseritis peccata*, &c. Nam sacerdotium duplicem habet potestatem, unam consecrandi eucharistiam, & aliam remittendi, aut retinendi peccata in sacramento pœnitentiæ. Quibus adde administrationem extremæ unctionis.

Materia denique episcopatus est manuum impositio, & forma sunt verba hæc, quæ à tribus episcopis consecrantibus proferuntur super ordinandum. *Accipe spiritum S.* Quæ licèt sint generalia, tamen satis notant eminentiam istius ordinis, & dignitatis, quatenus aliquo modo, & sine limitatione, & mensura datur Spiritus S. qui limitatè datur in aliis, scil. ad fines, & functiones eorum speciales.

Accedit quidem unctio capitis, & manuum, sicut in baptismo, & ordinatione sacerdotis, & alibi; sed conveniunt Theologi hanc non esse de essentia hujus sacramenti, nec enim legitur, quòd Apostoli eam adhiberent, nec aliud signum, præter manuum impositionem.

Hæc autem breviter tetigisse sufficiat studentibus nostris. Qui plura volet, legat Cardinalem nostrum Brancatum, & Patrem Frassen.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De ministro hujus sacramenti.

QUærimus præcipuè de ministro ordinario, cui competit ex officio, & specialiter administratio singulorum ordinum.

CONCLUSIO I.

S*Olus Episcopus est minister ordinarius hujus sacramenti*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, quod *potestas, quam addit Episcopatus supra Sacerdotium, respicit aliquem actum sacramentalem, sc. confirmare, & ordines conferre, actus sunt proprii Episcopo* .... Et in definitione ordinis dicit, quod *est institutio in gradu Ecclesiæ .... facta ab Episcopo. Et si quæras.... Quis est minister idoneus? Dico, quod Episcopus, & solus in sacris ordinibus: in aliis autem non sacris, aliquando ex commissione, aliqui privilegiati, ut Abbates.*

Prob. 2. ex Script. Nam Christus in ultima cœna ordinavit Apostolos in Sacerdotes, & ipsi Apostoli post ejus Ascensionem ordinaverunt Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos sic: *Paulus, & Barnabas constituerunt per singulas Ecclesias presbyteros*. Et Paulus dicit se ordinasse Timotheum, dicens, *noli negligere gratiam, quę in te est cum impositione manuum presbyterii*, quod de se dicit, ut colligitur ex præcedenti, *Ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Et ad Titum, *Reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates presbyteros*, &c.

Prob 3. ex Concil. nam in Florent. dicitur, *Ordinarius minister hujus sacramenti est Episcopus*. Et in Trid. dicitur, *Episcopos sacramentum confirmationis conferre, & ministros Ecclesiæ ordinare*, &c.

Confir. ex Patribus. Nam S. Dion. refert ritum ordinandi Episcopum, Sacerdotem, Diaconum, & alios à Pontifice, seu Episcopo. Idem docet Hieron. reservans Episcopo confirmationem, & ordinationem.

Objic. Coepiscopi olim conferebant ordines; sed illi

illi non erant Episcopi; ergo &c. Prob. maj. ex Concilio Antioch. Ubi de illis dicitur, quòd *ordinent lectores, & subdiaconos, atque exorcistas.* Et in Nicæno permittitur eis *lectores ordinare*; ergo &c.

Resp. dist. maj. Si erant Episcopi, & ex commissione Episcoporum, conc. ex potestate ordinaria, & si non erant Episcopi, neg. maj. & 2. conf. Nam in illo primo Concilio non permittitur eis ordinare diaconos, & in 2. dicitur expressè, quod *ex antiqua consuetudine corepiscopos. Episcopi permissu oportet lectores ordinare*; ergo id faciebant potestate delegata, etiam quamvis essent Episcopi, ut sunt hodie Episcopi titulares, qui carent plebe: nihil enim facere possunt, nisi permissu diœcesani.

CONCLUSIO II.

Ordinatio minorum ordinum, imò & subdiaconorum, ac diaconorum potest committi presbyteris, non Episcopis.

Prob. 1. ex Scoto citat. *Nam in aliis non sacris, aliquando ex commissione aliqui privilegiati, ut Abbates,* sc. sunt ministri idonei minorum ordinum.

Prob. 1. ex Concil. Trid. *Abbatibus, & aliis quibuscumque, quamvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus diæcesis consistentibus, etiam si nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit tonsuram, vel minores ordines conferre,* &c. ergo possunt ordinare Regulares sibi subditos ordinibus minoribus, & Tonsura. Idem patet ex pluribus decretis Apostolicis, quæ habes apud Cardinalem de Laurea. Inter alia citat B. Innoc. VIII. an. 1489. pro Abbate Cisterciensi, & aliis quatuor coabbatibus. *Ne Monachi dicti ordinis pro suscipiendis ordinibus subdiaconatus, & diaconatus extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi, et successoribus tuis, ut quibuscumque dicti ordinis Monachis .... subdiaconatus, ac diaconatus ordines .... ritè conferre,* &c. ergo hæ ordinationes possunt delegari non Episcopis: nam à facto ad posse valet conseq.

CON-

CONCLUSIO III.

R*Egulariter, & ex præcepto Ecclesiæ hodie requiruntur tres Episcopi ad consecrationem Episcopi.*

Prob. 1. ex Script. cit. qua constat Timotheum fuisse ordinatum *cum impositione manuum presbyterii*, sc. manuum Pauli cum aliis Episcopis. Et ipse Paulus cum Barnaba ordinati sunt per Apostolos, qui erant Jerosolymis, quippe *imponentes eis manus, dimiserunt illos.*

Prob. 2. ex SS. Canonibus, & Concil. 1. in can. Apostolorum dicitur; *ex tribus Episcopis ordinetur Episcopus*. In Concil. Arelat. 1. prohibetur ordinare Episcopum nisi assumptis secum aliis 7. Episcopis (aut saltem) *sine tribus fratribus*. Et in Niceno 1. *Episcopum convenit maximè quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, saltem, illis consentientibus per scripta, ordinatio celebretur*. Idem statuitur in aliis pluribus. Et Gregor. Mag. ad Augustinum Anglorum Episc. scribit *Episcoporum ordinatio, sine aggregatis tribus, vel 4. Episcopis fieri non debet*. Et ad Bonifacium Moguntinum. *Quoties Episcopum consecraveris, duo, vel tres conveniant tecum Episcopi.*

Igitur varia fuerunt decreta Ecclesiæ circa ordinationem istam. Aliquando statutum erat, ut fieret à Metropolitano, præsentibus, aut consentientibus aliis comprovincialibus Episcopis, ut in Concilio Nicæno 1. Et in Concilio Africano, ut saltem à duodecim. Aliquando à duobus, ut in Can. cit. Apostol. & in Concilio Rhegiensi, ubi confirmatur ordinatio Episcopi Ebredunensis facta à duobus. Aliquando etiam ex Papæ dispensatione sufficit unus, ut dispensatum fuit à Gregorio XIII. cum Patriarcha Æthiopiæ, ut solus ordinaret Episcopos, si vellet. Idem concesserunt alii Pontifices commorantibus in Æthiopia, & America, & sic de aliis. Vide Cardinalem cit.

Dixi propterea, *Regulariter*. Nam hodie, & ab initio, & ferè semper, hæc ordinatio facta est à tribus.

2. Dixi, *Ex præcepto Ecclesiæ:* nam si adesset præceptum Divinum non posset in eo dispensari. Et non

legimus Christum in hoc quidquam determinasse, sed hoc dispositioni Ecclesiæ reliquisse.

Cur autem plures ad hoc requirantur Ministri, ratio esse potest, ut ex pluralitate in unum concurrentium repræsentetur Ecclesiæ unitas, quæ ex pluralitate coalescit. 2. Ad ampliorem gratiam, quæ convenit huic ordini, qui est plenitudo sacerdotii. 3. exiguntur plures; ne res tanti momenti, unius Episcopi judicio permittatur.

QUÆSTIO III.

De subjecto ordinis.

Certum est 1. Suscipientem ordines debere esse baptizatum, quia baptismus est janua sacramentorum, ut sæpe dictum est, sed quæritur, an Christiani omnis sexus, & ætatis, & conditionis possint valide, aut licite ordinari, v. g. fœminæ, aut pueri ante usum rationis? An spurii? &c.

CONCLUSIO I.

Foeminæ ordinari non possunt validè, & hoc de jure divino æque, ac Ecclesiastico. Est communis contra Colliridianos Cataphrygas, qui volebant fœminas esse capaces sacerdotii.

Probatur 1. ex Scoto, [1] qui docet, quod *hoc non est tenendum præcisè tamquam per Ecclesiam determinatum, sed habetur hoc à Christo. Non enim Ecclesia præsumpsisset totum sexum muliebrem privasse sine culpa sua actu, qui sibi licite competeret, & qui esset ordinatus ad salutem mulieris, & aliorum in Ecclesia per eam. Quia hoc videretur maximæ injustitiæ, non solum in toto sexu, sed etiam in paucis personis. Nunc autem, si de lege Divina licitè posset competere mulieri ordo Ecclesiasticus, posset esse ad salutem, & earum, & aliorum per eas*, &c.

Prob. 2. cum eodem ex Script. Nam inquit Apost. [2] *Docere mulierem non permittas, neque dominari in virum, sed esse in silentio .... non permittas, quia nec Christus permisit, cujus argumentum evidens accipitur, quia nec matrem suam posuit in aliquo gradu* in

[1] d. 25. q. c. 4. [2] 1. cor. 11.

in Ecclesia, cui nulla alia potuit, vel non poterit in sanctitate comparari. Ratio autem naturalis huic dicto consonat, quam Apost. innuit, nam natura non permittit mulierem (saltem post lapsum) tenere gradum eminentem in specie humana. Si quidem est dictum sibi in pœnam peccati sui, sub viri potestate eris, &c.

Confir. hæc ratio ex eodem Apost. qui postquam vetuit permitti mulierem docere, nec dominari, addit, *Adam enim prior formatus est, deinde Heva*, Item, *Adam non est seductus; mulier autem seducta in prævaricationem fuit*; sc. Lex divina, quæ excludit fœminas ab Ecclesiasticis dignitatibus, & ordinibus, fundatur in lege primatus, qui pertinet ad virum, & in lege justitiæ, quæ non vult tantum onus credi sexui tam fragili: attenta sc. fragilitate, quam exhibuit in culpa, in cujus pœnam addicta est perpetuæ subjectioni.

Confir. 2. ex eodem Apostolo[1] prohibente fœminas, nequidem loqui in Ecclesia, ut interrogent, & discant. *Mulieres in Ecclesia taceant; non enim permittitur eis loqui, sicut & lex dicit. Si quid autem velint discere, domi viros suos interrogent, turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia*; ergo multò minùs licebit eis loqui in docendo, vel administrando sacramenta.

Prob. 3. Nam si sola Ecclesiæ lex id prohiberet, aliquando ipsa in hoc dispensasset in aliquot fœminis sanctissimis, & sapientissimis, ut dicebat Doctor de Maria Deipara: sed nusquam legitur Ecclesiam permisisse fœminam ullam ordinari. Unde Tertul. [2] dicebat, *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui; sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nec dum sacramentalis officii sortem sibi vindicare*. Quod non solùm ab initio nascentis Ecclesiæ, sed etiam ab initio mundi apud veræ Religionis cultores observatum est, ut nulla fœmina sacerdotali officio functa sit.

Prob. 2. p. de præcepto Ecclesiæ 1. ex Concil. Carthagin. IV. & Constantiensi, constitut. Martini V. prohibentur prædicare, & solemniter baptizare, in Parisiensi VI. prohibentur Eucharistiam administrare. In Laodic. VI. prohibentur inservire altari, & lectiones legere, &c.

V 2 Objic,

[1] 1. *Cor.* 14. [2] *de vel. virg. c.* 8.

Objicies 1. Diaconissæ per veram ordinationem instituebantur ; ergo Diaconatus conferebatur fœminis. Prob. ant. ex Tertull. [1] Ecclesia *bigamos non sinit præsidere, aut viduam adlegi in ordinationem, nisi univiram non concedit.* Vides ordinationem viduæ. Et in Concil. Nicæno 1. postquam concessit Paulianistas rebaptizatos posse iterum ordinari ab Episcopo, *similiter de Diaconissis, & universè de iis, qui in clero recensentur, eadem forma servabitur.* Et in Chalcedon. [2] *Statuitur Diaconissam non ordinandam ante annum 40. & hanc cum summo libramine ; si verò suscipiens manus impositionem, semet ipsam tradat nuptiis, gratiam Dei contumeliam faciens, anathematizetur.* Sed nihil clarius dici potest pro vera ordinatione ; ergo &c.

Resp. dist. ant. & min. Per veram ordinationem cæremonialem : con. sacramentalem : neg. ant. & min. Nam illæ ordinationes fiebant quidem per aliquas cæremonias ab Ecclesia institutas, quibus fœminæ illæ ad quædam pia ministeria circa fœminas destinabantur, sed non ad ullum sacramentum, & maxime ad sacramentum altaris conficiendum, aut dispensandum ; *sed ut muliebris sexus honestati consulatur, sive, ut baptismi tempore adsit .. .. sive cum nudandum est mulieris corpus, ne virorum, qui sacris operantur, aspectui sit exposita, sed à sola Diaconissa videatur, quæ sacerdotis mandato mulieris curam gerit.* Inquit S. Epiphan. [3]

Objic. 2. In Canonibus antiquis quædam dicuntur presbyteræ, & Episcopæ; ergo sunt etiam capaces ordinis presbyteralis. prob. ant. ex Concil. Turon. [4] 11. *Episcopum non habentem, nulla sequitur turba mulierum .. .. si inventus fuerit presbyter cum sua presbyterissa, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut subdiaconus,* &c. *per annum excommunicatus habeatur.* Et Gregor. Mag. mentionem facit de vestibus, quibus utuntur presbyteræ ; ergo &c.

Resp. neg. ant. & 2. cons. Nam ita dicebantur illæ fœminæ, non quod participarent de illis ordinibus, sed quia mariti earum ordinati erant Episcopi, aut presbyteri; seu, sic vocabantur ex dignitate maritorum, à quibus

[1] c.44. [2] *can.9.ca.15.*
[3] *Hær.79.* [4] *can.12. & 20.*

quibus tamen divortium fecerant, nam inquit Concil. Antisiodor. [1] *Non licet presbytero in uno lecto post acceptam benedictionem cum presbytera sua dormire.* Et in Concil. Trullano jubetur uxor Episcopi consecrati; *Monasterium ingredi procul ab Episcopi habitatione extructum.*

Objic. 3. Moniales Abbatissæ ordinantur vera ordinatione; ergo &c. prob. ant. Nam moniales deputantur Psalmodiæ Ecclesiasticæ, accinunt, & respondent Sacerdoti celebranti, & ministrant. Et Abbatissæ jurisdictionem exercent, non solùm in suas Moniales, sed etiam in clericos, ut constat ex cap. *Dilecto*, ubi Honorius III. præcipit Abbati Abradensi, ut per censuras compellat clericos, & Canonicos obedire Abbatissæ de Brubigen. *& ejus salubria monita, & mandata observare;* ergo Monialium, & Abbatissarum vera est ordinatio.

Respondeo neg. 1. ant. & 2. cons. Imo inde constat nullam fuisse illius Abbatissæ jurisdictionem spiritualem, sed merè temporalem, & œcumenicam. Ille autem cantus non est actus veri ordinis, sed nudæ pietatis. Nam olim fideles omnes in Ecclesia psallebant simul, & promiscuè; sed jam id prohibitum est. Abbatissarum autem benedictio est purè cæremonialis, non sacramentum.

Objic. 4. ex script. [3] *In Christo J. non est servus, neque liber, non est masculus, neque fœmina;* ergo ex Christi voluntate omnia sacramenta sunt omnibus communia sine distinctione sexuum, nec conditionum.

Respond. ex Scoto. dist. conf. quoad consecutionem gratiæ, & gloriæ: con. quoad gradum *habendum in Ecclesia*, & quoad administrationem; neg. conf. nam quoad hoc *benè decet esse distinctionem inter virum, & mulierem in lege Christi; quia hoc consonum est legi naturæ.*

Colligis 1. Quod in primitiva Ecclesia fuerunt Diaconissæ, quarum munus erat, non quidquam agere circa sacramentum altaris, sed vel pauperum fœminarum curam gerere, & fœminarum baptismo adesse, ut in iis nudandis, aut induendis non paterent oculis sacerdotis, &c. in iis abstergendis post unctionem, &c.

[1] *c.314.can.48.* [2] *Gal.3.* [3] *ibid.F.8.*

2. Colligis illas quidem per orationes, & manus impositionem solitas inaugurari, sc. deprecatoriè, sicut vivente Christo ungebant Apostoli infirmos: sed non erant actus sacramentales. Et hodie similes orationes, & cæremoniæ fiunt in monialium receptionibus, & professionibus, & Abbatissarum electionibus.

CONCLUSIO II.

P*Ueri ante usum rationis, imò & amentes, validè, sed non licitè possunt ordinari*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente. *Primo modo*, (sc. licitè, & honestè) *puer non habens* discretionem, non potest recipere ordines, *quia non potest cum debita reverentia recipere talem gradum, qui confertur in ordine. 2. modo* (sc. licitè) *puer non potest recipere ordinem sacrum, licet illo modo possit recipere ordines inferiores*, &c. ergo ex Scoto, tam pueri, quam amentes possunt validè ordinari, sed non licitè, nec honestè.

Prob. 2. nam, ordinis sacramentum, sicut nec Baptismus, nec confirmatio ad effectum suum non requirunt actum consensus ex parte suscipientium, sed ista possunt validè conferri in quavis ætate, etiam pueris, & amentibus: ergo & istud. prob. maj. Nam ille consensus requireretur vel ut materia, vel ut forma, vel ut conditio ad effectum ordinationis: sed nullum horum dici potest; ergo &c. Prob. min. 1. Non ut materia, vel forma, patet enim, quòd neutra includit actum consensus ex parte suscipientis magis, quam baptismus, vel confirmatio. 2. Non ut conditio; quia sacramentum ordinis non est minoris efficaciæ, quam illa: sed efficacia baptismi, & confirmationis, imò nec Eucharistiæ, non pendet à consensu, seu acceptatione subjecti; ergo &c.

Prob. 2. ex SS. Canonibus, quia ætatem, & tempora ordinationum determinant, ut cap. *vel non*, de tempor. ordinat. ubi Honor. III. Suspendi jubet Episcopum, qui Diaconatum contulit puero ante 13. ætatis annum, & ipsum ordinatum ab executione ordinum, & vult, quod Episcopus provideat puero de beneficio Ecclesiastico competenti. Et in Concilio Trid. [2] præfigitur ætas pro singulis ordinibus sacris.

Objic.

[1] *d.25.q.2.A.2.* [2] *Sess.Ref.c.12.*

Objic.con.1. p. Ad validam ordinationem requiritur consensus suscipientis; sed puer, nec amens ante usum rationis non potest consentire; ergo nec ordinari.pro. maj.ex cap. *Majores*, ubi dicitur,quod inviti non baptizantur validè: *Tunc enim characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*. Sed qui non consentit, est invitus; ergo &c.

Resp.dist.maj. Consensus negativè saltem; con. positivè:neg.maj. utramque. Nam Papa loquitur de contrarietate positiva, non de negativa. Imò non judicat hanc ordinationem invalidam, sicut nec baptismum, aut confirmationem:sed supponit ab eis imprimi characterem; quia pueri, & amentes non habent obicem contrariæ voluntatis, propriè loquendo:

Inst. Valida ordinatio includit votum, seu obligationem cælibatus, & suscipiens transfertur à statu laicali ad clericalem; sed hæc translatio requirit consensum positivum: non enim potest ligari nisi volens; ergo & ordinatio.

Resp.neg.maj. nam in baptismo contrahuntur non minores obligationes, & mutationes. Ibi fit mutatio à statu peccati, & æternæ damnationis, & servitutis diaboli ad statum gratiæ, & filiationis Divinæ, cum obligatione servandi leges Euangelicas, & Ecclesiasticas,ad quas baptizati omnes compelli possunt; ut constat ex eodem Canone; ergo sicut hæc non impediunt effectum baptismi, nec impressionem characteris, ita nec in isto.

Objic. 2. Episcopatus habet aliquam rationem matrimonii Episcopi cum Ecclesia, quæ illi datur: sed matrimonium exigit consensum nubentibus, quem habere non potest puer, nec amens; ergo &c.

Resp.neg.maj. absolutè; nam hoc dicitur metaphoricè.Matrimonium verum exigit consensum reciprocum inter nubentes; Ecclesia autem, quæ dicitur sponsa,non consentit, sed se habet purè passivè. Præterea multi consecrantur Episcopi sine Ecclesia sponsa.

Objicies 3. Episcopus, & Sacerdos sunt mediatores inter Deum, & populum: sed hoc non potest convenire puero, vel amenti ante usum rationis; ergo nec illi ordines. prob. min. mediatio non fit sine acceptatione; ergo &c.

bus erogare, juxta episcopi, vel sacerdotis decretum; & præcipuè cura illi erat fidelibus, qui ob confessionem fidei carceribus detinebantur, providendi; sed duo tantùm, vel tria priora munia videntur propriè spectare ad hunc ordinem, quia præcipuè concernunt eucharistiam, & sacrificium Missæ.

Materia presbyteratus sunt signa sensibilia, quæ in ejus collatione adhibentur, & forma sunt verba, quæ in illorum signorum exhibitione proferuntur. Signa principalia sunt 1. porrectio calicis cum patena, & hostia, & verba huic correspondentia sunt, *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, missasque celebrandi*, &c. 2. manuum impositio cum his verbis, *Accipite spiritum S. quorum remiseritis peccata*, &c. Nam sacerdotium duplicem habet potestatem, unam consecrandi eucharistiam, & aliam remittendi, aut retinendi peccata in sacramento pœnitentiæ. Quibus adde administrationem extremæ unctionis.

Materia denique episcopatus est manuum impositio, & forma sunt verba hæc, quæ à tribus episcopis consecrantibus proferuntur super ordinandum. *Accipe spiritum S.* Quæ licèt sint generalia, tamen satis notant eminentiam istius ordinis, & dignitatis, quatenus aliquo modo, & sine limitatione, & mensura datur Spiritus S. qui limitatè datur in aliis, scil. ad fines, & functiones eorum speciales.

Accedit quidem unctio capitis, & manuum, sicut in baptismo, & ordinatione sacerdotis, & alibi; sed conveniunt Theologi hanc non esse de essentia hujus sacramenti, nec enim legitur, quòd Apostoli eam adhiberent, nec aliud signum, præter manuum impositionem.

Hæc autem breviter tetigisse sufficiat studentibus nostris. Qui plura volet, legat Cardinalem nostrum Brancatum, & Patrem Frassen.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De ministro hujus sacramenti.

QUærimus præcipuè de ministro ordinario, cui competit ex officio, & specialiter administratio singulorum ordinum.

CONCLUSIO I.

SOlus Episcopus est minister ordinarius hujus sacramenti. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, quod *potestas, quam addit Episcopatus supra Sacerdotium, respicit aliquem actum sacramentalem, sc. confirmare, & ordines conferre, actus sunt proprii Episcopo ....* Et in definitione ordinis dicit, quod *est institutio in gradu Ecclesiæ .... facta ab Episcopo. Et si quæras.... Quis est minister idoneus? Dico, quod Episcopus, & solus in sacris ordinibus: in aliis autem non sacris, aliquando ex commissione, aliqui privilegiati, ut Abbates.*

Prob. 2. ex Script. Nam Christus in ultima cœna ordinavit Apostolos in Sacerdotes, & ipsi Apostoli post ejus Ascensionem ordinaverunt Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos sic: *Paulus, & Barnabas constituerunt per singulas Ecclesias presbyteros.* Et Paulus dicit se ordinasse Timotheum, dicens, *noli negligere gratiam, quę in te est cum impositione manuum presbyterii*, quod de se dicit, ut colligitur ex præcedenti, *Ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Et ad Titum, *Reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates presbyteros*, &c.

Prob 3. ex Concil. nam in Florent. dicitur, *Ordinarius minister hujus sacramenti est Episcopus.* Et in Trid. dicitur, *Episcopos sacramentum confirmationis conferre, & ministros Ecclesiæ ordinare*, &c.

Confir. ex Patribus. Nam S. Dion. refert ritum ordinandi Episcopum, Sacerdotem, Diaconum, & alios à Pontifice, seu Episcopo. Idem docet Hieron. reservans Episcopo confirmationem, & ordinationem.

Objic. Coepiscopi olim conferebant ordines; sed illi

illi non erant Episcopi; ergo &c. Prob. maj. ex Concilio Antioch. Ubi de illis dicitur, quòd *ordinent lectores, & subdiaconos, atque exorcistas*. Et in Nicæno permittitur eis *lectores ordinare*; ergo &c.

Resp. dist. maj. Si erant Episcopi, & ex commissione Episcoporum, conc. ex potestate ordinaria, & si non erant Episcopi, neg. maj. & 2. conf. Nam in illo primo Concilio non permittitur eis ordinare diaconos, & in 2. dicitur expressè, quod *ex antiqua consuetudine corepiscopos. Episcopi permissu oportet lectores ordinare*; ergo id faciebant potestate delegata, etiam quamvis essent Episcopi, ut sunt hodie Episcopi titulares, qui carent plebe: nihil enim facere possunt, nisi permissu diœcesani.

CONCLUSIO II.

Ordinatio minorum ordinum, imò & subdiaconorum, ac diaconorum potest committi presbyteris, non Episcopis.

Prob. 1. ex Scoto citat. *Nam in aliis non sacris, aliquando ex commissione aliqui privilegiati, ut Abbates*, sc. sunt ministri idonei minorum ordinum.

Prob. 1. ex Concil. Trid. *Abbatibus, & aliis quibuscumque, quamvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus diœcesis consistentibus, etiam si nullius diœcesis, vel exempti esse dicantur cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit tonsuram, vel minores ordines conferre*, &c. ergo possunt ordinare Regulares sibi subditos ordinibus minoribus, & Tonsura. Idem patet ex pluribus decretis Apostolicis, quæ habes apud Cardinalem de Laurea. Inter alia citat B. Innoc. VIII. an. 1489. pro Abbate Cisterciensi, & aliis quatuor coabbatibus. *Ne Monachi dicti ordinis pro suscipiendis ordinibus subdiaconatus, & diaconatus extra claustrum hinc inde discurrere cogantur, tibi, et successoribus tuis, ut quibuscumque dicti ordinis Monachis .... subdiaconatus, ac diaconatus ordines .... ritè conferre*, &c. ergo hæ ordinationes possunt delegari non Episcopis: nam à facto ad posse valet conseq.

CON-

CONCLUSIO III.

R*Egulariter, & ex præcepto Ecclesiæ hodie requiruntur tres Episcopi ad consecrationem Episcopi*.

Prob. 1. ex Script. cit. qua constat Timotheum fuisse ordinatum *cum impositione manuum presbyterii*, sc. manuum Pauli cum aliis Episcopis. Et ipse Paulus cum Barnaba ordinati sunt per Apostolos, qui erant Jerosolymis, quippe *imponentes eis manus, dimiserunt illos*.

Prob. 2. ex SS. Canonibus, & Concil. 1. in can. Apostolorum dicitur; *ex tribus Episcopis ordinetur Episcopus*. In Concil. Arelat. 1. prohibetur ordinare Episcopum nisi assumptis secum aliis 7. Episcopis (aut saltem) *sine tribus fratribus*. Et in Niceno 1. *Episcopum convenit maximè quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, saltem, illis consentientibus per scripta, ordinatio celebretur*. Idem statuitur in aliis pluribus. Et Gregor. Mag. ad Augustinum Anglorum Episc. scribit *Episcoporum ordinatio, sine aggregatis tribus, vel 4. Episcopis fieri non debet*. Et ad Bonifacium Moguntinum. *Quoties Episcopum consecraveris, duo, vel tres conveniant tecum Episcopi*.

Igitur varia fuerunt decreta Ecclesiæ circa ordinationem istam. Aliquando statutum erat, ut fieret à Metropolitano, præsentibus, aut consentientibus aliis comprovincialibus Episcopis, ut in Concilio Nicæno 1. Et in Concilio Africano, ut saltem à duodecim. Aliquando à duobus, ut in Can. cit. Apostol. & in Concilio Rhegiensi, ubi confirmatur ordinatio Episcopi Ebredunensis facta à duobus. Aliquando etiam ex Papæ dispensatione sufficit unus, ut dispensatum fuit à Gregorio XIII. cum Patriarcha Æthiopiæ, ut solus ordinaret Episcopos, si vellet. Idem concesserunt alii Pontifices commorantibus in Æthiopia, & America, & sic de aliis. Vide Cardinalem cit.

Dixi propterea, *Regulariter*. Nam hodie, & ab initio, & ferè semper, hæc ordinatio facta est à tribus.

2. Dixi, *Ex præcepto Ecclesiæ:* nam si adesset præceptum Divinum non posset in eo dispensari. Et non

legimus Christum in hoc quidquam determinasse,sed hoc dispositioni Ecclesiæ reliquisse.

Cur autem plures ad hoc requirantur Ministri,ratio esse potest, ut ex pluralitate in unum concurrentium repræsentetur Ecclesiæ unitas, quæ ex pluralitate coalescit. 2. Ad ampliorem gratiam,quæ convenit huic ordini,qui est plenitudo sacerdotii. 3. exiguntur plures; ne res tanti momenti, unius Episcopi judicio permittatur.

QUÆSTIO III.

De subjecto ordinis.

CErtum est 1. Suscipientem ordines debere esse baptizatum, quia baptismus est janua sacramentorum,ut sæpe dictum est, sed quæritur,an Christiani omnis sexus, & ætatis, & conditionis possint valide, aut licite ordinari, v.g. fœminæ, aut pueri ante usum rationis? An spurii? &c.

CONCLUSIO I.

F*Oeminæ ordinari non possunt validè, & hoc de jure divino æque, ac Ecclesiastico.* Est communis contra Colliridianos Cataphrygas, qui volebant fœminas esse capaces sacerdotii.

Probatur 1. ex Scoto, [1] qui docet,quod *hoc non est tenendum præcisè tamquam per Ecclesiam determinatum, sed habetur hoc à Christo. Non enim Ecclesia præsumpsisset totum sexum muliebrem privasse sine culpa sua actu, qui sibi licite competeret, & qui esset ordinatus ad salutem mulieris, & aliorum in Ecclesia per eam. Quia hoc videretur maximæ injustitiæ, non solum in toto sexu, sed etiam in paucis personis. Nunc autem, si de lege Divina licitè posset competere mulieri ordo Ecclesiasticus, posset esse ad salutem, & earum, & aliorum per eas*, &c.

Prob. 2. cum eodem ex Script. Nam inquit Apost. [2] *Docere mulierem non permittas, neque dominari in virum, sed esse in silentio .... non permittas, quia nec Christus permisit, cujus argumentum evidens accipitur, quia nec matrem suam posuit in aliquo gradu* in

[1] d.25.q.c.4. [2] 1.cor.11.

in Ecclesia, cui nulla alia potuit, vel non poterit in sanctitate comparari. Ratio autem naturalis huic dicto consonat, quam Apost. innuit, nam natura non permittit mulierem (saltem post lapsum) tenere gradum eminentem in specie humana. Siquidem est dictum sibi in pœnam peccati sui, sub viri potestate eris, &c.

Confir. hæc ratio ex eodem Apost. qui postquam vetuit permitti mulierem docere, nec dominari, addit, *Adam enim prior formatus est, deinde Heva, Item, Adam non est seductus; mulier autem seducta in prævaricationem fuit*; sc. Lex divina, quæ excludit fœminas ab Ecclesiasticis dignitatibus, & ordinibus, fundatur in lege primatus, qui pertinet ad virum, & in lege justitiæ, quæ non vult tantum onus credi sexui tam fragili: attenta sc. fragilitate, quam exhibuit in culpa, in cujus pœnam addicta est perpetuæ subjectioni.

Confir.2. ex eodem Apostolo[1] prohibente fœminas, nequidem loqui in Ecclesia, ut interrogent, & discant. *Mulieres in Ecclesia taceant; non enim permittitur eis loqui, sicut & lex dicit. Si quid autem velint discere, domi viros suos interrogent, turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia*; ergo multò minùs licebit eis loqui in docendo, vel administrando sacramenta.

Prob.3. Nam si sola Ecclesiæ lex id prohiberet, aliquando ipsa in hoc dispensasset in aliquot fœminis sanctissimis, & sapientissimis, ut dicebat Doctor de Maria Deipara: sed nusquam legitur Ecclesiam permisisse fœminam ullam ordinari. Unde Tertul. [2] dicebat, *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui; sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nec dum sacramentalis officii sortem sibi vindicare*. Quod non solùm ab initio nascentis Ecclesiæ, sed etiam ab initio mundi apud veræ Religionis cultores observatum est, ut nulla fœmina sacerdotali officio functa sit.

Prob.2. p. de præcepto Ecclesiæ 1. ex Concil. Carthagin. IV. & Constantiensi, constitut. Martini V. prohibentur prædicare, & solemniter baptizare, in Parisiensi VI. prohibentur Eucharistiam administrare. In Laodic. VI. prohibentur inservire altari, & lectiones legere, &c.

[1] 1.*Cor*.14. [2] *de vel. virg.c*.8.

Objicies 1. Diaconissæ per veram ordinationem instituebantur; ergo Diaconatus conferebatur fœminis. Prob. ant. ex Tertull. [1] Ecclesia *bigamos non sinit præsidere, aut viduam adlegi in ordinationem, nisi univiram non concedit.* Vides ordinationem viduæ. Et in Concil. Nicæno 1. postquam concessit Paulianistas rebaptizatos posse iterum ordinari ab Episcopo, *similiter de Diaconissis, & universè de iis, qui in clero recensentur, eadem forma servabitur.* Et in Chalcedon. [2] *Statuitur Diaconissam non ordinandam ante annum* 40. *& hanc cum summo libramine; si verò suscipiens manus impositionem, semet ipsam tradat nuptiis, gratiam Dei contumeliam faciens, anathematizetur.* Sed nihil clarius dici potest pro vera ordinatione; ergo &c.

Resp. dist. ant. & min. Per veram ordinationem cæremonialem: con. sacramentalem: neg. ant. & min. Nam illæ ordinationes fiebant quidem per aliquas cæremonias ab Ecclesia institutas, quibus fœminæ illæ ad quædam pia ministeria circa fœminas destinabantur, sed non ad ullum sacramentum, & maxime ad sacramentum altaris conficiendum, aut dispensandum; *sed ut muliebris sexus honestati consulatur, sive, ut baptismi tempore adsit . . . . sive cum nudandum est mulieris corpus, ne virorum, qui sacris operantur, aspectui sit exposita, sed à sola Diaconissa videatur, quæ sacerdotis mandato mulieris curam gerit.* Inquit S. Epiphan. [3]

Objic. 2. In Canonibus antiquis quædam dicuntur presbyteræ, & Episcopæ; ergo sunt etiam capaces ordinis presbyteralis. prob. ant. ex Concil. Turon. [4] 11. *Episcopum non habentem, nulla sequitur turba mulierum . . . . si inventus fuerit presbyter cum sua presbyterissa, aut Diaconus cum sua Diaconissa, aut subdiaconus*, &c. *per annum excommunicatus habeatur.* Et Gregor. Mag. mentionem facit de vestibus, quibus utuntur presbyteræ; ergo &c.

Resp. neg. ant. & 2. cons. Nam ita dicebantur illæ fœminæ, non quod participarent de illis ordinibus, sed quia mariti earum ordinati erant Episcopi, aut presbyteri; seu, sic vocabantur ex dignitate maritorum, à

quibus

[1] c.44. [2] *can.9.ca.15.*
[3] *Hær.79.* [4] *can.12. & 20.*

quibus tamen divortium fecerant, nam inquit Concil. Antisiodor. [1] *Non licet presbytero in uno lecto post acceptam benedictionem cum presbytera sua dormire*. Et in Concil. Trullano jubetur uxor Episcopi consecrati; *Monasterium ingredi procul ab Episcopi habitatione extructum.*

Objic. 3. Moniales Abbatissæ ordinantur vera ordinatione; ergo &c. prob. ant. Nam moniales deputantur Psalmodiæ Ecclesiasticæ, accinunt, &] respondent Sacerdoti celebranti, & ministrant. Et Abbatissæ jurisdictionem exercent, non solùm in suas Moniales, sed etiam in clericos, ut constat ex cap. *Dilecto*, ubi Honorius III. præcipit Abbati Abradensi, ut per censuras compellat clericos, & Canonicos obedire Abbatissæ de Brubigen. *& ejus salubria monita, & mandata observare*; ergo Monialium, & Abbatissarum vera est ordinatio.

Respondeo neg. 1. ant. & 2. cons. Imò inde constat nullam fuisse illius Abbatissæ jurisdictionem spiritualem, sed merè temporalem, & œcumenicam. Ille autem cantus non est actus veri ordinis, sed nudæ pietatis. Nam olim fideles omnes in Ecclesia psallebant simul, & promiscuè; sed jam id prohibitum est. Abbatissarum autem benedictio est purè cæremonialis, non sacramentum.

Objic. 4. ex script. [3] *In Christo J. non est servus, neque liber, non est masculus, neque fæmina*; ergo ex Christi voluntate omnia sacramenta sunt omnibus communia sine distinctione sexuum, nec conditionum.

Respond. ex Scoto. dist. conf. quoad consecutionem gratiæ, & gloriæ: con. quoad gradum *habendum in Ecclesia*, & quoad administrationem; neg. conf. nam quoad hoc *benè decet esse distinctionem inter virum, & mulierem in lege Christi; quia hoc consonum est legi naturæ.*

Colligis 1. Quod in primitiva Ecclesia fuerunt Diaconissæ, quarum munus erat, non quidquam agere circa sacramentum altaris, sed vel pauperum fœminarum curam gerere, & fœminarum baptismo adesse, ut in iis nudandis, aut induendis non paterent oculis sacerdotis, &c. in iis abstergendis post unctionem, &c.

 2. Col-

[1] c. 314. can. 48. [2] Gal. 3. [3] ibid. F. 8.

2. Colligis illas quidem per orationes, & manus impositionem solitas inaugurari, sc. deprecatoriè, sicut vivente Christo ungebant Apostoli infirmos: sed non erant actus sacramentales. Et hodie similes orationes, & cæremoniæ fiunt in monialium receptionibus, & professionibus, & Abbatissarum electionibus.

CONCLUSIO II.

Pueri ante usum rationis, imò & amentes, validè, sed non licitè possunt ordinari. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente. *Primo modo*, (sc. licitè, & honestè) *puer non habens* discretionem, non potest recipere ordines, *quia non potest cum debita reverentia recipere talem gradum, qui confertur in ordine. 2. modo* (sc. licitè) *puer non potest recipere ordinem sacrum, licet illo modo possit recipere ordines inferiores*, &c. ergo ex Scoto, tam pueri, quam amentes possunt validè ordinari, sed non licitè, nec honestè.

Prob. 2. nam, ordinis sacramentum, sicut nec Baptismus, nec confirmatio ad effectum suum non requirunt actum consensus ex parte suscipientium, sed ista possunt validè conferri in quavis ætate, etiam pueris, & amentibus: ergo & istud. prob. maj. Nam ille consensus requireretur vel ut materia, vel ut forma, vel ut conditio ad effectum ordinationis: sed nullum horum dici potest; ergo &c. Prob. min. 1. Non ut materia, vel forma, patet enim, quòd neutra includit actum consensus ex parte suscipientis magis, quam baptismus, vel confirmatio. 2. Non ut conditio; quia sacramentum ordinis non est minoris efficaciæ, quam illa: sed efficacia baptismi, & confirmationis, imò nec Eucharistiæ, non pendet à consensu, seu acceptatione subjecti; ergo &c.

Prob 2. ex SS. Canonibus, quia ætatem, & tempora ordinationum determinant, ut cap. *vel non*, de tempor. ordinat. ubi Honor. III. Suspendi jubet Episcopum, qui Diaconatum contulit puero ante 13. ætatis annum, & ipsum ordinatum ab executione ordinum, & vult, quod Episcopus provideat puero de beneficio Ecclesiastico competenti. Et in Concilio Trid. [2] præfigitur ætas pro singulis ordinibus sacris.

Objic.

[1] *d. 25. q. 2. A. 2.* [2] *Sess. Ref. c. 12.*

Objic.con.1. p. Ad validam ordinationem requiritur consensus suscipientis; sed puer, nec amens ante usum rationis non potest consentire; ergo nec ordinari.pro. maj.ex cap. *Majores*, ubi dicitur,quod inviti non baptizantur validè: *Tunc enim characterem sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem*. Sed qui non consentit, est invitus; ergo &c.

Resp.dist.maj. Consensus negativè saltem; con. positivè:neg.maj. utramque. Nam Papa loquitur de contrarietate positiva, non de negativa. Imò non judicat hanc ordinationem invalidam, sicut nec baptismum, aut confirmationem:sed supponit ab eis imprimi characterem; quia pueri, & amentes non habent obicem contrariæ voluntatis, propriè loquendo.

Inst. Valida ordinatio includit votum, seu obligationem cælibatus, & suscipiens transfertur à statu laicali ad clericalem; sed hæc translatio requirit consensum positivum: non enim potest ligari nisi volens; ergo & ordinatio.

Resp.neg.maj. nam in baptismo contrahuntur non minores obligationes, & mutationes. Ibi fit mutatio à statu peccati, & æternæ damnationis, & servitutis diaboli ad statum gratiæ, & filiationis Divinæ, cum obligatione servandi leges Euangelicas, & Ecclesiasticas,ad quas baptizati omnes compelli possunt; ut constat ex eodem Canone; ergo sicut hæc non impediunt effectum baptismi, nec impressionem characteris, ita nec in isto.

Objic. 2. Episcopatus habet aliquam rationem matrimonii Episcopi cum Ecclesia, quæ illi datur: sed matrimonium exigit consensum nubentibus, quem habere non potest puer, nec amens; ergo &c.

Resp.neg.maj. absolutè; nam hoc dicitur metaphoricè.Matrimonium verum exigit consensum reciprocum inter nubentes; Ecclesia autem, quæ dicitur sponsa,non consentit, sed se habet purè passivè. Præterea multi consecrantur Episcopi sine Ecclesia sponsa.

Objicies 3. Episcopus, & Sacerdos sunt mediatores inter Deum, & populum: sed hoc non potest convenire puero, vel amenti ante usum rationis; ergo nec illi ordines. prob. min. mediatio non fit sine acceptatione; ergo &c.

Resp.dist.min. Non potest convenire quoad actum, seu exercitium: con. quoad habitum, & potestatem: neg. min. & 2. cons. Sæpe enim confertur potentia, & habitus, antequam homo possit exercere. Multi fiunt Reges in cunis.

Ad licitam autem ordinationem requiritur 1. ætas taxata in Conciliis, & Canonibus.

2. Libertas, ideo servi non debent ordinari ante manumissionem, ut patet per totum tit. de servis non ordinandis.

3. Legitimitas; ut patet ex tit. de spuriis non ordinandis, & de filiis presbyterorum. Nam, inquit Scotus, [1] *illi præsumuntur imitatores paternæ incontinentiæ. Et malè morigerati, quia malè educati.*

4. Corporis forma, ut constat ex tit. de non ordinandis corpore vitiatis. Excluduntur ergo deformes corpore, notabili deformitate.

5. Excluduntur castrati, criminosi, infames, &c. Hæc, & similia reddunt ordinationes illicitas, non tamen invalidas.

DISPUTATIO III.

De effectibus hujus Sacramenti.

Præter effectus communes omnibus sacramentis, singula speciales habent, ideo istud habere debet suos, de quibus hic agimus.

QUÆSTIO I.

An, & qualem gratiam causet Sacramentum Ordinis.

Non dubitatur de gratia habituali; hoc enim habet omne sacramentum, ut causet hanc gratiam primam, aut secundam, sed quæritur de gratiis, quæ sint speciales effectus ordinationis, & an hoc habeant singuli ordines.

CON-

[1] *d.*25.*q.*1. *E.q.*

CONCLUSIO I.

P*Ræter gratiam habitualem, seu augmentum ejus, quam causant singuli ordines, causant etiam specialem gratiam, quæ est jus ad auxilia necessaria ad singulos eosdem ordines rectè exercēdos.* Videtur de fide.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente *ordinem significare efficaciter gratiam præeminentem, qua ordinatus dignè aliquod ministerium exequatur*. Et in Reportatis dicit, *effectus propinquus sacramenti ordinationis, & res est determinatus gradus eminentiæ in Ecclesia ad administrandum circa Eucharistiam, vel character, vel ordo, qui sunt res, & effectus propinquissimus.... & isti effectui, quantum est ex vi sacramenti, effectus ultimus, & principaliter intentus, scilicet gratia invisibilis gratum faciens, & disponens ad congruè, & dignè exequendum actum convenientem tali gradui in Ecclesia circa Eucharistiam consecrandam*. Habes in utroque textu totam conclusionem, imò & in 2. decisionem totius disputationis.

Prob. 2. de gratia habituali, quia est verum sacramentum novæ legis; ergo confert non ponenti obicem gratiam habitualem 1. aut 2. quia hoc est essentialiter commune omni sacramento novæ legis.

Confir. ex Patribus: nam inquit S Gregor. [2] *Sacrorum ordinum sacramenta ab Ecclesiæ ductoribus foris accipimus, sed sacramentorum virtute ab omnipotenti Deo interius roboramur; virtus verò sacramenti gratia est septiformis*, &c.

Prob. 3. ex Conc. maximè ex Trid. [3] *Cùm Scripturæ testimonio, & Apostolica traditione, & Patrum unanimi consensu conspicuum sit per sacram ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet ordinem esse verè, & propriè unum ex septem sacramentis*. Idem definit infra. Item ex Florent. *Effectus hujus sacramenti est augmentum gratiæ, quia debet homo illud recipere in statu gratiæ, & sine culpa mortali.*

Confir. ex praxi Ecclesiæ, quæ præcipit ordinandis, ut præmittant confessionem sacramentalem, ut docet Concil. Colon II.

[1] *d. 24. F.* [2] 1. *Regist.* 10. [3] *sess.* 23.

Prob.2.p. 1. ex iisdem Conciliis: nam Florent. dicit *dari gratiam ordinato, ut sit idoneus minister*, sc.quoad cælibatus constantiam, & legum custodiam, & functionum exercitium. Et Concil.Mogunt.IV.dicit, *gratiam divinitùs conferri ritè ordinatis, qua ad Ecclesiastica munera ritè, & utiliter apti, & idonei efficiantur, & quæ rata sint, & efficacia, quæ à ritè ordinatis in Ecclesia Christi .... geruntur.*

Prob.2. ex dictis de effectibus sacramentorum in communi, ubi probatum est, singula, præter gratiam sanctificantem 1. aut 2. conferre jus quoddam ad gratias actuales necessarias singulis suscipientibus ad fines singulorum eorundem; sed finis proprius sacræ ordinationis est, ut ordinatus rectè se gerat in exercitio potestatis, qua insignitur per illam; ergo &c.

Confir. Nam singuli ordinati egent speciali auxilio divinę protectionis, & illuminationis, ut purè, sanctè, attentè, exactè se gerant in exercitio sui characteris, & officii; ergo &c.

Dixi, *jus quoddam ad auxilia*, &c. nam ille effectus debet esse aliquid habituale, & permanens, non verò actuale, & transiens, alioqui, transacta actuali ordinatione, nihil restaret auxilii ad rectè obeunda munia.

Objic.ex Concil.Florent.Ipsa gratia habitualis præstat illud auxilium, scil. *ut ordinatus sit idoneus minister;* ergo gratis fingitur alia gratia.

Resp.neg.ant. nam si hæc auxilia provenirent ab ipsa gratia habituali, semper deessent post amissam illam gratiam, & sic habens peccatum mortale, non posset ritè exercere suum ordinem, quod est hæreticum.

QUÆSTIO II.

De charactere, an omnes, & singuli ordines imprimant characterem.

Qui nolūt singulos ordines esse sacramentales, dubitare debent, imo & negare, quod omnes imprimant characterē: quia hic est effectus proprius & specialis alicui sacramento. Nemo autem catholicus id negat de omnibus, & maximè de presbyteratu, & Episcopatu, si hujus ordinatio sit sacramentū distinctum,

CON-

CONCLUSIO I.

S*Icut omnes, & singuli ordines sunt sacramenta distincta, ita & singuli causant in anima ordinatorum characteres sibi proprios, & distinctos.* Est communior.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Concedo plures esse characteres, & probabilius, quod alterius speciei, ut apparet ex actibus, ad quos isti gradus disponunt, qui gradus vel sunt characteres, vel habent proprios characteres necessariò correspondentes.*

Prob. 2. ex Conc. Flor. & Trid. [2] *In sacramento ordinis, sicut in baptismo, & confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest..... Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum S. aut per eam non imprimi characterem .... anathema sit.* Et quidem id verum est, non solum de aliqua ordinatione, sed de singulis, quia eadem est ratio de omnibus.

Prob. 3. Ubi est eadem ratio, ibi est idem effectus; sed eadem est ratio de singulis ordinationibus: nam singulæ sunt vera sacramenta, & de illis non distinguit Concilium, dicens, *sacram ordinationem esse verè, & propriè sacramentum*; ergo &c.

Confir. nam singulæ sunt æquè irreiterabiles, & operantur diversos gradus, & diversa ministeria singulis suscipientibus, ut patet ex dictis; ergo & diversis characteribus debent notari.

Objic. 1. Character sacramentalis est indelebilis; sed omnes ordines non sunt inamissibiles; ergo non dant characterem. Prob. min. In Concilio Toletano IV. statuitur, quod *si minister ordinatus injustè dejectus, fuerit inventus innocens, non potest esse, quod erat, nisi gradus amissos recipiat coram altari de manu Episcoporum*, scilicet per eadem signa, & instrumenta, per quæ fuerat ordinatus. Denique *ea in recuperationem sui recipiant, quæ, cùm ordinarentur, perceperant*; ergo ordinationes sunt iterabiles, & ordines sunt amissibiles; ergo non imprimunt characteres indelebiles.

Resp. neg. min. & 2 cons. Nam illa cæremonia erga degradatos non restituit ordines, sed usum ordinum;

[1] *ibid. K. 11.* [2] *sess. 23. c. 4.*

Dixi, *sacros ordines*: nam clericis infra subdiaconatum, nequidem in quatuor minoribus constitutis, non interdicitur matrimonium, ut constat ex multis Canonibus, sed fiunt incapaces beneficiorum Ecclesiæ, ita ut ea nec acquirere, nec retinere possint, stante matrimonio: nam inquit Alex.III. [1] *Si qui clericorum infra subdiaconatum acceperint uxores, ipsos ad beneficia Ecclesiastica relinquenda, & uxores retinendas districtione Ecclesiastica compellatis.*

De ordinibus sacris à subdiaconatu usque ad Episcopatum restat quæstio, & quidem apud Latinos, an possint contrahere matrimonium post ordinationem, vel eo uti, si ante ordinationem contraxerant; & quo jure id prohibeantur, an Divino, vel Ecclesiastico.

CONCLUSIO I.

Non licet subdiaconis, diaconis, presbyteris, & Episcopis nubere post ordinationem, nec Latinis uti matrimonio antea contracto, sed tenentur ad perpetuum cœlibatum*. Est communis contra hæreticos Lutheranos, & Calvinistas, qui legem cœlibatus dicunt iniquam, & libidinum matrem.

Prob.1. ex Scoto, [2] qui citat cap. *Placuit*, 23. ubi dicitur, *Placuit Episcopos, presbyteros, diaconos, et subdiaconos, secundum priora instituta, abstinere ab uxoribus, id est, non contrahere*, ait Glossa. Item ex cap. *Presbyteris*, d.37. & dat rationem legis: nam *ordo talis deputatur ministerio sacro, quod requirit munditiam mentis, et carnis, perspicacitatem intellectus, et fervorem affectus, ad quæ omnia disponit continentia, et ad eorum oppositum frequentia carnalis actus*.

Prob.2. ex Conciliis: nam in Concilio Apostolorum solis cantoribus, & lectoribus permittitur nubere, quod repetitur in Quinisexto. *Quoniam in Apostolicis canonibus dictum est, eorum, qui non ducta uxore in clerum promoventur, solos cantores, et lectores uxorem posse ducere, et nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus hypodiacono, vel diacono, vel presbytero post sui ordinationem contrahere liceat*. Concilium Ancyranum jubet *presbyteros, qui matrimonium contraxerint, deponi, et reduci ad communionem laicalem*. In Neocæsariensi, *presbyter, si*

uxorem duxerit, ab ordine deponatur; & sic de aliis. Et hoc, ut vides, statutum est pro universali Ecclesiam tàm Græca, quàm Latina, quippe major pars eorum Conciliorum celebrata sunt in Oriente. Novissimè id definitur in Tridentino. [1]

Prob.2 p. de usu matrimonii apud Latinos: nam, ut legitur cap. *Aliter*, [2] dicitur, *Aliter se habet Orientalium Ecclesiarum traditio, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ: nam earum Sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi matrimonio copulantur* (copula utuntur, ait Glossa) *Istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium, nullus Sacerdotum à Subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi*, &c. Lege totam illam distinctionem, in qua hæc prohibentur Latinis.

Igitur Latinis non permittitur uti matrimonio ante ordinationem contracto, nec contrahere post ordinationem in sacris ordinibus; sed Græcis non prohibetur ille usus, benè verò hic contractus, saltem regulariter: nam, ut docet Cardinalis Brancatus, non tantùm subdiacono utrumque licuit, saltem ex tolerantia, & pro aliquo tempore, sed etiam diaconis, & presbyteris.

Verùm quid olim factum sit, relinquo historicis, sufficiat nobis scire, quid hodie faciendum sit, scilicet nulli ordinato in sacris licere apud nos contrahere matrimonium, neque uti contracto ante ordinationem; sed si quis post contractum matrimonium vult ordinari, vivente uxore, debet ab ea separari, & curare, ut ipsa ingrediatur monasterium, & voveat castitatem, nisi gravioris sit ætatis, in qua non timeatur de ejus incontinentia: nam cap. *Conjugatus*. [2] *Nullus conjugatorum est ad sacros ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus*, &c.

Horum decretorum motiva adduximus ex Scoto, quæ suadent eorum justitiam contra hæreticorum impudentiam, qui audent ea improbare.

Objic.1.cont.1.par. Scriptura præcipit, & est de jure Divino, ut qui non se continent, nubant; ergo nulla lege humana id potest vetari. Prob.ant. Deus jubet, [3] *Crescite, et multiplicamini*; & dicit, *Non esse bonum homi-*

[1] *dist.31.* [2] *de convers.conjug.5.et 6.*

minem esse solum. Et Apost. [1] *Unusquisque uxorem suam habeat*. Et, *Melius est nubere, quàm uri*. Et, *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*. Et, *Diaconi sint unius uxoris viri*; ergo matrimonii prohibitio est contraria juri divino.

Resp. dist. ant. Præcipit sub initio mundi, conc. pro semper, neg ant.& 2. cons. nam ab initio potuit præcipi ob repletionem terræ;& pro primis hominibus,tunc non erat bonum hominem esse solum; sed in plenitudine temporum bonum fuit aliquibus *mulieres non tangere*; & ex tunc dictum est, *qui sine uxore es, noli quærere uxorem*, & jam prædicebantur futuræ virgines innumeræ, sc. *centum quadraginta quatuor millia, quæ sequuntur Agnum*, quia *virgines sunt*. Et Apostolus ab altari removet bigamos. Et Christus ipse laudat *eunuchos*, *qui se castraverunt propter regnum cælorum*, qui sc. ex amore Dei abstinent à venereis,& servant castitatem.

Inst. Apostolus dicit, [2] *hanc doctrinam* (esse) *dæmoniorum prohibentium nubere*; & de seipso dicit, [3] *Numquid potestatem habemus mulierem sororem* (idest sororem uxorem) *circumducendi, sicut et cæteri Apostoli, et fratres Domini*? ergo prohibitio matrimonii pro presbyteris, & Episcopis est de doctrina dæmonis, & contra doctrinam Apostoli.

Resp.neg.cons. Nec enim eò tendunt verba illa. Reprobat Apostolus doctrinam hypocritarum, qui absolutè prohibent nuptias, quas non prohibet Ecclesia, sed tantum in Sacerdotibus, qui se Dei obsequio in Ecclesia mancipar unt. Et per sororem uxorem intelligit fœminam pro domesticis obsequiis, ut alii Apostoli secum ducebant, sed cum eis vivebant castissimè. Sorores autem vocabat fœminas omnes fideles, sicut viros dicebat fratres.

Inst.2. Quando Paulus scribit, [4] *Rogo te germane compar*, plures legunt *germana compar*, sic vocans uxorem; ergo ipsemet habebat uxorem.

Resp. neg.ant. nam soli hæretici sic legunt, non autem SS.Patres, qui hoc vertunt in masculino, ut doceant eum loqui de collega, & socio laboris Apostolici: nam ipse vixit innuptus, dicens, *non nuptis, et vi-*

[1] 1.*Cor*.7.4. [2] 1.*Tim*.4.
[3] 1.*Cor*.9.5. [4] *Phil*.4.

viduis, *bonum est illis*, *si sic remaneant*, sc. innuptæ, & viduæ, *sicut et ego*, inquit.

Objic.2. in can.6. Apostolorum dicitur: *Episcopus*, *aut presbyter*, *aut Diaconus uxorem suam prætextu Religionis non abjicito*. 2. in Syn.VI. In Trullo damnatur praxis Ecclesiæ Romanæ, quia obligat Sacerdotes suos ad cælibatum. 3. cap. *His igitur*, dicitur clericis, *Ut castimoniam non violati corporis perpetuo fervore studeant*, *aut certè unius matrimonii vinculo fæderentur*. 4. cap. *de Syracusanis*. 4. Gratianus ex illo textu infert, quod *electus in Episcopatum non prohibetur habere uxorem*, *et filios*.... *Apparet*, *quod in præfatis ordinibus constituti*, *licitè matrimonio uti possunt*. 5. Stephanus Papa fatetur Episcopos, diaconos, & subdiaconos in Orientali Ecclesia nubere; ergo ex Conciliis, & SS. Canonibus, & Patribus, matrimonium, nec usus ejus non est illicitus in sacris ordinibus.

Resp. neg. conf. nam 1. Canon Apostolorum non vult, ut Sacerdotes uxorati curam abjiciant uxorum prætextu Religionis, sed eis provideant independenter ab usu matrimonii. 2. Canones illi VI. Synodi sunt supposititii, ut patet ex VII. sc. additi sunt ab aliquibus Episcopis sine authoritate Concilii, ideo reprobantur à SS. Pontifice. 3. Canon ille loquitur ad ordines etiam minores, & omnibus commendatur *castimonia inviolati corporis*. 4. Gratianus ita loquitur non ex mente propria, sed adversariorum, quibus postea respondet, ut patebit. Præterea notat, quod illa Concilia erant pro Orientalibus, quibus non prohibetur usus matrimonii contracti.

Objic.3. Lex de cælibatu Sacerdotum non solùm est observatu impossibilis, sed etiam causat innumera scandala, & peccata; ergo est iniqua. Probat. antec. Nam inquit Christus, [1] *non omnes capiunt verbum istud*, sc. non sunt capaces cælibatus; ergo &c.

Resp. neg. ant. & 2. conf. Nam lex in se bona est, & sancta, sed ex nequitia humana veniunt inde scandala, non solùm ex cælibatu, sed etiam ex matrimonio inter uxoratos, ut patet de illo, qui uxorem patris sui habebat, quem ideo jussit Apostolus *tradere Satanæ in interitum carnis*; nec desunt in uxoratis adulteria. Quod autem non omnes apti sint cælibatui, quid

quid inde? nec isti apti sunt Sacerdotio, nec ad illud coguntur. Nulli est impossibilis, nec dura continentia, si Deus dederit, & dabit omni petenti, & cooperanti gratiæ Divinæ. [1] *Scivi, quòd aliter non possum esse continens, nisi Deus dederit, adii Dominum, & deprecatus sum illum.*

Objic.1.con.2.p. pro Græcis, qui utuntur matrimonio contracto ante ordinationem, ex Script. [2] *Quod Deus conjunxit, homo non separet;* ergo iniqua est lex prohibens Sacerdotibus usum matrimonii contracti. [3] 2. *Connubium est honorabile;* ergo iniquè illud rejicimus. 3. Canon 6. Apostol. cit. prohibet, ne Episcopi, aut presbyteri prætextu Religionis uxores abjiciant; ergo &c.

Resp. neg. conf.1. Quia ille cœlibatus non est separatio vinculi, sed tori, & pro Deo, & in Deo est major conjunctio. 2. non damnamus, nec contemnimus connubium, sed ab ejus usu abstinendum dicimus, ut serviamus Deo, cui devovemur per sacram ordinationem. 3. jam diximus illum Canonem prohibere abjectionem curæ, quæ debetur uxori, non autem hanc separationem tori.

Inst. Concil. Ancyranum [4] statuit, quod *si Diaconis in ipsa ordinatione protestati sunt velle se habere uxorem, nec posse continere, hi postea si uxores duxerint, manent in ministerio.* Et Gangrense [5] damnat eos, qui recusant sumere Eucharistiam de manu Sacerdotis uxorati; ergo approbantur conjugia, & eorum usus in diaconis, & presbyteris.

Resp. neg. conf. Imò primus ille Canon, quòd cessante protestatione, ordinatio inducit obligationem cœlibatus, & quod Episcopus sic protestantes ordinabat, dispensabat cum eis. 2. aliud est damnare nolentes accipere Eucharistiam à Sacerdote uxorato, & aliud Sacerdotem illum non abstinere ab usu conjugii. Primum faciebant, qui damnati sunt in Concilio Ancyrano, quia horrebant nuptias, ut malas; & sic justè damnati sunt.

Objic.2. Sacerdotes Mosaici utebantur uxoribus, saltem pro tempore, quo non ministrabant in templo; ergo à fortiori hoc debet permitti Euangelicis: nam lex

[1] *Sap.*8. [2] *Matth.*19. [3] *Heb.*13.
[4] *can.*10. [5] *can.*4.

lex Euangelica est mitior.

Resp. neg.conf. Nam hæc prohibitio non attenditur penes mititatem, sed sanctitatem legis nostræ, & mysteriorum, ac ministerii Sacerdotalis. Certè, si illis dicebatur, *mundamini, & mundi estote, qui fertis vasa Domini*, quantò magis dicendum hoc est nostris Sacerdotibus, qui non vasa, & figuras, sed veritatem, & Dominum ipsum ferunt manibus, & ore manducant?

CONCLUSIO II.

O*Bligatio cælibatus in sacris ordinibus non est de jure divino, sed Ecclesiastico ab ipso tempore Apostolorum*. Est communior quoad 1.p. Quoad 2. verò est contra eosdem hæreticos, qui volunt hanc legem datam esse post 4. sæculum.

Prob.1.p. ex Scoto, qui fatetur quidem ut certum, quod *persona suscipiens ordinem, efficitur simpliciter illegitima ad contrahendum matrimonium*; sed cum dicitur hoc fieri vel per Ecclesiam, vel immediatè à Christo, quia in primitiva Ecclesia non tenebatur, docet hanc inhabilitatem non venire vi voti, quod supponitur annexum ordini Sacro, alioqui obligatio esset de jure Divino; sed provenit *ex eo, quod Ecclesia facit talem personam simpliciter illegitimam*; ergo obligatio cœlibatus in sacris ordinibus non est de jure Divino, sed Ecclesiastico ex Scoto.

Prob.2. ex Conciliis: nam Tridentinum [1] tribuit hanc legem Ecclesiæ. *Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos.... posse matrimonium contrahere, non obstante lege Ecclesiastica, anath. sit*; ergo totum impedimentum hoc matrimonii in sacris ordinibus venit ab Ecclesiæ lege. Item ex can. Apostol. *Præcipiente Episcopum, & presbyterum ordinari, qui sint monogami. Post ordinationem tamen, si uxores non habent, præcipimus, ut non liceat ampliùs ducere*. Audis Ecclesiam de se, non ex parte Christi præcipientem? Idem patet ex aliis Conciliis, in quibus de tali præcepto fit mentio.

Prob.3. Nam illa lex nullibi legitur in tota Scriptura, saltem expresse; sed in solo jure Ecclesiastico; ergo

[1] *Sess.14.can.9.*

go non est immediatè à Deo, vel Christo, sed ab Ecclesia.

Confir. Si esset de jure divino, non posset in ea dispensari, sed hoc est falsum, ut patet in Ecclesia Orientali, in qua toleratur matrimonium Sacerdotum, nec enim tolerarentur errores contra Dei legem.

Prob.2.p. Nam de antiquitate constat ex Canone Apostolorum citato; & ex Constitutionibus Apostolicis, & ex Ep.I. Clementis I. *Ad Dominica ministeria tales eligantur, qui ante ordinationem suam uxores suas non cognoverint. Quod si post ordinationem suam, ministro altaris contigerit proprium uxoris cubile invadere ....sacrarii non intret limina.* Notandum autem, quòd hæc Epistola scribitur ad S. Jacobum, ubi dicit, quod hæc omnia accepit à S. Petro, cujus successor ferè immediatus fuit. Et Synodus Trullana an.711. citat Canones Apostolicos, quibus prohibetur, quod deinceps, „ nulli penitùs hypodiacono .... post sui or„ dinationem contrahere liceat. *Et S. Hieron. testa„ tur*, Apostolos, qui ante vocationem habebant u„ xores, assumpti postea in Apostolatum, relinquunt „ officium conjugale: nam cùm Petrus ex persona A„ postolorum dicit ad Dominum: nos reliquimus o„ mnia, & sequuti sumus te, respondit ei Dominus, „ Amen dico vobis, quod nemo est, qui dimiserit „ domum.... aut uxorem propter regnum Dei, qui „ non recipiat plura. S. Petrus non dixisset verè, *reliquimus omnia*, si retinuissent uxores.

Hanc doctrinam receptam ab Apostolis dicit Concil. Carthagin.II. *Ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Et sic de aliis Conciliis, Pontificibus, & Patribus; ergo lex cælibatus in ordinibus sacris est à tempore nascentis Ecclesiæ, & Apostolorum.

Objic.1.con.1.p. ex Syricio Papa, qui hoc præceptum tribuit Christo, & Apostolo, quarum san„ ctionum Sacerdotes omnes, & Levitæ insolubili le„ ge constringimur, ut à die ordinationis nostræ so„ brietati, ac pudicitiæ corda nostra mancipemus, „ & corpora. *Et S. Epiphan.* Hæc obligatio venit ex „ traditione, & eminentia ministerii, quæ enim ad „ Sacerdotium tradita sunt propter eminentiam cele„ brationis sacrorum.... revera enim non suscipit san-

„ cta

„ cta Dei prædicatio post Christi adventum eos, qui à „ nuptiis, mortua eorum uxore, secundis nuptiis con- „ juncti sunt; ergo obligatio cęlibatus est de jure Divino.

Resp. neg. conf. Nam in neutro loco fit mentio de hoc præcepto. Syricius dicit quidem, quod Christus nobis dedit exemplum castitatis, sed non, quòd eam præceperit, & licèt concederem hanc legem esse Apostolicam, adhuc non sequeretur eam esse divinam. Nec etiam hoc vult Epiphan. Imò concludit eam legem servari, maximè *ubi synceri sunt Canones Ecclesiastici*; ergo censet esse legem Ecclesiasticam.

Quæres 1. *An hæc obligatio veniat ex vi ordinationis, an ex vi voti, quod illi est annexum.*

Resp. 1. Non venire ex vi ordinationis præcisè, tum quia Orientalium ordinatio est vera, & bona, & tamen non trahit secum hanc obligationem, tum quia ex Concilio Ancyrano dicitur, quod Diaconus, qui cùm ordinatur, declarat se nolle continere, si postea nupserit, non amittit gradum, *maneant in ministerio, propterea quod his Episcopus licentiam dederit.*

Resp. 2. Eam obligationem oriri ex voto, seu promissione castitatis, quam emittit ordinandus in ipsa ordinatione.

Prob. 1. ex Concil. cit. Statuit enim, quòd si diaconi in sua ordinatione tacent, & non protestantur se nolle continere, censentur vovere continentiam, saltem tacitè; ideo si postea nupserint, cessare debebunt à ministerio; ergo obligatio cęlibatus venit à voto tacito, vel expresso castitatis, quod annectitur ordinationi.

Confir. ex S. Gregorio relato in Decretis, ubi statuitur, ut à præsenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit. Et certè durum esset cogere ad castitatem, nisi promitteretur. Idem statuebat Concil. Tolet. IV. ut legitur cap. *Quando.*

Quær. 2. *An in Ecclesia Latina possit licitè ordinari uxoratus ad sacros, et iste sacros ordines suscipere.*

Resp. negativè, nisi adsit causa divortii ex parte uxoris, imò cessante causa illa, non sufficit nuda licentia, sed debet ipsa vovere castitatem in Religione, aut saltem in sæculo, si sit valdè senex, ut dictum est.

Ra-

Prob.2.p. 1. ex iisdem Conciliis: nam Florent. dicit *dari gratiam ordinato, ut sit idoneus minister*, sc.quoad cælibatus constantiam, & legum custodiam, & functionum exercitium. Et Concil.Mogunt.IV.dicit, *gratiam divinitùs conferri ritè ordinatis, qua ad Ecclesiastica munera ritè, & utiliter apti, & idonei efficiantur, & quæ rata sint, & efficacia, quæ à ritè ordinatis in Ecclesia Christi .... geruntur.*

Prob.2. ex dictis de effectibus sacramentorum in communi, ubi probatum est, singula, præter gratiam sanctificantem 1. aut 2. conferre jus quoddam ad gratias actuales necessarias singulis suscipientibus ad fines singulorum eorundem; sed finis proprius sacræ ordinationis est, ut ordinatus rectè se gerat in exercitio potestatis, qua insignitur per illam; ergo &c.

Confir. Nam singuli ordinati egent speciali auxilio divinę protectionis, & illuminationis, ut purè, sanctè, attentè, exactè se gerant in exercitio sui characteris, & officii; ergo &c.

Dixi, *jus quoddam ad auxilia*, &c. nam ille effectus debet esse aliquid habituale, & permanens, non verò actuale, & transiens, alioqui, transacta actuali ordinatione, nihil restaret auxilii ad rectè obeunda munia.

Objic.ex Concil.Florent.Ipsa gratia habitualis præstat illud auxilium, scil. *ut ordinatus sit idoneus minister*; ergo gratis fingitur alia gratia.

Resp.neg.ant. nam si hæc auxilia provenirent ab ipsa gratia habituali, semper deessent post amissam illam gratiam, & sic habens peccatum mortale, non posset ritè exercere suum ordinem, quod est hæreticum.

QUÆSTIO II.

De charactere, an omnes, & singuli ordines imprimant characterem.

QUi nolũt singulos ordines esse sacramentales, dubitare debent, imo & negare, quod omnes imprimant characterẽ: quia hic est effectus proprius & specialis alicui sacramento. Nemo autem catholicus id negat de omnibus, & maximè de presbyteratu & Episcopatu, si hujus ordinatio sit sacramentũ distinctum,

CON-

CONCLUSIO I.

Sicut omnes, & singuli ordines sunt sacramenta distincta, ita & singuli causant in anima ordinatorum characteres sibi proprios, & distinctos. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Concedo plures esse characteres, & probabilius, quod alterius speciei, ut apparet ex actibus, ad quos isti gradus disponunt, qui gradus vel sunt characteres, vel habent proprios characteres necessariò correspondentes.*

Prob. 2. ex Conc. Flor. & Trid. [2] *In sacramento ordinis, sicut in baptismo, & confirmatione character imprimitur, qui nec deleri, nec auferri potest..... Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum S. aut per eam non imprimi characterem .... anathema sit.* Et quidem id verum est, non solum de aliqua ordinatione, sed de singulis, quia eadem est ratio de omnibus.

Prob. 3. Ubi est eadem ratio, ibi est idem effectus; sed eadem est ratio de singulis ordinationibus: nam singulæ sunt vera sacramenta, & de illis non distinguit Concilium, dicens, *sacram ordinationem esse verè, & propriè sacramentum*; ergo &c.

Confir. nam singulæ sunt æquè irreiterabiles, & operantur diversos gradus, & diversa ministeria singulis suscipientibus, ut patet ex dictis: ergo & diversis characteribus debent notari.

Objic. 1. Character sacramentalis est indelebilis; sed omnes ordines non sunt inamissibiles; ergo non dant characterem. Prob. min. In Concilio Toletano IV. statuitur, quod *si minister ordinatus injustè dejectus, fuerit inventus innocens, non potest esse, quod erat, nisi gradus amissos recipiat coram altari de manu Episcoporum*, scilicet per eadem signa, & instrumenta, per quæ fuerat ordinatus. Denique *ea in recuperationem sui recipiant, quæ, cùm ordinarentur, perceperant*; ergo ordinationes sunt iterabiles, & ordines sunt amissibiles; ergo non imprimunt characteres indelebiles.

Resp. neg. min. & 2 cons. Nam illa cæremonia erga degradatos non restituit ordines, sed usum ordinum; V 6 & ho-

[1] *ibid. K. 11.* [2] *sess. 23. c. 4.*

honorem externum, quia neque gradum, neque dignitatem internam, aut characterem aufert degradatio. Unde in illa cæremonia non dicuntur verba formæ sacramentalis.

Inst. Factum Stephani Papæ VII. aut VI. an. 897. qui declaravit irritas ordinationes factas à Formoso, quem mortuum exhumari fecit, & citatum in judicium condemnavit, & in Tyberim projici jussit, voluitque omnes ab illo ordinatos iterum ordinari; ergo vel ordinationes factæ contra canones Ecclesiæ sunt invalidæ, & non tenent ex jure divino, nec sunt sacramentales, vel, si sunt validæ, non imprimunt characterem.

Resp. neg. conf. Nam factum Stephani in illa Synodo Romana fuit error non in fide, sed in facto, & actus furoris tyrannici, non justitiæ, inquit Baronius ad illum annum. Et Joannes IX. coacto Concilio 74. Episcoporum Ravennæ an. 904. rescidit acta illa Stephani contra Formosum, & dejectos Sacerdotes, & Episcopos restituit, ut canonicè consecratos. Vide Brancatum, & Jueninum hìc.

Objic. 2. Licèt daretur singulos priores ordines imprimere characterem, tamen posteriores non imprimerent novum, nec diversum specie à primo; ergo singuli non imprimunt proprium, & diversum characterem. Prob. ant. Nulla est necessitas sic multiplicandi species illas characterum, sed sufficit, quod singuli addant priori novas extensiones; ergo &c.

Resp. neg. utrumque ant. Nam imaginariæ sunt novæ illæ extensiones sine nova aliqua nota, aut qualitate, nec conceptibile est, quòd singulæ illæ notæ à differentibus causis non sint tot speciales characteres inter se distincti.

Quæres, *An illi characteres sint ita inter se essentialiter subordinati, ut superior non imprimatur sine inferioribus, v. g. Sacerdotalis sine diaconali.*

Resp. 1. ex dictis, non imprimi Episcopalem sine presbyterali, quia ordo Episcopalis includit Sacerdotalem; ergo idem est de characteribus, licèt sint distincti.

Resp. 2. Quod subordinatio aliorum ordinum non est de jure Divino, sed Ecclesiastico, & sicut ordinatio Sacerdotis per saltum, id. ante diaconatum (& sic

de

de aliis inferioribus) non esset invalida, ita & posset imprimi character Sacerdotalis sine characteribus ordinum inferiorum.

Id patet ex titulo, *de clerico per saltum promoto*, ubi homo, qui ante acceptum diaconatum acceperat presbyteratum, permittitur ministrare in illo ordine, postquam susceperit diaconatum, ergo ille acceperat characterem presbyteralem ante diaconalem.

Quæres 2. *An character Episcopalis sit dignior Sacerdotali.*

Resp. cum Scoto, [1] quod absolutè ordo, & character Episcopalis est dignior, non tamen præcisè, & secundum id, quod addit supra sacerdotalem. Quia inquit, *& si includendo Sacerdotium, & Episcopatum sit eminentia gradus, quia ad plures actus, quàm per alterum solum, tamen illud, quod præcisè addit Episcopatus supra Sacerdotium, non est ita excellens gradus, sicut Sacerdotium, quia per illud, quod sibi superaddit, non conveniunt sibi actus ita nobiles, sicut conveniunt Sacerdoti per Sacerdotium .... Actus nobilissimus in Ecclesia simpliciter est consecratio Eucharistiæ, & ita supremus, sive nobilissimus, propter nobilitatem actus, ad quem disponit, est Sacerdotium*, &c.

Respondent alii, quod actus consecrandi sacerdotes, & quo datur eis potestas consecrandi Eucharistiam, est simpliciter nobilior, quia ex ordine altiori respicit eandem Eucharistiam. Elige, quod malueris.

QUÆSTIO III.

De obligatione ordinatorum in sacris ad castitatem, & cœlibatum, unde, & qualis, & quanta sit.

CErtum est apud Catholicos, ordinationem sacrorum ordinum operari obligationem ad cælibatum, seu continentiam ab actibus venereis, ita ut ordinatis non liceat uti matrimonio, si illud contraxerunt ante ordinationem, nec contrahere post ordinationem, & esse ad illud impedimentum dirimens, nam cælibatus matrimonium excludit.

Dixi,

[1] *ibid.c.6.*

Dixi, *sacros ordines*: nam clericis infra subdiaconatum, nequidem in quatuor minoribus constitutis, non interdicitur matrimonium, ut constat ex multis Canonibus, sed fiunt incapaces beneficiorum Ecclesiæ, ita ut ea nec acquirere, nec retinere possint, stante matrimonio: nam inquit Alex. III. [1] *Si qui clericorum infra subdiaconatum acceperint uxores, ipsos ad beneficia Ecclesiastica relinquenda, & uxores retinendas districtione Ecclesiastica compellatis.*

De ordinibus sacris à subdiaconatu usque ad Episcopatum restat quæstio, & quidem apud Latinos, an possint contrahere matrimonium post ordinationem, vel eo uti, si ante ordinationem contraxerant; & quo jure id prohibeantur, an Divino, vel Ecclesiastico.

CONCLUSIO I.

NOn licet subdiaconis, diaconis, presbyteris, & Episcopis nubere post ordinationem, nec Latinis uti matrimonio antea contracto sed tenentur ad perpetuum cælibatum.* Est communis contra hæreticos Lutheranos, & Calvinistas, qui legem cælibatus dicunt iniquam, & libidinum matrem.

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui citat cap. *Placuit*, 23. ubi dicitur, *Placuit Episcopos, presbyteros, diaconos, et subdiaconos, secundum priora instituta, abstinere ab uxoribus, id est, non contrahere*, ait Glossa. Item ex cap. *Presbyteris*, d. 37. & dat rationem legis: nam *ordo talis deputatur ministerio sacro, quod requirit munditiam mentis, et carnis, perspicacitatem intellectus, et fervorem affectus, ad quæ omnia disponit continentia, et ad eorum oppositum frequentia carnalis actus.*

Prob. 2. ex Conciliis: nam in Concilio Apostolorum solis cantoribus, & lectoribus permittitur nubere, quod repetitur in Quinisexto. *Quoniam in Apostolicis canonibus dictum est, eorum, qui non ducta uxore in clerum promoventur, solos cantores, et lectores uxorem posse ducere, et nos hoc servantes decernimus, ut deinceps nulli penitus hypodiacono, vel diacono, vel presbytero post sui ordinationem contrahere liceat.* Concilium Ancyranum jubet *presbyteros, qui matrimonium contraxerint, deponi, et reduci ad communionem laicalem.* In Neocæsariensi, *presbyter, si uxo-*

uxorem duxerit, ab ordine deponatur; & sic de aliis. Et hoc, ut vides, statutum est pro universali Ecclesiam tàm Græca, quàm Latina, quippe major pars eorum Conciliorum celebrata sunt in Oriente. Novissimè id definitur in Tridentino. [1]

Prob.2 p. de usu matrimonii apud Latinos: nam, ut legitur cap. *Aliter*, [2] dicitur, *Aliter se habet Orientalium Ecclesiarum traditio, aliter hujus sanctæ Romanæ Ecclesiæ: nam earum Sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi matrimonio copulantur* (copula utuntur, ait Glossa) *Istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium, nullus Sacerdotum à Subdiacono usque ad Episcopum licentiam habet conjugium sortiendi*, &c. Lege totam illam distinctionem, in qua hæc prohibentur Latinis.

Igitur Latinis non permittitur uti matrimonio ante ordinationem contracto, nec contrahere post ordinationem in sacris ordinibus; sed Græcis non prohibetur ille usus, benè verò hic contractus, saltem regulariter: nam, ut docet Cardinalis Brancatus, non tantùm subdiacono utrumque licuit, saltem ex tolerantia, & pro aliquo tempore, sed etiam diaconis, & presbyteris.

Verùm quid olim factum sit, relinquo historicis, sufficiat nobis scire, quid hodie faciendum sit, scilicet nulli ordinato in sacris licere apud nos contrahere matrimonium, neque uti contracto ante ordinationem; sed si quis post contractum matrimonium vult ordinari, vivente uxore, debet ab ea separari, & curare, ut ipsa ingrediatur monasterium, & voveat castitatem, nisi gravioris sit ætatis, in qua non timeatur de ejus incontinentia: nam cap. *Conjugatus*. [2] *Nullus conjugatorum est ad sacros ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus*, &c.

Horum decretorum motiva adduximus ex Scoto, quæ suadent eorum justitiam contra hæreticorum impudentiam, qui audent ea improbare.

Objic.1.cont.1.par. Scriptura præcipit, & est de jure Divino, ut qui non se continent, nubant; ergo nulla lege humana id potest vetari. Prob.ant. Deus jubet, [3] *Crescite, et multiplicamini*; & dicit, *Non esse bonum homi-*

[1] *dist.31.* [2] *de convers.conjug.5.et 6.*

minem esse solum. Et Apost. [1] *Unusquisque uxorem suam habeat*. Et, *Melius est nubere, quàm uri*. Et, *Oportet Episcopum esse unius uxoris virum*. Et, *Diaconi sint unius uxoris viri*; ergo matrimonii prohibitio est contraria juri divino.

Resp. dist. ant. Præcipit sub initio mundi, conc. pro semper, neg ant.& 2. cons. nam ab initio potuit præcipi ob repletionem terræ;& pro primis hominibus, tunc non erat bonum hominem esse solum; sed in plenitudine temporum bonum fuit aliquibus *mulieres non tangere*; & ex tunc dictum est, *qui sine uxore es, noli quærere uxorem*, & jam prædicebantur futuræ virgines innumeræ, sc. *centum quadraginta quatuor millia, quæ sequuntur Agnum*, quia *virgines sunt*. Et Apostolus ab altari removet bigamos. Et Christus ipse laudat *eunuchos*, *qui se castraverunt propter regnum cælorum*, qui sc. ex amore Dei abstinent à venereis,& servant castitatem.

Inst. Apostolus dicit, [2] *hanc doctrinam* (esse) *dæmoniorum prohibentium nubere*; & de seipso dicit, [3] *Numquid potestatem habemus mulierem sororem* (idest sororem uxorem) *circumducendi*, *sicut et cæteri Apostoli, et fratres Domini*? ergo prohibitio matrimonii pro presbyteris, & Episcopis est de doctrina dæmonis, & contra doctrinam Apostoli.

Resp. neg. cons. Nec enim eò tendunt verba illa. Reprobat Apostolus doctrinam hypocritarum, qui absolutè prohibent nuptias, quas non prohibet Ecclesia, sed tantum in Sacerdotibus, qui se Dei obsequio in Ecclesia mancipant. Et per sororem uxorem intelligit fęminam pro domesticis obsequiis, ut alii Apostoli secum ducebant, sed cum eis vivebant castissimè. Sorores autem vocabat fęminas omnes fideles, sicut viros dicebat fratres.

Inst. 2. Quando Paulus scribit, [4] *Rogo te germane compar*, plures legunt *germana compar*, sic vocans uxorem; ergo ipsemet habebat uxorem.

Resp. neg. ant. nam soli hæretici sic legunt, non autem SS. Patres, qui hoc vertunt in masculino, ut doceant eum loqui de collega, & socio laboris Apostolici: nam ipse vixit innuptus, dicens, *non nuptis, et vi-*

[1] 1. *Cor*. 7. 4. [2] 1. *Tim*. 4.
[3] 1. *Cor*. 9. 3. [4] *Phil*. 4.

viduis, *bonum est illis*, *si sic remaneant*, sc. innuptæ, & viduæ, *sicut et ego*, inquit.

Objic.2. in can.6. Apostolorum dicitur: *Episcopus, aut presbyter, aut Diaconus uxorem suam prætextu Religionis non abjicito*. 2. in Syn.VI. In Trullo damnatur praxis Ecclesiæ Romanæ; quia obligat Sacerdotes suos ad cælibatum. 3. cap. *His igitur*, dicitur clericis, *Ut castimoniam non violati corporis perpetuo fervore studeant*, *aut certè unius matrimonii vinculo fœderentur*. 4. cap. *de Syracusanis*. 4. Gratianus ex illo textu infert, quod *electus in Episcopatum non prohibetur habere uxorem*, *et filios.... Apparet*, *quod in præfatis ordinibus constituti*, *licitè matrimonio uti possunt*. 5. Stephanus Papa fatetur Episcopos, diaconos, & subdiaconos in Orientali Ecclesia nubere; ergo ex Conciliis, & SS. Canonibus, & Patribus, matrimonium, nec usus ejus non est illicitus in sacris ordinibus.

Resp. neg. conf. nam 1. Canon Apostolorum non vult, ut Sacerdotes uxorati curam abjiciant uxorum prætextu Religionis, sed eis provideant independenter ab usu matrimonii. 2. Canones illi VI. Synodi sunt suppostitii, ut patet ex VII. sc. additi sunt ab aliquibus Episcopis sine authoritate Concilii, ideo reprobantur à SS. Pontifice. 3. Canon ille loquitur ad ordines etiam minores, & omnibus commendatur *castimonia inviolati corporis*. 4. Gratianus ita loquitur non ex mente propria, sed adversariorum, quibus postea respondet, ut patebit. Præterea notat, quod illa Concilia erant pro Orientalibus, quibus non prohibetur usus matrimonii contracti.

Objic.3. Lex de cælibatu Sacerdotum non solùm est observatu impossibilis, sed etiam causat innumera scandala, & peccata; ergo est iniqua. Probat. antec. Nam inquit Christus, [1] *non omnes capiunt verbum istud*, sc. non sunt capaces cælibatus; ergo &c.

Resp. neg. ant. & 2. conf. Nam lex in se bona est, & sancta, sed ex nequitia humana veniunt inde scandala, non solùm ex cælibatu, sed etiam ex matrimonio inter uxoratos, ut patet de illo, qui uxorem patris sui habebat, quem ideo jussit Apostolus *tradere Satanæ in interitum carnis*; nec desunt in uxoratis adulteria. Quod autem non omnes apti sint cælibatui,

quid

quid inde? nec isti apti sunt Sacerdotio, nec ad illud coguntur. Nulli est impossibilis, nec dura continentia, si Deus dederit, & dabit omni petenti, & cooperanti gratiæ Divinæ. [1] *Scivi, quòd aliter non possum esse continens, nisi Deus dederit, adii Dominum, & deprecatus sum illum.*

Objic.1.con.2.p. pro Græcis, qui utuntur matrimonio contracto ante ordinationem, ex Script. [2] *Quod Deus conjunxit, homo non separet;* ergo iniqua est lex prohibens Sacerdotibus usum matrimonii contracti. [3] 2. *Connubium est honorabile;* ergo iniquè illud rejicimus. 3. Canon 6. Apostol. cit. prohibet, ne Episcopi, aut presbyteri prætextu Religionis uxores abjiciant; ergo &c.

Resp. neg. cons.1. Quia ille cœlibatus non est separatio vinculi, sed tori, & pro Deo, & in Deo est major conjunctio. 2. non damnamus, nec contemnimus connubium, sed ab ejus usu abstinendum dicimus, ut serviamus Deo, cui devovemur per sacram ordinationem. 3. jam diximus illum Canonem prohibere abjectionem curæ, quæ debetur uxori, non autem hanc separationem tori.

Inst. Concil. Ancyranum [4] statuit, quod *si Diaconis in ipsa ordinatione protestati sunt velle se habere uxorem, nec posse continere, hi postea si uxores duxerint, manent in ministerio*. Et Gangrense [5] damnat eos, qui recusant sumere Eucharistiam de manu Sacerdotis uxorati; ergo approbantur conjugia, & eorum usus in diaconis, & presbyteris.

Resp. neg. cons. Imò primus ille Canon, quòd cessante protestatione, ordinatio inducit obligationem cœlibatus, & quod Episcopus sic protestantes ordinabat, dispensabat cum eis. 2. aliud est damnare nolentes accipere Eucharistiam à Sacerdote uxorato, & aliud Sacerdotem illum non abstinere ab usu conjugii. Primum faciebant, qui damnati sunt in Concilio Ancyrano, quia horrebant nuptias, ut malas; & sic justè damnati sunt.

Objic.2. Sacerdotes Mosaici utebantur uxoribus, saltem pro tempore, quo non ministrabant in templo; ergo à fortiori hoc debet permitti Euangelicis: nam lex

[1] *Sap.*8. [2] *Matth.*19. [3] *Heb.*13.
[4] *can.*10. [5] *can.*4.

lex Euangelica est mitior.

Resp. neg.consf. Nam hæc prohibitio non attenditur penes mititatem, sed sanctitatem legis nostræ, & mysteriorum, ac ministerii Sacerdotalis. Certè, si illis dicebatur, ***mundamini***, ***& mundi estote***, ***qui fertis vasa Domini***, quantò magis dicendum hoc est nostris Sacerdotibus, qui non vasa, & figuras, sed veritatem, & Dominum ipsum ferunt manibus, & ore manducant?

CONCLUSIO II.

Obligatio cælibatus in sacris ordinibus non est de jure divino, sed Ecclesiastico ab ipso tempore Apostolorum. Est communior quoad 1.p. Quoad 2. verò est contra eosdem hæreticos, qui volunt hanc legem datam esse post 4. sæculum.

Prob.1.p. ex Scoto, qui fatetur quidem ut certum, quod *persona suscipiens ordinem*, *efficitur simpliciter illegitima ad contrahendum matrimonium*; sed cum dicitur hoc fieri vel per Ecclesiam, vel immediatè à Christo, quia in primitiva Ecclesia non tenebatur, docet hanc inhabilitatem non venire vi voti, quod supponitur annexum ordini Sacro, alioqui obligatio esset de jure Divino; sed provenit *ex eo*, *quod Ecclesia facit talem personam simpliciter illegitimam*; ergo obligatio cœlibatus in sacris ordinibus non est de jure Divino, sed Ecclesiastico ex Scoto.

Prob.2. ex Conciliis: nam Tridentinum [1] tribuit hanc legem Ecclesiæ. *Si quis dixerit*, *clericos in sacris ordinibus constitutos .... posse matrimonium contrahere*, *non obstante lege Ecclesiastica*, *anath. sit*; ergo totum impedimentum hoc matrimonii in sacris ordinibus venit ab Ecclesiæ lege. Item ex can. Apostol. *Præcipiente Episcopum*, *& presbyterum ordinari*, *qui sint monogami*. *Post ordinationem tamen*, *si uxores non habent*, *præcipimus*, *ut non liceat ampliùs ducere*. Audis Ecclesiam de se, non ex parte Christi præcipientem? Idem patet ex aliis Conciliis, in quibus de tali præcepto fit mentio.

Prob.3. Nam illa lex nullibi legitur in tota Scriptura, saltem expressè; sed in solo jure Ecclesiastico; ergo

[1] *Sess.14.can.9.*

go non est immediatè à Deo, vel Christo, sed ab Ecclesia.

Confir. Si esset de jure divino, non posset in ea dispensari, sed hoc est falsum, ut patet in Ecclesia Orientali, in qua toleratur matrimonium Sacerdotum, nec enim tolerarentur errores contra Dei legem.

Prob.2.p. Nam de antiquitate constat ex Canone Apostolorum citato; & ex Constitutionibus Apostolicis, & ex Ep.I. Clementis I. *Ad Dominica ministeria tales eligantur, qui ante ordinationem suam uxores suas non cognoverint. Quod si post ordinationem suam, ministro altaris contigerit proprium uxoris cubile invadere ....sacrarii non intret limina*. Notandum autem, quòd hæc Epistola scribitur ad S. Jacobum, ubi dicit, quod hæc omnia accepit à S. Petro, cujus successor ferè immediatus fuit. Et Synodus Trullana an.711. citat Canones Apostolicos, quibus prohibetur, quod deinceps, „ nulli penitùs hypodiacono .... post sui or„ dinationem contrahere liceat. *Et S. Hieron. testa„ tur*, Apostolos, qui ante vocationem habebant u„ xores, assumpti postea in Apostolatum, relinquunt „ officium conjugale: nam cùm Petrus ex persona A„ postolorum dicit ad Dominum: nos reliquimus o„ mnia, & sequuti sumus te, respondit ei Dominus, „ Amen dico vobis, quod nemo est, qui dimiserit „ domum .... aut uxorem propter regnum Dei, qui „ non recipiat plura. S. Petrus non dixisset verè, *reliquimus omnia*, si retinuissent uxores.

Hanc doctrinam receptam ab Apostolis dicit Concil. Carthagin.II. *Ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus*. Et sic de aliis Conciliis, Pontificibus, & Patribus; ergo lex cælibatus in ordinibus sacris est à tempore nascentis Ecclesiæ, & Apostolorum.

Objic.1.con.1.p. ex Syricio Papa, qui hoc præceptum tribuit Christo, & Apostolo, quarum san„ ctionum Sacerdotes omnes, & Levitæ insolubili le„ ge constringimur, ut à die ordinationis nostræ so„ brietati, ac pudicitiæ corda nostra mancipemus, „ & corpora. *Et S. Epiphan.* Hæc obligatio venit ex „ traditione, & eminentia ministerii, quæ enim ad „ Sacerdotium tradita sunt propter eminentiam cele„ brationis sacrorum .... revera enim non suscipit san-

„ cta

„ cta Dei prædicatio post Christi adventum eos, qui à
„ nuptiis, mortua eorum uxore, secundis nuptiis con-
„ juncti sunt; ergo obligatio cęlibatus est de jure Di-
vino.

Resp. neg. conf. Nam in neutro loco fit mentio de hoc præcepto. Syricius dicit quidem, quod Christus nobis dedit exemplum castitatis, sed non, quòd eam præceperit, & licèt concederem hanc legem esse Apostolicam, adhuc non sequeretur eam esse divinam. Nec etiam hoc vult Epiphan. Imò concludit eam legem servari, maximè *ubi synceri sunt Canones Ecclesiastici*; ergo censet esse legem Ecclesiasticam.

Quæres 1. *An hæc obligatio veniat ex vi ordinationis, an ex vi voti, quod illi est annexum.*

Resp. 1. Non venire ex vi ordinationis præcisè, tum quia Orientalium ordinatio est vera, & bona, & tamen non trahit secum hanc obligationem, tum quia ex Concilio Ancyrano dicitur, quod Diaconus, qui cùm ordinatur, declarat se nolle continere, si postea nupserit, non amittit gradum, *maneant in ministerio, propterea quod his Episcopus licentiam dederit.*

Resp. 2. Eam obligationem oriri ex voto, seu promissione castitatis, quam emittit ordinandus in ipsa ordinatione.

Prob. 1. ex Concil. cit. Statuit enim, quòd si diaconi in sua ordinatione tacent, & non protestantur se nolle continere, censentur vovere continentiam, saltem tacitè; ideo si postea nupserint, cessare debebunt à ministerio; ergo obligatio cęlibatus venit à voto tacito, vel expresso castitatis, quod annectitur ordinationi.

Confir. ex S. Gregorio relato in Decretis, ubi statuitur, ut à præsenti die Episcopis omnibus dicatur, ut nullum subdiaconum facere præsumant, nisi qui se victurum castè promiserit. Et certè durum esset cogere ad castitatem, nisi promitteretur. Idem statuebat Concil. Tolet. IV. ut legitur cap. *Quando.*

Quær. 2. *An in Ecclesia Latina possit licitè ordinari uxoratus ad sacros, et iste sacros ordines suscipere.*

Resp. negativè, nisi adsit causa divortii ex parte uxoris, imò cessante causa illa, non sufficit nuda licentia, sed debet ipsa vovere castitatem in Religione, aut saltem in sæculo, si sit valdè senex, ut dictum est.

Ra-

Ratio 1. p. est, quia *vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier*. Unde jubet, *nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi*; ergo vir non potest licitè ordinari sine consensu uxoris, quia sic illam fraudaret pro semper.

Confir. ex capit. un. de voto, ubi Papa vetat, *ne quisquam durante matrimonio, etiam non consummato, aliquem de sacris ordinibus præsumat accipere, nisi prout sacris Canonibus noverit convenire*. Sed Canones exigunt consensum alterius partis; ergo &c.

Dixi, *nisi adsit causa divortii ex parte uxoris*, quia tunc uxor amisit jus petendi debitum; ergo tunc vir remanet liber, ut videbimus de divortio, & patet ex cap. *Gaudeamus, de convers. conjugat.*

Ratio 2. p. petitur 1. ex cap. *Conjugatus*, & ex Concil. Lateran. III. appendice de conjugatis, & alibi. Sed de his aliàs, ubi de matrimonio.

Et hęc de sacramento ordinis dicta sufficiant ad laudem, & gloriam Dei, & B. V. M. ac Seraphici Patriarchæ, &c. sub censura S. M. Ecclesiæ.

SUM-

SUMMÆ
THEOLOGIÆ
SCOTISTICÆ
TRACTATUS XVIII.

De Sacramento Matrimonii.



Acramentum hoc magnum est in Christo, & Ecclesia, inquit Apostolus: magnum, inquam, tam in se, & litteraliter, quale est inter virum, & fœminam, quàm mysticè, & prout significat unionem Christi Domini cum sponsa sua Ecclesia. Magnum est mysterium, quod *relinquat homo patrem suum, & matrem suam, & adhæreat uxori suæ, ut sint duo in carne una*. Nam inquit Chrysostomus, [2] *revera est mysterium, & magnum mysterium, eo, qui procreavit, qui genuit, qui educavit, ea, quæ concepit, quæ cum dolore peperit, & afflictione, qui tot, & tantis affecerunt beneficiis, cum quibus diuturnus fuit usus, & consuetudo, relictis, ei adhærere, quæ nequidem visa fuit, & cum eo nihil habet commune, & eam omnibus præferre, revera mysterium est*. Sed adhuc majus est in Christo, & Ecclesia, *quoniam & ipse dimisso Patre, descendit, et venit ad sponsam, & factus est in spiritum unum*: nam, *qui adhæret Deo, unus est spiritus*.

De tanto sacramento restat hìc agendum, & quidem Theologicè, & Scholasticè: nam de eodem agunt juris civilis Doctores, considerantes illud, ut contractum quemdam civilem: item & Canonistæ, & Casuistæ pro decisione plurimorum casuum, ac difficultatum moralium, quæ in illa materia occurrunt.

DIS-

DISPUTATIO I.

De essentia, et existentia Sacramenti matrimonii.

NOmine matrimonii dicimus vinculum quoddam morale, quo vir, & fœmina in unum junguntur in ordine ad prolificandum. Dicitur 1. *matrimonium*, quasi *matris munium*, seu *munus*, quia proles magis pendet à matre, in cujus utero formatur, gestatur, nutritur, &, ut loquitur Gregor. IX. *Infans magis materno indiget solatio, quàm paterno, sibique ante partum onerosus, dolorosus in partu, et post partum laboriosus esse noscitur*, &c. 2. *Connubium*, seu *Nuptiæ* propter velum, quo sponsa operiebatur, quasi nube, ob pudorem, & in signum subjectionis. 3. *Conjugium*, à *conjunctione*, seu magis à communi jugo, quod subeunt contrahentes.

Porrò tria præcipuè hic consideranda. 1. ipsum vinculum, quasi habitualc, quo indissolubiliter duæ personæ sic colligantur. 2. *Contractus*, seu mutuus consensus, & pactio, ex qua nascitur illud vinculum. 3. *sacramentum*, quod advenit contractui, & gratiam confert contrahentibus. De singulis agemus sub communi titulo matrimonii.

QUÆSTIO PRIMA.

An sit, et quid sit matrimonium.

MOx dicebamus ex Scoto tria maximè considerari in matrimonio, juxta quæ potest describi *vinculum*, quod manet, & resultat ex actu, quo mas, & fœmina in unum consentiunt. 2. *contractus*, qui est ille actus, seu consensus, quo sic se colligant, & 3. *sacramentum*, quo sanctificatur ille contractus, & solidatur vinculum per infusionem gratiæ, & abundantiam auxiliorum divinorum.

Aliter etiam spectari potest per partes minutiores, sc. 1. quoad consensum mutuum, & internum contrahentium. 2. quoad contractum, qui est signum externum, quo consensus ille exprimitur. 3. quoad materia-

riale, sc. corporum mutuam donationem per consensum, & contractum. 4. quoad vinculum, & obligationem, quæ ex illis actibus resultat, & permanet indissolubiliter, quamdiu ambo vivunt. 5. jus reciprocum inter conjuges. 6. obligatio mutua ad debitum conjugale reddendum petenti. 7. denique illius obligationis executio, & consummatio matrimonii.

Item in matrimonio consideratur, quòd sit *legitimum*, sc. quod non nisi per verum, & legitimum consensum fiat. 2. quod sit *ratum;* sc. per adventum sacramenti post contractum civilem, aut naturalem, qui sic ratificatur, & confirmatur. 3. sit *consummatum* per carnalem copulam contrahentium.

Porrò, matrimonii *ut sic*, & prout abstrahit à ratione sacramenti, existentiam, non est, quòd probem quippe luce clarior est per quotidianam, & perpetuam experientiam, & praxim. Sed de bonitate ejus dubitarunt olim quidam Hæretici damnantes illud, ut rem turpem, & à dæmone suggestam. De præcisa ratione formali ejus, in quo consistat, disputant Theologi, an sit sacramentum. Et id controvertitur inter catholicos, & nuperos hæreticos.

CONCLUSIO I.

Matrimonium sufficienter describitur, viri, & fœminæ corporum legitima traditio pro usu perpetuo ad procreandam sobolem, debitè educandam. Estque res bona, & honesta.

Prob. 1. ex Scoto. [1] qui dicit, quod *ad procreandam prolem, debite educandam marem, et fœminam vinculo indissolubili, sibi mutuò copulari honestum est,* & quod *matrimonium est illud vinculum, et obligatio mutua.* Et in reportatis approbat definitionem magistri dicentis [2] *matrimonium est viri, et mulieris conjunctio maritalis inter personas legitimas individuam vitæ consuetudinem retinens.*

Probatur 2. quia sic explicatur natura hujus rei per verum genus ejus, & veram differentiam, ita ut definitio, & definitum convertantur. Denique explicat totum, quod pertinet ad matrimonium præcisè à ratione sacramenti, & prout est contractus; ergo &c.

[1] d.26.q.2. [2] ibid.O.17.d.27.q.2.

&c. Dico, *prout est contractus*, nam in ratione vinculi describeretur obligatio ex illa traditione resultans: ut docet Scotus.

Prob.2.p. ex Script. [1] Nam ipse Deus illud instituit, & approbavit, dicens, *non est bonum hominem esse solum*; & præcepit protoparentibus: *crescite, et multiplicamini*, & *relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et adhærebit uxori suæ*. Et Christus. [2] *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; ergo Deus hanc conjunctionem instituit. *Quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt*, ait Apost. [3] & ipse Christus per præsentiam suam nuptias approbavit, & per eundem Apostolum dixit. [4] *Alligatus es uxori, noli quærere solutionem. Si acceperis uxorem, non peccasti*. Item, *virginem suam, bene facit*. Et illud vocat. [5] *venerabile conjugium* &c.

Prob.2. cum Scoto [6] ratione naturali. „ Nam hominem velle procreare prolem in specie humana est „ actus rectè circumstantionabilis. prob. Non est actus „ de se malus.... non est magis contra rectam rationem, vel naturalem inclinationem, hominem salvare suam speciem, quàm alia animalia suam, imò „ tantò magis secundum inclinationem, quanto ista „ species est perfectior. Non autem potest salvari ista species in isto statu mortalitatis nisi per propagationem. Tum quia si esset immortalis, adhuc secundum rectam inclinationem naturæ cōpeteret, communicare perfectionem suam eo modo, quo est possibile: hoc autem est propagando, &c. ergo matrimonium in illo sensu est honestum, & bonum. Vide alias rationes ibid. & quidem solidas, & infra magis patebit ex bonis matrimonii.

Objic.1.con.2.p. Ille contractus non est bonus, cujus usus non est honestus, sed usus matrimonii non est honestus, sed turpis, & pudendus; ergo &c. Prob. min. nam ille usus numquam est sine peccato propter excessum concupiscentiæ; ergo &c.

Resp.neg.min. & ant. Nam usus matrimonii ex fine debito est actus justitiæ, & ille excessus est per accidens, & extra finem conjugii, & sæpe involuntarius, sc. permiscetur usui velut motus purè naturalis.

[1] *Gen.2.& 9.* [2] *Matth.19.* [3] *Rom.13.* [4] *1.cor.7.* [5] *Hebr.13.* [6] *Ibid.6.3.*

lis talis causæ. Nam, inquit Gregor. [1] *ut legitima carnis copula causa prolis sit, non voluptatis, & carnis commixtio creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio vitiorum*. Quod autem pudendi sint illi actus, non ideo est, quòd sint peccatum, sed propter spectatorum fragilitatem.

Objic. 2. Matrimonium distrahit à Deo; ergo non est bonum, sed pessimum. prob. ant. ex parabola cœnæ, ad quam non venit, qui *uxorem duxit*. Et ex Apost. [2] *Qui sine uxore est, sollicitus est, quæ Domini sunt, qui cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi*, &c. Et iterum, [3] *qui in carne sunt, Deo placere non possunt*; ergo &c.

Resp. dist. 1. ant. & 2. conf. Distrahit per accidens, & præter finem suum: con. per se, & ex fine suo: neg. 1. ant. & 2. conf. Id enim venit ex culpa conjugatorum, qui nimium indulgent illi voluptati, aut sollicitudini familiæ relicto Deo: non autem ex fine conjugii, qui sanctus est. Et sic textus illi sunt contra objicientes. Vide S. Augustinũ, & Catechismum Rom. ubi habes causas, & fines honestos actus conjugalis.

Inst. ex S. Hieronymo relato in cap. *Connubia*. *A tempore, quo actus conjugales geruntur, non dabitur præsentia Spiritus S.* ergo illi actus sunt mali, alioqui adesset Spiritus S.

Respondeo dist. ant. Non dabitur per assistentiam, & gratiam specialem, con. recedit quasi ob peccatum, & præcisè ob illum actum sublatis excessibus, & malis circumstantiis, neg. ant. nec enim id cogitavit Hieron. sed tantùm docet, quòd hæc, *& alia plura sunt, in quibus sufficit sola vis humana, neque res indiget, neque decet adesse præsentiam Spiritus S.* ait Hieron. Idem est de hoc actu, sicut de aliis purè naturalibus, in quibus non requiritur specialis assistentia Divina.

Objicies 3. Actus conjugii non pertinet ad virtutem ullam; ergo non est bonus. prob. ant. 1. quia nulla potest assignari. 2. quia si esset actus virtutis, indigeret ad actus illos auxilio speciali gratiæ, quod negamus; ergo &c.

Resp. neg. utrumque ant. Nam pertinere potest ad Religionem, charitatem, justitiam, imo & castitatem, quatenus intendi potest in remedium incontinen-

 tiæ.

[1] c. vir. de conf. d. 2. [2] Luc. 14. 1. cor. 7. [3] Rom. 8.

tiæ. Ad 2. dist. ant. prob. indigeret auxilio gratiæ, prout imperaretur ab aliqua virtute, & ad meritum; con. prout esset actus pure naturalis in se præcisè, neg. ant. nam sub hoc respectu negamus ad illos actus requiri auxilia specialia gratiæ supernaturalis, benè verò si spectentur, ut imperati ab aliqua virtute, & maximè ad meritum.

Inst. Actus matrimoniales augent concupiscentiam ergo non sunt ex ulla virtute, sed ab ipsa concupiscentia, & vitio.

Respondeo neg. ant. Sunt enim potius remedia concupiscentiæ. Ideo dicit Apostolus, *melius est nubere, quàm uri.* Et S. Bonavent. [1] *Qui cognoscit uxorem, concupiscentiæ non satisfacit, sed obviat, ne uratur: & ideo non intenditur in eo, sed remittitur fervor concupiscentiæ.*

Objic. 3. Matrimonium non fit ex bono fine, sed propter voluptatem, aut avaritiam, seu dotem; ergo illud non est bonum, sed potius malum. prob. ant. experientia; nam omnes nubunt ex ardore amoris carnalis, aut cupiditate dotis.

Respond. neg. ant. utrumque, alioqui non esset propriè bonum præcisè ex illis motivis. Quia sunt præter, aut contra intentionem Dei, & naturæ instituentis matrimonium.

Inst. Si fieret ex bono fine, esset meritorium: sed conf. est falsum; ergo &c. Prob. min. ex Chrysost. [2] *Matrimonium, licet utentibus pœnam non inferat, mercedem tamen non præstat;* ergo non est meritorium.

Resp. neg. min. & 2. conf. Nam si usus matrimonii esset ex fine charitatis, vel alterius virtutis, posset meritorius esse, ut in Osea, dum jubetur sumere filiam fornicationum, & in Zacharia, cum illi promittitur generatio J. Baptistæ.

Inst. 2. Abstinentia ab illo usu, & ab illis actibus est meritoria, ut patet de virginitate; ergo illi actus non sunt boni, nec meritorii.

Resp. dist. ant. Est meritoria comparativè, & in aliquibus circumstantiis: con. absolutè, & simpliciter stante matrimonio: neg. ant. nam, stante matrimonio, conjuges sibi mutuo debent usum illum altero

[1] *d. 26. p. 2. q. 3.* [2] *ho. 1. op. imper.*

ro nolente continere, ut videbimus, virginitas autem in cælibatu est meritoria, aut ex mutuo consensu conjugum.

Inst.3. Actus meritorius habet laborem, seu difficultatem, sed hic usus non habet laborem, sed voluptatem, ad quam impellit caro; ergo &c.

Resp. dist. maj. Habet laborem in se, vel in virtute imperante, con. in se solo, & absolutè, neg. maj. & cons. voluptas impellit in actum ipsum, sed non in virtutem, per quam imperatur, ut sit meritorius.

CONCLUSIO II.

Matrimonium consistit essentialiter in vinculo indissolubili inter marem, & fœminam quoad reciprocam potestatem in corpora sua in ordine ad prolem creandam, quod vinculum non est formaliter quid absolutum, nec relatio intrinsecùs adveniens, aut rationis puræ, sed relatio extrinsecùs adveniens, seu denominatio extrinseca, relicta ex actu, seu consensu præterito, & mutuo conjugum.

Prob. 1. ex Scoto cit. *Matrimonium est illa obligatio mutua, & vinculum illud.... est vinculum indissolubile inter marem, & fœminam ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem facta, ad procreandam prolem debitè educandam.*

Prob.2. Nam quærimus rationem formalem matrimonii in ratione rei permanentis, quæ dat jus perpetuum reciprocum maritatis utendi corporibus ad invicem: sed nihil tale potest assignari præter illud vinculum manens ex contractu præterito, quo consenserunt in talem translationem; ergo in eo consistit ratio formalis matrimonii. Maj. patet. Nam ratio formalis matrimonii debet durare inter maritatos, ut verè dicantur maritati. prob. min. nam actus contractus, seu consensus in illam translationem non manet; ergo sola obligatio ex illo actu consensus resultans manet; ergo illa est ratio formalis matrimonii.

Prob.2. p. nam illud vinculum non potest meliùs explicari: sic enim exprimuntur omnes ejus conditiones, & effectus, ut patet ex præcedenti definitione; ergo &c.

Prob.3.p. tum quia non potest dici, quid sit illud absolutum, nec in quo genere entis consistat, nec quo-

modo producatur, nec adest ulla necessitas illud asserendi; ergo illud vinculum non est quid absolutum.

Prob.4.p. de relatione intrinsecus adveniente. Nam hæc requirit fundamentum, & terminum realiter existentia; sed hæc non adsunt in conjugibus, quamvis duret matrimonium quoad vinculum, & adhuc ligantur post 10. aut 20. annos initi matrimonii; ergo illud non est relatio realis intrinsecus adveniens. Prob. min. fundamentum proximum, & formale hujus vinculi fuit actualis contractus, seu actus mutui consensus, & traditionis mutuæ corporum; sed illa traditio non existit; ergo nec fundamentum formale proximum vinculi.

Confir. ex Scoto.[1] Nam vinculum *est permanens in animabus conjugum*, & consensus actualis præteriit; ergo & præteriit fundamentum proximum vinculi, seu relationis. Ant. patet ex omnium consensu, & ex Script. [2] *Nam mulier alligata est legi, quamdiu vir ejus vivit*, & *, mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir*, &c. ergo &c.

Confir. 2. quia gratis, & fine fundamento assereretur talis relatio realis durans inter conjuges, ergo, &c.

Prob.5. p. de relatione rationis; quia independenter ab ulla fictione relationis, & à parte rei viget illud vinculum inter maritatos & illud jus reciprocum in sua corpora; ergo non consistit in relatione purè imaginaria, seu ficta; quæ non posset denominare illos verè, & à parte rei unitos, & ligatos.

Prob. 6. p. 1. ex Scoto. Nam vinculum, *Quod est permanens in animabus conjugum, est relatio tantùm realis extrinsecus adveniens, vel, quod verius, est relatio rationis*, (seu moralis) *quia nihil est ibi, nisi dominium novum, & nova servitus pro nova commutatione: sed Dominium tale, vel servitus nihil reale ponit in Domino, vel servo*; ergo, &c. sic loquitur, non ut intelligamus relationem, seu denominationem esse purè imaginariam, aut fictam, nec realem intrinsecus advenientem; sed quod est denominatio extrinseca ex contractu reali præterito, & moraliter durante, quoad effectum ligandi perinde, ac si actu duraret, & existeret actio traditiva reciproca.

Prob.

[1] *Ibid.* [2] 1.cor.7.

Probatur 2. ex dictis in Philosophia. Nam denominationes extrinsecæ quasi mediant inter reales, & rationis, & ita est de relationibus extrinsecis. Istæ non sunt purè reales, quia nihil reale ponunt in rebus denominatis, sicut nec denominatio visi in pariete, nihil reale novum ponit in illo, sed tamen verè, & à parte rei denominat illum visum, quia verè, & à parte rei, nullo fingente paries terminat, aut terminavit meam visionem. Ita est in proposito; conjuges denominantur maritati, & ligati per denominationem, seu relationem extrinsecam, per quam significatur, quod illi inter se contraxerunt matrimonium, quo sibi mutuo potestatem reciprocam suorum corporum tradiderunt irrevocabiliter, & ex illa traditione reciproca, & irrevocabili remanet illa potestas moraliter, perinde ac si actu, & de præsenti contraherent.

Hæc relatio, seu denominatio dici potest rationis, quia tota ejus realitas remanet in memoria, & æstimatione, non per existentiam Physicam, prout existunt ipsi conjuges; sed tamen dicitur realis, prout reale opponitur fictitio. Nam verè, & à parte rei, & nullo fingente, illi sibi sua corpora reciprocè tradiderunt, & ex vi traditionis illius præteritæ, vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, & vicissim.

Objic. con. hanc p. Illud vinculum esset reale simul, & rationis: sed hoc implicat, ergo & illud.

Resp. dist. maj. Reale & rationis sub diverso respectu, & sensu; con. maj. & neg. min. sub eodem respectu, & sensu: neg. maj. & cons. est rationis, prout opponitur existenti physicè, sed significat existentiam quandam moralem, & æquivalentem; est autem reale, prout opponitur rei fictæ, seu imaginariæ.

QUÆSTIO II.

An matrimonium sit verum Sacramentum novæ legis.

IN præcedenti consideravimus matrimonium, ut contractum, quo vir, & fœmina sibi reciprocè sua corpora tradunt præcisè, & quasi in abstracto. Nunc quærimus, an sit sacramentum novæ legis. Dico, *le-*

gis novæ, non enim puta illud fuisse tale in lege naturæ, nec scripta, saltem de hoc non disputo, sed tantum de lege Euangelica, an fuerit elevatum à Christo ad dignitatem sacramẽnti, ita ut sit signum sensibile, & efficax gratiæ ex ejus institutione.

CONCLUSIO I.

M*Atrimonium in Ecclesia catholica est verum sacramentum à Christo D. institutum*. Est de fide contra quosdam hæreticos antiquos, qui damnabant nuptias; & nuperos, qui putant illud esse nudum contractum humanum.

Prob. 1. ex Scot. [1] *Quia tenet Ecclesia matrimonium esse septimum inter sacramenta Ecclesiastica, & de sacramentis Ecclesiæ non est aliter sentiendum, quàm S. Ecclesia Romana, extra de Hæret. c. ad Abolendam.* Ideo dici potest, quod *contractui matrimoniali annexit Deus sacramentum proprie dictum saltem pro lege Euangelica. Et tunc oportet dicere, quod institutum fuit à Christo, sicut universaliter dictum est de sacramentis Ecclesiasticis.*

Prob. 2. ex Conciliis; nam in Florentino [2] hoc enumeratur inter alia sacramenta. In Senon. an. 1528. dicitur, *Matrimonium abundè satis S. Matris Ecclesiæ usu, & authoritate comprobatur....Qui neget itaque matrimonium esse sacramentum .... inter hæreticos habeatur.* Et Trid. [3] *Si quis dixerit matrimonium non esse verè, & propriè unum ex 7. Ecclesiæ sacramentis à Christo D. institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anath. sit.*

Prob. 3. ex perpetuo usu, & traditione Ecclesiæ, quæ semper tenuit matrimonium inter sacramenta. *Christus enim* (inquit S. Martialis) *ad quasdam nuptias invitatus, eas præsentia suæ majestatis sanctificavit, & miraculo magnifice stupendo lætificavit.* Et Tertull. *Unde sufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant, & Pater ratò habet.* Et Cyril. Alex. Ep. ad Nestor. quam probavit Concil. Ephes. dicit Christum *ad nuptias cum Apostolis invita-*

[1] *d. 26. K. 12.* [2] *decr. Eug. pro Arm.*
[3] *Seß. 24. c. 1. & can. 1.*

invitatum se contulisse, suaque benedictione easdem dispensatoriè cohonestasse. Et alibi dicit, *Christum sanctificasse conjugium, & gratiam nuptiis præparasse, ut aditus hominis in hanc vitam benediceretur*. Et Ambros.dicit, *eum sacramenti cœlestis amittere consortium, & peccare in Deum, qui alienam uxorem ambit, sc.facit injuriam sacramento matrimonii*. Et Siricius Papa dicit, *illum esse reum sacrilegii, quia illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, violatur*, &c. Et Innoc.I. *Statuimus, fide catholica suffragante, illud esse conjugium, quod primitus erat divina gratia fundatum*. Ideo declarat, *secundum cum alia fœmina, vivente adhuc prima, non esse legitimum*. Et August.vocat illud *sacramentum nuptiarum ..... bonum nuptiarum per omnes gentes, atque homines in causa generandi est, & in fide castitatis. Quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate sacramenti .... est .... in Ecclesia, nuptiarum, non solum vinculum, sed etiam sacramentum commendatur*, &c. Et sic de aliis SS.Patribus communiter.

Prob.denique, tum ex dictis de numero sacramentorum, tum quia illi competunt conditiones omnes sacramenti. *Est enim signum sensibile, & divinitus institutum, gratiam Dei efficaciter significat, ordinatur ad salutem hominis viatoris*; ergo &c.

Confir. ex Scoto cit. [1] *Contractui prædicto congruum est annecti collationem gratiæ, quia contractus ille est difficilis, cùm ex eo nascatur obligatio valdè difficilis, cujus difficultas conjuncta est honestati, ut probatum est, ad honestum autem, & difficile congruum est gratiam conferri*. Et per consequens institui sacramentum, cujus intuitu conferatur infallibiliter.

Hinc etiam patet de institutione divina, tum quia Concilia, & Patres citati id apertè asserunt, tum quia de essentia sacramenti est, ut sit institutum à Deo, ut dictum est.

Dixi autem *in Ecclesia*: nam licèt ab initio mundi, & in tota lege veteri, & positiva divina, & naturali viguerit matrimonium in ratione contractus; & ut figura unionis Christi cum Ecclesia, tamen non fuit ibi ut verum sacramentum, nec ut signum efficax gratiæ. Ideò Conc.Trid. [2] non solùm dicit illud es-

[1] *ibid.l.11.* [2] *sess.14.c.1.*

se sacramentum novæ legis, sed etiam ab initio sessionis dicit illud, *in lege Euangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstare.*

Dixi 2. *in Ecclesia*, sc. inter fideles, & baptizatos: nam pro infidelibus, & non baptizatis non est propriè sacramentum, quia baptismus est janua sacramentorum; sed de hoc infra.

Objic. 1. pro hæreticis. Omnium sacramentorum institutio, & efficacia legitur in Scriptura; sed nihil tale habetur de matrimonio; ergo non est sacramentum. Maj. patet ex dictis de aliis singulis. Prob. min. nam Theologi Catholici nihil probant ex Scriptura; ergo &c.

Resp. dist. maj. In Scriptura expressè, aut implicitè, aut saltem ex traditione, conc. explicitè, & formaliter, & ex sola Scriptura, neg. maj. & conf. & sic dist. antec. Nam SS. Patres, & Concilia non incongruè hanc veritatem probant ex Euangelio, ubi Christus dixit [1] de conjugatis, *jam non sunt duo, sed una caro*. Et de ejus insolubilitate dixit, *quod Deus conjunxit, homo non separet*. Et efficaciam ejus innuit Apost. [2] *Viri diligite uxores vestras, sicut Christus Ecclesiam*, quia scilicet *sacramentum hoc magnum est in Christo*, &c. Et sic ratiocinantur Patres Tridentini.

Dixi, *saltem ex traditione*: nam licèt nullum haberemus textum formalem, aut virtualem in Scriptura, sufficit, quòd hoc habeamus ex traditione: nam inquit Trident. [3] *Meritò inter sacramenta novæ legis annumerandum* (matrimonium) *Sancti Patres nostri, Concilia, & universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt*, &c.

Objic. 2. Quæ sunt ex sacramento, præstant virtutibus, quibus non est annexum sacramentum; sed hoc falsum est de matrimonio; ergo non est verum sacramentum. Maj. patet: nam sacramenta sunt causæ infallibiles gratiæ. Prob. min. nam virginitas præstat matrimonio, imò & istud retardat perfectionem vitæ spiritualis: nam, [4] *qui cum uxore est, cogitat, quæ sunt mundi, & uxoris, & divisus est*. Et, *qui non sumpsit* (uxorem) *melius facit*.

Resp. dist. maj. Formaliter, & reduplicativè, & compa-

[1] *Matth. 19.* [2] *Ephes. 5.*
[3] *sess. 24.* [4] *1. Cor. 7.*

parativè ratione sacramenti, conc.maj. & neg.min. absolutè, & secundum se, neg.maj. & conf.1.& 2. nam licèt virginitas non sit virtus sacramentalis, nec signum efficax gratiæ, certum est eam esse effectum gratiæ singularis, & eam ex opere operantis majorem mereri mercedem ex promissione Dei. Certè comparando statum matrimonii cum statu virginitatis, hic longè altior est. Si verò comparetur cum sacramento, matrimonium sub hoc respectu præcellit.

Idem est de impedimento perfectionis: hoc enim dicitur præscindendo à ratione sacramenti, imò & ob id matrimonium debuit elevari per sacramentum, quia de se est longè inferius, & ex suppositione, quod eligatur, maritati egent majoribus auxiliis sacramentalibus.

Objic. 3. Sacramenta non debent opponi sacramentis, nec per unum debet excludi aliud; sed per matrimonium excluditur aliud sacramentum ordinis; ergo &c.

Respond. neg. absolutè maj. Nam Christus instituit sacramenta pro singulis statibus, & membris Ecclesiæ juxta diversos actus, quos habent, & cùm homo per unum sacramentum fit membrum singulare corporis mystici, limitatur ad hanc functionem, & excluditur ab actibus aliorum membrorum. Sic per matrimonium homo limitatur ad statum laicalem, & per ordinem limitatur ad statum Ecclesiasticum, & excluditur à laicali. *Singula membra non eundem actum habent.*

Resp.2.dist.min. Excluditur aliud, sc.ordo, ex lege Ecclesiastica, & ex natura functionum, conc. ex lege divina, neg.min. nam, ut diximus tract. præcedenti, neque ex lege divina, neque ex ratione sacramenti, neque absolutè ex natura rei status conjugalis non repugnat Sacerdotali, sed ex gravi congruitate, ac decentia leges Ecclesiasticæ limitant Sacerdotium ad statum cœlibatus.

Objic.4. Matrimonium fidelium, & infidelium est ejusdem rationis; sed infidelium non est sacramentum; ergo nec illud.

Resp.dist.maj. Ejusdem rationis secundum quid, & ratione contractus in beneficium naturæ, conc. simpliciter, & per omnia, neg. maj. & conseq. Inter infideles ha-

habet rationem contractus, & superaddit rationem sacramenti favore fidelitatis.

Objic. 5. In omni sacramento debent adesse materia, forma, & minister specialis ex institutione divina; sed nihil horum est in matrimonio; ergo &c. Prob. min. Non adsunt ullæ res, nulla verba determinata, nec ullus minister: nam soli contrahentes sine verbis, sine applicatione ullius signi sacri per ullum ministrum sacrum, sicut in aliis sacramentis sufficiunt, & meri nutus, quibus significetur mutuus consensus, non autem gratia ulla; ergo &c.

Resp. neg min. & 2. conf. nam hæc omnia adesse probabimus, & verba, seu signa, quibus exprimitur consensus, satis significant gratiam unitivam, quam operatur sacramentum, ut docet Trident. [1] *Gratia, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus nobis promeruit.*

Objic. 6. Si matrimonium esset sacramentum, copula carnalis esset pars ejus, & concurreret ad gratiam; sed conf. est absurdum, & contra nos; ergo &c. Prob. maj. nam quæ faciunt matrimonium in ratione contractus humani, & causant vinculum, & unitatem carnis, se habent, saltem ut materiale in sacramento; sed copula carnalis ita se habet in hoc contractu; ergo est de essentia sacramenti.

Resp. neg. 1. maj. & 2. min. nam matrimonium habet totam suam essentiam in ratione contractus, & sacramenti independenter à copula actuali, ad quam dat jus, sed non in ea consistit.

Objic. 7. Non possumus pacisci de sacramento sine simonia; sed paciscimur de matrimonio; ergo non est sacramentum. Min. patet: nam paciscimur de dote, & aliis conditionibus. Prob. maj. in ratione sacramenti esset quid spirituale supernaturale, ergo pactiones circa matrimonium essent simoniacæ, si esset sacramentum.

Resp. dist. min. Paciscimur de matrimonio, ut contractu civili, & quoad ea, quæ in eo sunt purè temporalia, conc. in ratione sacramenti, neg. min. nam de dote paciscimur propter onera purè temporalia, & sine respectu ad sacramentum, sicut paciscimur de pretio cali-

[1] *sess. 24 c. 1.*

calicis, etiam consecrati, quoad valorem argenti, vel auri, & quoad laborem opificis sine respectu ad consecrationem.

Inst. Saltem adulteri violantes jura matrimonii essent sacrilegi; sed hoc dici non potest, nec ullus admittet; ergo &c. Prob. maj. nam violaret sacramentum; ergo &c.

Respond. neg. maj. & anteced. Violatur quidem fides contractus conjugalis, & civilis; sed sacramentum manet illæsum.

CONCLUSIO II.

Matrimonium non fuit verum, & proprium sacramentum ante legem Euangelicam. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] dicente positivè, quod *omnibus contractibus præcedentibus legem Euangelicam non fuit annexum sacramentum propriè dictum, nec fuisset annexum in statu innocentiæ, si perseverasset, sicut dictum est supra d. 26.* &c.

Prob. 2. ex Conc. Trid. [2] *Si quis dixerit matrimonium non esse verè, & propriè unum ex sacramentis legis Euangelicæ*, &c. Item, [3] *Si quis dixerit sacramenta omnia novæ legi non fuisse à Jesu Christo instituta, aut esse plura, vel pauciora, quàm septem* (inter quæ ponit matrimonium) *anath. sit*; ergo ante Christum non erat hoc sacramentum, sicut nec alia. Idem patet ex Lateran. III. & Florent. & aliis, quatenus docet sacramenta omnia nostra fuisse instituta à Christo, & ibi reponunt istud: nam ante legem Euangelicam non potuerunt institui à Christo.

Prob. 3. nam si matrimonium fuisset sacramentum ante legem Euangelicam, non diceretur sacramentum novæ legis, sed omnium legum. & statuum; sed hoc est falsum, & contra Concilia cit. ergo &c. Prob. maj. quia nomen haberet ex statibus, in quibus viguisset.

Prob. deniquè. Non potest dici, quandonam fuisset institutum. 1. non in statu innocentiæ: nam omnia sacramenta efficaciam habent ex meritis passionis Christi exhibitæ, vel prævisæ; sed Adamo non peccante, non fuisset passio Christi, nequidem prævisa; ergo

[1] *d. 39. q. 2.* [2] *sess. 14. c. 1.* [3] *sess. 7. c. 1.*

ergo nec sacramenta, saltem ex tali merito. 2. non in lege naturæ: nam ibi non legitur aliud sacramentum, quam pro originali in parvulis. 3. non in Mosaica, quia nec etiam ibi legitur talis institutio matrimonii alterius rationis inter Judæos, quam inter alias nationes.

Dixi autem, *verum, & proprium sacramentum*: nam in latiori significatione, sc. pro signo cujuscumque rei sacræ dici potest, quod in omni statu, etiam innocentiæ, fuit aliquale sacramentum: nam in omni statu fuit figurativum unionis Christi cum Ecclesia, quæ unio est sacratissima; ideo dicit Apost. *Sacramentum hoc magnum est in Christo, et Ecclesia.*

Objic. 1. In omni lege matrimonium fuit bonum, & meritorium gratiæ; ergo & sacramentum.

Resp. dist. ant. Meritorium ex opere operantis, & de congruo, transeat, ex opere operato, & in ratione sacramenti, neg. ant. & conseq. nam sacramenta debent causare gratiam ex opere operato.

Objic. 2. In statu innocentiæ Deus *masculum, et fœminam creavit eos, et benedixit eis, dicens, crescite*, &c. Et in omni statu verum fuit dicere, *Sacramentum hoc magnum est*. Item, *Relinquet homo patrem, et matrem*, &c. Et post peccatum duravit hæc benedictio, maximè post diluvium; ergo in omni statu matrimonium fuit verum sacramentum, & signum gratiæ, seu benedictionis.

Resp. neg. conseq. nec enim ex illa benedictione & verbis, & factis Dei arguitur institutio sacramenti: nam dicta sunt, & facta, etiam pro bestiis, ut patet legenti Genesim. Quoad figurationem autem nihil etiam concludit pro ratione sacramenti veri, sicut nec figuræ baptismi, vel Eucharistiæ, ut Agnus Paschalis, non fuerunt sacramenta.

Objic. 3. SS. PP. docent matrimonium à tempore creationis, & semper fuisse sacramentum; ergo ita est. Prob. antec. ex Leone Papa, ex Chrysostomo supra citato, ex Augustino, & Innocentio relato in decretis. *Cùm sacramentum conjugii apud fideles, et infideles existat*; ergo à fortiori apud Patriarchas fideles fuit sacramentum.

Respon. dist. 1. antec. & 2. conseq. Sacramentum largè, & impropriè, conc. propriè, & strictè, prout hic loqui-

loquimur de sacramento, neg. antec. & conseq. loquuntur de sacramento in sensu prædicto, quatenus ab initio fuit figura,& signum unionis mysteriosæ Christi cum Ecclesia, non autem, quod fuerit semper signum efficax gratiæ.

Inst. Post peccatum fuit institutum, & vim habuit contra concupiscentiam; ergo fuit causa gratiæ: nam per hanc solam frænatur concupiscentia.

Respon.dist. antec. Contra concupiscentiam, ut officium naturæ, & remedium naturale, conc. ut sacramentum efficax gratiæ, neg.antec. post peccatum fuit remedium contra concupiscentiam, præbendo modum licitum illam sedandi, & propagandi speciem humanam, & ne ardor carnis ad illicita impelleret; sed nunc addit vires supernaturales in eundem finem, & ad ferenda onera conjugii.

Quæres, *Quando, et ubi Christus instituit hoc sacramentum.*

Resp. Scotus [1] non invenit planiùs, quam Matth. 19. *Et licèt ibi tantùm approbaverit contractum institutum Gen.2. et per consequens illud non instituit, tamen instituit sacramentum, quod potest accipi ex illo verbo, quod addidit: Quod Deus conjunxit, homo non separet; ut non intelligatur ibi conjunxisse, pro instituisse præcisè contractum matrimonii, sed conjunxisse ex tunc gratiosè per institutionem sacramenti comitatis, illum contractum conjugalem conjungentem.* Censet ergo, quod Christus elevavit contractum istum ad rationem sacramenti, & dedit illi vim conferendi gratiam, quando ejus antiquam institutionem, & indissolubilitatem in ratione contractus memorans, addidit confirmationem, dicens; *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Alii dicunt, quod hæc institutio contigit in nuptiis in Cana Galilææ, quia tunc per præsentiam suam nuptias generaliter sanctificavit; sed hæc sanctificatio, seu approbatio non videtur convincere institutionem nuptiarum in ratione sacramenti, quod valde probabile est. Ideo

Resp. non esse necesse, ut sciamus præcisè, quando, vel ubi Christus hunc contractum jam divinitus institutum in creatione mundi, elevaverit ad esse sacramen-

[1] *ibid.*

menti, sufficit scire, & credere cum Ecclesia, quod hoc fecit aliquando, nec enim omnia, quæ fecit, & dixit, scripta sunt.

QUÆSTIO III.

An matrimonium infidelium sit sacramentum?

NOn loquimur de infidelibus præcisè, qui contrahunt matrimonium in infidelitate, & in ea perseverant: certum enim est apud omnes, illud non esse sacramentum, sed contractum purè civilem, sed loquimur vel de infidelibus, qui post matrimonium baptizantur, & quæritur, an per susceptionem baptismi primum illud matrimonium evadat sacramentum absque novo contractu, vel de matrimonio infidelis cum fideli, an istud sacramentum sit pro parte fideli.

Suppono autem aliquod matrimonium stare posse inter fidelem, & infidelem, sive quia existebat ante conversionem ejus: nam tunc *sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*, & vicissim; & possunt remanere simul ex consensu, ut docet Apost. [1] vel ex dispensatione ab impedimento *disparitatis cultus*, de quo aliàs. Et quæritur, an per hoc, quòd unus conjugum baptizetur, alio remanente in infidelitate, matrimonium initum evadat sacramentum, saltem pro baptizato.

CONCLUSIO I.

M*Atrimonium contractum inter infideles nunquam fit sacramentum, sed possunt de novo contrahere, & tunc erit sacramentum.*

Prob. 1. p. ex Scoto, [2] quatenus docet cum Apostolo, matrimonium posse dissolvi, quando alter convertitur, & baptizatur, & non potest, aut non vult habitare cum infideli propter periculum fidei: nam *priora matrimonia rata erant, nisi superveniret fortius vinculum, cum quo non posset stare istud, cujusmodi est nova obligatio ad Deum per fidei susceptionem*, &c. ergo ex Scoto tantùm abest, ut per conversionem, & Bap-

[1] 1. *Cor.* 7. [2] *d.* 39. *c.* 4.

Baptismum unius prior contractus evadat sacramentum, quin potius evadit solubilis, si fidelis non possit cohabitare cum infideli sine periculo, vel injuria fidei in Deum, *ad quam magis tenetur, quàm ad vinculum conjugale*, inquit.

Prob. 2. Quia cùm infideles baptizantur, non contrahunt, & non existit materia proxima, nec forma sacramenti matrimonii; ergo &c. Probat. ant. Nam materia, & forma sunt contrahentes, & contractus ipse per verba, aut signa consensuum in vinculum; ergo tunc matrimonium non fit sacramentum, quia sacramentum exigit materiam, & formam præsentem pro eo instanti, quo fit. Ant. patet experientia, & supponitur: nam fortè non cogitant de matrimonio.

Confirm. Nam per receptionem baptismi nulla fit mentio de matrimonio præterito; ergo istud non potest evadere sacramentum per baptismum.

Prob. 3. Si tunc matrimonium elevaretur ad esse sacramenti, causaret gratiam sibi propriam; sed hoc est falsum; ergo &c. maj. patet: nam omne sacramentum causat gratiam sibi propriam. Probat. min. quod non est, nec fuit sacramentum, non potest dare gratiam sacramentalem. Sed matrimonium inter infideles, & ante baptismum non fuit sacramentum, ut supponitur, nec existit, cùm baptizantur, quia tunc nullum ejus signum apparet, nec materia, nec forma ejus; ergo non potest tunc dare gratiam illi sacramento propriam.

Prob. 2. p. Quia si conjuges conversi de novo contrahant, applicatur vera materia, & vera forma cum debita intentione, & sunt capaces gratiæ sacramentalis, denique adsunt omnia essentialia sacramenti; ergo est verum sacramentum matrimonii, & habet effectum ejus. Prob. ant. 1. adsunt contrahentes, & exprimunt consensum suum eodem modo, ut cæteri omnes sponsi, & sunt capaces sacramenti. 2. cùm jam sint fideles, id faciunt cum debita intentione. 3. nulla lege prohibetur illa renovatio consensus in illis circumstantiis; ergo &c.

Confir. Si quid impediret, maximè quia reciproca donatio suorum corporum jam est facta, & consummata; sed hoc non impedit; ergo nihil. Maj. admittitur ab adversariis, & est eorum fundamentum.

Nam

Nam ait Hiquæus, [1] *contractus, qui est completè consummatus, iniri nequit*. Prob. min. tum quia illa donatio mutua non fuit facta sub præsenti conditione, & intentione, & possunt resilire à præcedenti contractu, & sibi invicem redonare corpora ad hunc effectum, nec id prohibet lex ulla; tum quia donatio illa prior conjugum non est fortior, nec insolubilior ea, quæ fit per vota Religionis, quæ non sunt sacramentalia, sed hæc vota possunt iterari, & renovari ad novum meritum, & gratiam novam; ergo & contractus matrimonialis ad finem adeo sanctum, quale est bonum sacramenti.

Objic. 1. con. 1. p. *Matrimonium inter infideles est verum, sed non ratum, inter fideles autem est verum, & ratum*; ergo hoc ipso, quòd conjuges baptizantur, & fiunt fideles, matrimonium infidelium fit ratum, & sacramentum.

Resp. neg. conf. Nam canon per matrimonium ratum inter fideles intelligit illud, quod contraxerunt, ut fideles, & post baptismum, & quod fuit verum sacramentum, & prorsus insolubile, etiamsi alter apostataret à fide per paganismum, vel hæresim. Sed non loquitur in casu nostro de contracto in infidelitate, quod non est adeo insolubile, quin uno converso, possit ipse separari ab alio, si velit, aut non possit cohabitare sine periculo fidei, aut gratiæ; ergo ille canon non est ad rem; bene verò pro 2. p. quia probat, quod matrimonium infidelium venientium ad fidem, possit, & debeat ratificari, ut fiat sacramentum.

Obj. c. con. 2. p Per baptismum infidelium matrimonium illorum fit indissolubile; ergo & fit sacramentum: nam insolubilitas venit ex sacramento.

Resp neg. conf. & prob. ejus. Nam ille contractus de se, & natura sua. & jure divino talis est, ut non possit dissolvi inter fideles.

Resp. 2. neg. ant. absolutè: nam si unus conjugum maneat in infidelitate, ille, qui fuerit baptizatus, poterit ab infideli discedere, ut docet Canon cit. non autem ille, qui contrahitur inter fideles; ergo ille contractus non habet eandem insolubilitatem, etiam post baptismum, quam qui fit inter fideles, & sic ruit objectio. Imò & si evaderet insolubilis, hoc non fieret

ret ex vi sacramenti præcisè, sed ex vi talis contractus, & mutatione talis circumstantiæ.

Inst. Conversio non debet esse onerosa conversis; sed nisi matrimonium fieret sacramentum, conversio esset eis onerosa: nam contractus fieret insolubilis æquè, ac contractus fidelium, & nullam reciperent gratiam sacramentalem; ergo &c.

Resp. neg. min. & prob. Nam possent ambo renovare contractum, qui fieret sacramentum, & conferret gratias, deinde per baptismum supplerentur illæ gratiæ.

Inst. 2. Potuit Deus velle, ut ex vi contractus præcedentis, conversi per baptismum reciperent gratias, quas fideles recipiunt, dum contrahunt; ergo ita est, quia sic magis commendatur Dei bonitas.

Resp. neg. conf. Quia sine fundamento in Scriptura, vel traditione Ecclesiæ nihil debemus asserere circa sacramenta. Unde quia in aliis, quæ consistunt in usu, non confertur gratia, nec sunt sacramenta, nisi in suo fieri, ita dicendum est de isto.

Objic. 1. con. 2. p. Contractus ille 2. nihil operaretur; ergo non faceret sacramentum. Nam istud requirit contractum validum, qualis non esset iste. Prob. ant. Si quid operaretur iteratus, posset sæpius iterari, & toties fieret sacramentum. Sed hoc est falsum, & contra praxim; ergo nihil operatur. Prob. maj. nam eadem est ratio de 3. 4. & 5. &c. ac de illo 2. ergo si 2. post baptismum esset sacramentum, ita & posteriores.

Resp. neg. 1. ant. Nam operatur gratiam, & insolubilitatem, dum addit novam circumstantiam, quæ reddit contractum istum materiam aptam sacramento, & facit, ut sit sacramentum, sc. statum baptismi, & fidei, qui status ex Dei institutione requiritur ad hoc sacramentum, posteriores verò nihil novi adderent, ideo nihil facerent.

Objic. 2. Si unus tantùm convertatur, non tenentur de novo contrahere; & tamen pro converso primus contractus evadit sacramentum; ergo multò minus tenebuntur, si ambo convertantur.

Resp. dist. ant. Non tenentur iterare contractum, nisi velint habere sacramentum, con. absolutè, neg. ant. ut patet ex dictis: imò forte nequidem iterando con-

contractum habebitur sacramentum pro conjuge fideli, ut patebit.

CONCLUSIO II.

S*I fidelis contrahat cum infideli, non fiet sacramentum.*

Dico, *si contrahat*, etiam cum aliqua dispensatione super impedimento disparitatis cultus, quod est dirimens.

Prob. 1. ex Scoto, [1] *Tali contractui non esset annexum sacramentum fidei Christianæ, nec etiam ibi esset bonum sacramenti, sc. insolubilitas*, & propterea Ecclesia prohibuit tale matrimonium; ergo contractus iste fidelis cum infideli non potest esse sacramentum Ecclesiæ ex lege ejusdem.

Prob. 2. Quia illud matrimonium non esset insolubile ex neutra parte; ergo nec sacramentum, quia insolubilitas venit ex sacramento: nam apud infideles non censebatur insolubile. Prob. ant. ex Apost. [2] cit. nam si infidelis non vult habitare cum fideli, iste potest ab eo discedere, & dissolvitur matrimonium, quod non liceret, si semel fuisset validum sacramentum, ut patet, quando unus cadit in hæresim, vel paganismum; fidelis manet ligatus, quamdiu vivit apostata, quia voluit sacramentum, ut videbimus; ergo &c.

Prob. 3. Essentia matrimonii consistit in mutuo, & debito consensu utriusque conjugis, qui consensus est illi essentialis, & uterque conjux debet esse capax ejus; sed conjux infidelis non est capax talis consensus, qui faciat sacramentum; ergo &c.

Prob. 4. Sacramentum hoc essentialiter est unum, constans uno contractu inter duos, sc. marem, & fœminam, & requirit subjectum capax; sed infidelis cum fideli non sunt subjectum unum capax sacramenti hujus; ergo ille contractus non erit sacramentum. Prob. min. Nam ex Script. Conciliis, & Patribus solus contractus baptizatorum est materia apta hujus sacramenti; sed iste contractus non est verè baptizatorum, licèt unus conjugum sit baptizatus; ergo &c.

Confir. Nam si lex jubet, quod contractus venditionis non valeat, nisi inter nobiles, non valebit, si

alter

alter sit ignobilis. Sed lex Ecclesiæ non vult, quod iste contractus valeat inter dispares cultu, seu inter fidelem, & infidelem, nec Christus voluit, ut illi annectatur sacramentum; ergo si fieret, non esset sacramentum.

Objic. 1. Nihil deest tali contractui, ut sit sacramentum; ergo &c. Prob. ant. adest consensus mutuus cum debita intentione faciendi, quod faciunt fideles; ergo &c.

Respond. neg. utrumque ant. nam infideles non respiciunt hunc contractum, nisi ut civilem, aut naturalem: nam non agnoscunt contractum sacramentalem, ut fideles; ergo non possunt illum intendere, ut talem.

Objic. 2. Si quid deesset ad sacramentum pro fideli, maximè consensus infidelis; sed hic non deest; ergo nihil deest. Prob. min. nam iste consentit, ut pro parte fidelis fiat, quod fit in Ecclesia, non sibi, sed ipsi fideli; sed iste intendit sacramentum; ergo & infidelis idem intendit.

Resp. neg. 1. min. & 2. maj. vel sic dist. consentit materialiter, & invalidè, con. maj. & neg. min. validè, & debitè, neg. maj. & cons. Nam ad hoc deberet ipse esse capax talis intentionis, & sacramenti, quod non est divisibile.

Inst. Si duorum fidelium unus haberet peccatum mortale, divideretur effectus sacramenti, & ille non reciperet gratiam, ut innocens; sed ita est de valore quoad fidelem cum infideli; ergo similiter contractus esset sacramentum pro fideli, non pro infideli, & sic divideretur effectus, & ipsum sacramentum.

Resp. neg. min. Nam aliud est sacramentum dividi; aliud effectum dividi, istud quotidie accidit non tantum in duobus subjectis, sed etiam in eodem, qui baptizatur, vel ordinatur cum obice peccati, non recipit gratiam, benè verò characterem. Sed ipse baptismus, nec ordo, nec matrimonium sunt indivisibilia.

Inst. 2. Quod contractus valeat ut sacramentum pro uno, & non pro alio conjugum, non dividitur quoad essentiam, sed quoad integritatem materialem; sed divisio quoad integritatem non invalidat sacramentum; ergo &c.

Resp.

Resp. neg. maj. Nam de essentia hujus contractus, & sacramenti est, ut sit inter duos, & pro duobus; ergo non valet pro uno solo.

Quæres, *An inter duos fideles dari possit matrimonium validum in ratione contractus, & non sacramenti.*

Resp. posse. 1. quia nulla est in hoc implicantia. 2. quia de facto contingit in hæreticis Lutheranis, & Calvinistis, qui cùm non agnoscant matrimonium ut sacramentum, sed purè ut contractum civilem, nihil aliud intendunt; ergo nec ad aliud valet. Imò si Catholicus ex malitia, vel errore non intenderet, nisi contractum, non reciperet sacramentum, quia deesset debita intentio ad sacramentum.

Dices ex Scoto, [1] *In quocumque contractu in lege Euangelica concomitatur sacramentum, quia illud signum, quod requiritur ex institutione divina, est sacramentum;* ergo quoties adhibentur necessaria ad valorem contractus matrimonialis, fit sacramentum.

Resp. dist. cons. Si adsit debita intentio ad contractum, & sacramentum, conc. si desit intentio ad sacramentum, neg. cons. Nam Scotus ubique requirit debitam intentionem ad valorem sacramenti, & sæpius dicit matrimonium valere posse ut contractum, sine sacramento, v. g. si non adhiberetur forma debita ex institutione Christi; ideo sequitur, quòd alicubi valet ut contractus, & non ut sacramentum: nec in hoc est implicantia, vel absurditas, quidquid dicant quidam Theologi, etiam Scotistæ.

QUÆSTIO IV.

De materia, & forma matrimonii.

IN aliis sacramentis vidimus ea constare quibusdam rebus pro materia, & verbis, tamquam forma, idem dicendum esset de isto, sed quid illa sint, non convenit inter Theologos.

Certum est autem hæc sensibilia concurrere in matrimonio. 1. personas, seu sponsos. 2. actus, quibus se sibi mutuò tradunt, qui sunt consensus interni externè significati per verba, vel nutus sensibiles. Hinc quæ-

[1] *d.26.*

quæritur, quid ex his habeat locum materiæ, & formæ, & in hoc variè loquuntur Theologi. Quid verius videatur, accipe.

CONCLUSIO I.

Materia remota sacramenti hujus sunt corpora sponsorum, & proxima est eorum ad invicem traditio. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui dicit, *Circa materiam habilem, vel inhabilem aliquid immutat* (Ecclesia) *sed non circa illud, quod est essentiale contractui matrimonii, præsupposita materia idonea. Sed illa mutatio facta est circa personas aliquas, quæ aliàs essent legitimæ ad contrahendum, & eas Ecclesia illegitimat:* ergo censet personas contrahentium esse materiam remotam hujus sacramenti.

Prob. 2. Materia remota contractus est res, de cujus traditione agitur, & proxima est ratio, sub qua in tractatum cadit; sed matrimonium est verus tractatus, in quo agitur de corporibus sponsorum tradendis sibi ad invicem; ergo materia remota ejus sunt corpora, & traditio eorumdem est proxima. Prob. min. ex allata definitione matrimonii: nam dicitur, *legitima traditio corporum*, &c. & hunc traditionis contractum Christus evexit ad statum sacramenti; ergo, &c.

Probat. 3. Nihil enim congruentius assignari potest pro materia hujus sacramenti, quàm illa corpora, ut tradenda, vel tradita, ut patebit solutione objectionum, quibus prætenditur alia assignari; ergo &c.

Confir. Illud habet rationem materiæ in sacramento, quod se habet ut subjectum, & ut determinabile physicum, & sensibile ad significatum, seu ad rem sacramenti; sed nihil est in sacramento, quod sit magis determinabile, & sensibile physicum ad significandum effectum ejus, quàm corpora sponsorum, ut tradenda; ergo illa corpora, ut tradenda, sunt materia remota, & proxima ejus.

Objic. 1. Causa efficiens sacramenti non potest esse causa materialis ejusdem; sed sponsi sunt causæ efficientes matrimonii; ergo &c. Patet maj. Nam idem non

[1] *d. 26. S. 20.*

non potest agere, nec causare seipsum, & causæ materialis, & efficiens distinguuntur. Prob. min. ex dicendis de causa efficiente.

Resp. dist. maj. Non potest sub eodem respectu, con. sub diverso respectu, neg. maj. & min. & antec. Nam contrarium patet experientia tam de actibus immanentibus, quos intellectus, & voluntas producunt in se ipsis, quàm de transeuntibus, ut cùm homo tradit seipsum servituti, aut se ab ea redimit.

Objic. 2. Illud est materia matrimonii, in quo fundatur ratio sacramenti, & quod ad eam elevatur; sed ratio, & elevatio fundantur in contractu, non in corporibus conjugum; ergo &c.

Resp. dist. min. Fundatur in contractu formaliter, & proximè, con. materialiter, & remotè, neg. min. nam contractus omnis est de aliqua re, quæ est materia remota, in qua fundatur ipsa tractatio, & traditio, quæ est materia proxima, & ratio fundandi sacramenti.

Objic. 3. Materia, & forma sacramentorum sunt determinatæ à Christo, nec Ecclesia potest quidquam circa illa immutare, quia sunt de essentia eorum; sed Ecclesia mutavit plura circa corpora, & personas sponsorum, ut cùm inhabilitavit sacerdotes, & monachos, & affines, &c. ergo &c.

Respond. dist. maj. & min. Sunt determinatæ à Deo quoad substantiam, & in genere, con. maj. sunt determinatæ in specie atoma, & quoad accidentia, neg. maj. & min. Nam quoad substantiam, & in genere nihil mutavit Ecclesia, sed tantùm in specie, & quoad accidentia. Deus pro materia instituit corpora maris, & fœminæ, ut tradenda mutuò per contractum legitimum juxta leges civiles, & canonicas, & quoad hoc nihil mutavit Ecclesia, sed tantum circa conditiones contractus humani, & personas habiles ad contrahendum, defectu quarum conditionum non sunt materia apta ad sacramentum, & hoc, quia Christus ipse hanc facultatem Ecclesiæ reliquit.

CON-

CONCLUSIO II.

Forma hujus sacramenti sunt verba, seu signa externa, quibus sponsi consensum suum internum ad invicem manifestant de illa traditione mutua corporum.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Forma est aliquod signum sensibile institutum à Deo ad significandam efficaciter gratiam tunc collatam*, sc. signum, *ex impositione humana, ut sit signum sufficiens ad contractum*. Quæ forma *est una unitate integritatis; non unitate indivisibilitatis, verba enim hinc inde expressiva consensus sunt unum signum integrum respectu contractus, et respectu gratiæ*, ergo ex Scoto forma consistit in verbis, aut signis, quibus sponsi significant consensum in illam traditionem mutuam corporum suorum.

Prob. 2. ex Concil. Florent. [2] dicente, quòd in sacramentis res habent locum materiæ, & verba formæ; ergo verba, aut nutus contrahentium, quibus significant consensum suum in illam traditionem reciprocam, habent rationem formæ in isto.

Confir. In sacramentis illa habent rationem formę, quibus res, & actus ministrorum determinantur ad significandos effectus eorum, sed verba illa, seu signa id præstant in hoc sacramento, sc. gratiam sanctificantem, & auxilia necessaria ad vitam conjugalem servandam, & onera ejus ferenda: ergo &c.

Dixi, *seu nutus, seu signa verbis æquivalentia*, &c. Nam surdi, & muti, qui non possunt audire, & loqui per verba formalia, possunt tamen nubere. Ut patet in SS. Canonibus cap. [3] *Cum apud*; & cap. *Tuæ fraternitati*. Ubi decernitur de muto, & surdo, *quòd si talis velit contrahere, sibi non potest, vel debet denegari; cùm, quod verbis non potest, signis valeat declarare*. Imò, si fœmina ex pudore non audeat, vel non possit verbis exprimere consensum, sufficit, ut nutibus, v. g. capitis inclinatione, vel scripto, aut alio signo declaret, & talis est praxis Ecclesiæ.

Objicies. Forma sacramenti debet esse à Christo determinata: sed quoad verba, aut signa ista nihil habemus determinatum: ergo non sunt forma in isto. prob.

[1] *ibid. K. L. 5. et 14.* [2] *decr. Eug.*
[3] *de spon.*

prob. min. nam hæc traditio, & consensus modò fit per ista, modò per alia verba, & signa; ergo &c.

Resp. ut supra, determinata in genere, aut specie: con. maj. in specie atoma: neg. maj. & cons. Nam sufficit determinatio, quoad substantiam, & in genere, quo significent sensibiliter effectum insensibilem sacramenti; quod faciunt verba, & signa varia.

Inst. ex Concilio Florent. cit. Sacramenta constant verbis tamquam forma; & de istis dicit, quod causa efficiens est consensus *per verba de præsenti expressus*; ergo verba, & non nutus, sunt de essentia formæ matrimonii.

Resp. 1. dist. 1. ant. & 2. cons. Omnia regulariter, & quando alia signa, quàm verba, non exprimunt sufficienter effectum illorum: con. singula, & quando non possunt adesse verba, sed alia signa æquivalenter significant effectum: neg. ant. & cons. Nam sicut in contractibus humanis nutus, & signa supplent defectus verborum, ut in mutis, & surdis, ita ad valorem contractus matrimonialis signa supplent verba.

Amplior resolutio hujus quæstionis pendet ex sequenti; nam qui tenent sacerdotem esse ministrum hujus sacramenti, facilè possunt dicere formam ejus esse verba, quæ iste profert super sponsos audito eorum consensu; v. g. *Ego vos conjungo*, &c. Nos verò in hac conclusione supposuimus cum sententia communiori, conjuges ipsos esse ministros ejusdem sacramenti, quod suscipiunt.

Quæres, *An in utroque conjuge matrimonium sit unum sacramentum.*

Resp. Esse unum unitate essentiali, & integrali: non autem unitate indivisibili. Ratio est, quia omnis contractus essentialiter constat pluribus, & est saltem inter duos; & constat actibus duorum, uno promittente, alio acceptante, vel ambobus reciprocè promittentibus, & acceptantibus, & tamen dicitur unus. Sic in matrimonio, ambo sponsi tradunt sibi ad invicem corpora sua, & ambo acceptant eadem ad invicem in ordine ad generãdum prolem, &c. ex illis mutuis actibus resultat unus contractus, & unum sacramentum integrum ex duabus partibus contrahentibus, in quibus operatur suum effectum. Nec in hoc apparet dubitandi ratio.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De Ministro Sacramenti Matrimonii.

CErtum est, quod olim, & ante Concilii Trid. [1] sessionem 24. Matrimonium sæpè celebrabatur inter solos sponsos sine interventu sacerdotis, & Concilium definit illa matrimonia fuisse valida. *Dubitandum non est clandestina* matrimonia libero *contrahentium consensu facta, rata*, &c. *vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia irrita illa non fecit*. Sed nunc illa declarat irrita, ideo necessaria est præsentia parochi cum duobus testibus, ut valeant. Ideo quæritur, an ille Sacerdos sit verus minister hujus sacramenti, an verò sponsi ipsi sint sibi ad invicem ministri.

CONCLUSIO.

PRobabilius est sacerdotem non esse verè, & propriè ministrum sacramenti matrimonii, sed ipsos sponsos.* Est communis.

Probatur 1. ex Scoto. [2] *De Ministro aliud est dubium. Quia ut plurimùm ipsi contrahentes ministrant sibi ipsis hoc sacramentum, vel mutuò, vel uterque sibi. Sed nec id requiritur necessariò, si in omni contractu est sacramentum; quia aliquando patres contrahunt pro filiis, & filiabus præsentibus, eis non exprimentibus signa propria.*

Probatur 2. ex Concil. nam Florent. [3] docet, quòd *causa efficiens* (septimi hujus sacramenti) *est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*. Sed minister, & causa efficiens sacramenti sunt idem; ergo &c. Et Tridentinum docet *clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta rata, & vera esse*. Sed in his non aderat sacerdos, sed soli duo sponsi; ergo ille non est verus minister matrimonii, sed soli sponsi: nam sacramentum non valet sine proprio ministro.

Dices, hæc Concilia loqui de matrimonio, ut contractu, non ut sacramento.

[1] *Sess.24.c.1.* [2] *ibid.M.15.*
[3] *Dec.Eug ibid.*

Contra Concil. Florent. loquitur de matrimonio, quod dixerat esse unum ex 7. sacramentis, & de illo sub illa ratione ibi agebatur. Idem est de Tridentino: nam loquitur de matrimonio, quod docet *inter novæ legis sacramenta annumerandum*. Et quod deinceps decernit, *Fore irritum, et nullum*. Sed ubique loquitur de matrimonio, ut sacramento. Item ministerium parochi limitat ad benedicendos sponsos. *Viro, et muliere interrogatis, et eorum mutuo consensu intellecto dicat, ego vos in matrimonium conjungo* &c. *Et hortatur, ut conjuges ante benedictionem sacerdotalem, in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent, statuitque benedictionem à proprio parocho fieri*, &c. Nomine autem benedictionis, nullibi significatur collatio sacramenti.

Dices, Concilium, per *benedicere* idem intelligit, ac *conjungere*: Dicens, *nemini licere alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere*; ergo &c.

Contra, quia tam dici potest, quod *conjungere* non plus significat, quam benedicere. Si benedictio, de mente Concilii significaret conjungere sacramentaliter; non prohiberet *benedicere* in secundis nuptiis; quia in istis tam requiritur præsentia parochi, & non minus sunt sacramentum, quam primæ; ergo illa benedictio non est sacramentum.

Confir. 2. ex Rituali Rom. [1] dicente, quod meminerint parochi *à Dominica 1. Adventus usque ad diem Epiphaniæ... prohibentur nuptias benedicere. Matrimonium autem omni tempore contrahi potest*; ergo illa benedictio non est nisi quædam solemnitas matrimonii, non autem de ejus essentia; ergo nec sacramentum.

Probatur 3. Nam Christus per institutionem matrimonii in sacramentum nihil immutavit de ratione contractus, & ipsum sacramentum est essentialiter contractus: sed in omni contractu contrahentes sunt ministri; ergo & ibi.

Confir. Nam si defectu sacerdotis matrimonia non essent sacramentum, Concilium non diceret solemnitates præcipi *ob gravia peccata, quæ ex clandestinis conjugiis ortum haberent*, sed dixisset, ea non fuisse sacramenta defectu ministri legitimi, nempe, sacerdotis,

[1] *de Mat.*

tis, & hoc motivum fuisset fortius, quàm illa inconvenientia. Imò docet ea fuisse valida, etiam ut sacramenta.

Probatur 4. Nam matrimonium contrahi potest per procuratorem, imò & per epistolas, & tunc est verum sacramentum: nec adest sacerdos, sed soli contrahentes per procuratores; ergo sacerdos non est verus minister.

Prob. denique, quia si sponsi contraherent præsente parocho, & testibus, ipso non benedicente, sed potiùs contradicente, plures Theologi tenent valere matrimonium: sed tunc sacerdos non se haberet, ut minister, sed ut merus testis; ergo sacerdos non est minister necessarius sacramenti hujus. Scio modum hunc contrahendi prohiberi, & meritò, & sub censuris: sed non video id prohiberi cum clausulis irritantibus.

Objic. 1. ex Concilio Carthagin. IV. [1] *Sponsus, et sponsa cùm benedicendi sunt à Sacerdote, à parentibus suis, vel paranymphis offerantur: qui autem benedictionem acceperint, eadem nocte, pro reverentia benedictionis, in virginitate permaneant.* Eadem benedictio præcipitur in Tridentino cit. *parochus mutuo consensu intellecto dicat, ego vos conjungo*, &c. Coloniense docet *Accedente sacerdotali precatione dari donum Spiritus S.* scilicet gratiam sacramentalem.... Et in Enchiridio dicit, *Sacerdotes legitimos hujus sacramenti ministros esse*. Et Cameracense, *admonendos esse fideles, diximus parochos sacramenti ministros..* .. Et Mediolan. [2] *Cum sacramenta quinque tantum, scilicet Baptismum, Eucharistiam, pœnitentiam, matrimonium, et extremam unctionem parochus administrare possit*; ergo sacerdos, & non sponsi est solus minister matrimonii.

Respond. neg. conf. Nec enim rectè infertur ex illis textibus, nec ea est mens Conciliorum, 1. reverentia illa suadetur propter sacramentum, quod comitatur illa benedictio: alioqui non deberent benedici thalami propter irreverentiam, quæ inferretur illis benedictionibus. 2. patet ex dictis, quod per illam benedictionem Tridentinum non intelligit collatio-

 nem

[1] *can.13.*
[2] *c.11.p.4.§.2.*

nem sacramenti. 3. Concil. Colon. nobis potiùs favet, nam precatio illa non facit, sed supponit matrimonium, quod optat benedici. 4. Enchiridion loquitur de ministro impropriè, non strictè. Et Cameracense. Et 5. Mediolanense; sicut sacerdos, vel Diaconus porrigens Eucharistiam, dicitur *minister*, & omnes, qui assistunt Sacerdoti consecranti, seu celebranti dicuntur *ministri*. Igitur ministerium sacerdotis in matrimonio importat puram solemnitatem ejus in facie Ecclesiæ, quæ ex decreto Concilii est conditio necessaria, ut valeat sacramentum. Quidquid dicant adversarii.[1]

Inst. 1. ex Concil. Trid. & Ritualibus; sacerdos intellecto consensu sponsorum jubetur dicere super illos; *Ego vos conjungo*, &c. sed hæc verba significant efficientiam, seu causam ministerialem vinculi; ergo ex conciliis, & Ritualibus sacerdos est verus minister. Prob. min. eodem sensu, & modo dicit, *ego vos conjungo*; quo dicit, *ego te baptizo*. Sed hæc verba significant efficientiam ministerialem in Baptismo; ergo & in matrimonio.

Resp. neg. 1. min. & 2. min. Et differentiæ ratio petitur ex ipso Concilio docente matrimonia olim valuisse sine illis verbis, non autem baptismum; ergo valde alio sensu loquitur sacerdos in baptismo, quam in matrimonio.

Inst. 2. Si verba illa nihil aliud significarent, nec operarentur conjunctionem conjugalem, non posset probari contra hæreticos matrimonium esse sacramentum: sed conf. est inconveniens; ergo &c. prob. maj. Non posset assignari materia, & forma veri sacramenti; ergo &c.

Resp. neg. maj. & ant. Nam qui credunt Concilio Tridentino, probant matrimonia clandestina ante illud celebrata fuisse vera, & rata; & tamen non erat ibi sacerdos, nec ejus præsentia putabatur necessaria, & non deerat materia, & forma veri sacramenti, qualem nos assignamus.

Objicies 2. ex Concil. Florent. sacramenta omnia constant rebus, & verbis, sed nisi verba sacerdotis sint necessaria matrimonio, non possunt assignari alia, quæ habeant rationem formæ; ergo &c.

Resp.

[1] *Juenin. p.* 1058.

Resp. neg. min. Nam verba formalia, aut virtualia conjugum, quibus significant suum consensum, sunt verba, & forma hujus sacramenti, ut olim ante decretum necessitatis præsentiæ Parochi.

Objic. 3. Conjuges sunt suscipientes; ergo non possunt esse efficientes illud, nec ministri. Prob. cons. in omnibus talis suscipiens, & minister distinguuntur; ergo &c.

Resp. neg. 1. ant. & 2. cons. Sacerdos est simul minister subjectum Eucharistiæ.

Inst. Fœminæ non possunt ministrare Sacramenta; ergo nec matrimonium suum. Prob. ant. ex cap. *Tribus gradibus* dicitur, *commissa Sacramenta Presbytero, Diacono, et ministro*; ergo &c.

Resp. neg. ant. & 2. cons. Nam iste canon loquitur de Sacramentis consecratoriis, & maximè de Eucharistiæ consecratione, dispensatione, & custodia, ut legenti patet.

Inst. 2. Si conjuges essent ministri, peccarent mortaliter duplici peccato, si contraherent in statu peccati mortalis, nam susciperent, & ministrarent in peccato, & duplicem facerent irreverentiam sacramento, sed cons. est falsum; ergo &c.

Resp. neg. min. Quod esset in hoc durum, aut inconveniens; nam sanctè tractanda sancta. Imò Concilia hortantur, ut, *antequam contrahant, confiteantur, aut saltem triduo ante consummationem*. Et ea die abstineant à copula, quæ de se non est peccatum; ergo exigunt statum gratiæ.

QUÆSTIO VI.

An hoc Sacramentum valeat inter absentes.

QUæritur, an valeat Matrimonii Sacramentum, si fiat per procuratorem, aut per epistolas, aut per parentes, & quidem in ratione Sacramenti; nam certum est, quod de ratione contractus non est necesse, ut partes contrahentes sint præsentes, modò procuratores habeant mandatum authenticum, & non excedant.

CONCLUSIO.

MAtrimonium inter absentes, per procuratorem, aut nuntium, aut epistolam valet in ratione contractus, et sacramenti. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] ,, Concedo, quod ad contra-
,, ctum sufficit parentes contrahere pro filiis: & suf-
,, ficeret sine quibuscumque verbis contractus per
,, litteras; si quidem in aliis contractibus emptio-
,, nis, & venditionis firmior contractus habetur in
,, litteris, quàm verbis nudis: ita autem in istis signis
,, salvetur ratio sacramenti. Dixerat supra. Si ergo ibi
,, est sacramentum, oportet dicere, quòd minister
,, hujus sacramenti potest indifferenter, quicumque
,, potest esse minister in contractu matrimonii. Sed contractus potest fieri inter absentes, per procuratores, & epistolas, &c. ergo &c.

Prob. 2. ex cap. ,, procurator: ubi dicitur, quòd pro-
,, curator non aliter censetur idoneus ad matrimo-
,, nium contrahendum, quàm si ad hoc mandatum
,, habeat speciale, &c. ergo si procurator habeat mandatum speciale, potest contrahere. Et cap. ,, Ho-
,, noratur ex S. Ambros. Consulitur puella, non de
,, sponsalibus..(non est enim virginalis pudoris elige-
,, re maritum) sed jam desponsata viro, de profe-
,, ctionis consulitur die (loquitur de Rebecca) ergo contrahitur per procuratores, aut parentes.

Confir. ex Script. [2] Nam Rebecca nupsit Isaaco per Eliexer servum Abrahæ missum in Mesopotamiam. Ubi vocata illa coram patre, & nuntio, & proposito sibi matrimonio cum Isaac, ipsa consensit, & contractus valuit; ergo &c.

Prob. 3. Nam alii contractus valent per procuratores; ergo & iste. Prob. conf. nam ut contractus nihil habet speciale præter materiam; ergo &c. prob. conf. si quid obstaret in isto, maximè defectus præsentiæ parochi statutæ per Trident. Sed per hoc nihil innovatum est, quod invalidet contractum; ergo &c. prob. min. Concilium nihil novi exigit, nisi ut contrahatur coram parocho, & testibus; sed hoc fieri potest in contractu per procuratores, & nuntios. Quod enim

[1] *d.27.q.2.B.3.* [2] *Gen.24.*

enim impedit illos ibi adesse, & per istos vocati æquè, ac si per se ipsos contraherent sponsi; ergo &c.

Confir. ex jure civili: nam l. *Sufficit*, & l. fin. de sponsal. definitur inter absentes æquè, ac inter præsentes matrimonium contrahi posse, positis ponendis, scilicet conditionibus bonæ procurationis, aut delegationis.

Prob. 2. p. 1. quia in tali contractu adsunt omnia requisita ad sacramentum, scilicet materia, & forma idonea, & ministri, scilicet contrahentes adsunt per nuntios, vel procuratores, adest consensus per verba, aut signa expressus, adsunt parochus, testes, prout exigit Ecclesia; ergo &c.

Confir. nam ante Concilium matrimonia sic contracta erant verè sacramenta; ergo & nunc, modò adsint solemnitates, quas præscribit. Prob. ant. ex traditione, & praxi, maximè inter principes; imò & ipsum Concilium innuit solita matrimonia sine illis solemnitatibus fuisse vera sacramenta.

Confir. 2. nam si talia non valerent, nunc Concilium non obmisisset id docere, quia ex professo reformabat, & statuebat omnia necessaria ad hoc sacramentum; sed nihil quoad hoc statuit; ergo &c.

Objic. 1. Alia sacramenta non dantur absentibus per procuratores, aut alios, ut diximus de singulis; ergo idem est de isto, quia in hoc est ejusdem rationis.

Resp. neg. conf. & disparitas est, quia validitas istius fundatur in validitate contractus, ad quam non requiritur præsentia personalis contrahentium, modò constet de consensu: non ita est de aliis.

Inst. Procurator, vel nuntius, vel epistola, non potest dicere coram parocho, *Ego te accipio in meam*, &c. nec parochus, *Ego vos conjungo*; sed sine his formis non valet sacramentum; ergo &c. Prob. min. ex Concil. Trid. cit.

Resp. dist. maj. & min. Non possunt dicere formalibus verbis, & materialiter, conc. maj. & neg. min. æquivalenter, neg. maj. & conf. sufficit, ut exprimantur consensus sponsorum de præsenti per procuratores: unus potest dicere Petro, *Accipio te in meum nomine Jacobæ*; & alter, *Accipio te in meam nomine Petri*, &c. Et parochus, *Ego vos conjungo in Petro, et Jacoba, pro quibus agitis.*

Objic.2. Si valeret sacramentum pro absente, causaret in eo gratiam, etiam ipso dormiente, & procurator peccaret pro ipso, scilicet si Petrus dormiret, vel esset in peccato, dum pro illo contrahit; sed hæc sunt absurda; ergo &c.

Resp. dist. min. Sunt absurda ex culpa sponsorum, conc. invalidantia sacramentum, neg. min. nam quod sponsi sint in peccato, aut dormiant, cùm procuratores pro ipsis contrahunt, illorum culpa est, & incongruitas, sed non ideo invalidus est contractus, nec sacramentum, sicut si quis post petitum baptisma, vel absolutionem cadat in lethargiam, non invalida sunt illa sacramenta, si dentur illis. Et si per se conjuges contraherent in peccato, non reciperent gratiam, sed sacramentum valeret; ergo ita est de absentibus.

Inst. Non valet confessio, nec absolutio absentium; ergo nec matrimonium. Ant. patet ex dictis de pœnitentia. Prob. conf. Eadem ratio est de utroque; ergo &c.

Resp. neg. 1. conf. & 2 ant. Nam confessio, & absolutio sacramentalis exigunt dispositiones pœnitentis, quæ debent esse præsentes Sacerdoti, cùm absolvit, scilicet verecundia, & contritio, & propositum non peccandi, quæ oriri debent ex corde, & quæ vix præsentia possunt esse in absente, cùm profertur absolutio, epistola, aut procurator non erubescit, ideò Ecclesia strictè prohibet eam praxim. Hæc autem non urget in matrimonio, quod non exigit, nisi consensum realem, de quo sufficienter constat per procuratorem cum mandato speciali.

Inst. 2. Fieri potest, ut dum legitur epistola, vel auditur procurator, sponsus mutet voluntatem, & dissentiat; ergo exponeretur sacramentum nullitati, quia deesset consensus.

Resp. neg. conf. saltem de periculo imputabili, alioqui non posset unquam securè conferri ullum sacramentum, etiam præsentibus, in quibus possent deesse dispositiones internæ, sed tamen prudenter confertur, quia non præsumitur malitia, nec dolus in rebus tanti momenti.

Inst. 3. Ipse procurator posset agere cum intentione interna, & contraria sacramento; ergo etiam ex hoc capite exponeretur sacramentum prophanationi, & nullitati.

Resp.

Respon. neg. conseq. ob eandem rationem, quia scilicet id potest contingere in præsentibus, nec præsumitur dolus, aut malitia in isto magis, quàm in aliis. Deinde procurator significat intentionem mittentis, non suam.

Objic. 3. Non datur actio in distans; ergo sacramentum datum Camberii non potest operari gratiam Romæ; ergo nec vinculum conjugale.

Respon. dist. antec. Actio agentis physicè, conc. agentis moraliter, neg. antec. Contractus celebratus Camberii per legitimum procuratorem ligat Petrum existentem Romæ, Sacramenta autem operantur actione morali.

QUÆSTIO VIII.

De consensu requisito ex parte conjugum.

PEr consensum intelligitur actus voluntatis, quo objectis sibi propositis assentitur simul cum aliqua persona: nam consentire est cum aliquo sentire, & definitur *duorum, vel plurium sensus in idem*, cap. *Quod autem*, 29. quæst. 1. sic, *Assensus contrahentium matrimonium est actus voluntatis eorum, quo in illud mutuò assentiuntur, valentes sibi invicem transferre dominium suorum corporum in ordine ad procreationem prolis, & individuam, ac perpetuam societatem.*

De hoc consensu jam sæpe locuti sumus, & ex dictis constat illum esse efficientem vinculi, quod est ratio formalis matrimonii. Item constat illum præstari posse per procuratorem, nuntium, vel epistolam inter absentes; sed restant pauca dicenda de ejus necessitate, libertate, sensibilitate, synceritate, objecto, &c. quæ hic breviter expediemus.

CONCLUSIO I.

UT *validum sit matrimonium, necessarius est maris, & fœminæ consensus sensibiliter significatus.* Est de fide.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Contractus dicitur, quasi simul*

[1] D. 16. G. 8.

mul tractus duarum voluntatum, & per consequens requirit actus voluntatum concordes in translatione corporum mutua; & infra, [1] *Contractus includit duas partes, scilicet assensum hujus, & illius, & in utroque etiam duos actus*, scilicet interiorem, & exteriorem, significantem illum interiorem; ergo ex Scoto necessarius est cōsensus mutuus ad validitatem matrimonialis contractus.

Prob.2.ex sacris Canonibus, & Conciliis: nam cap. *Quod autem* [2] dicitur, *Consensus utriusque facit matrimonium*. Et cap.*Sufficiat*, Nicolaus I.dicit, *Sufficiat secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur, qui consensus, si in nuptiis solus fortè defuerit, cætera omnia, etiam cum ipso coitu celebrato frustrantur*. Et cap.*Tuæ*, ex Innoc.III. *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri, & mulieris consensum*. Et Concil.Florent. [3] *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*. Et Trident.cit. [4] præcipit, *ut parochus intelligat viri, & feminæ mutuum consensum*, &c. ergo &c.

Prob.3. Omnis contractus fit per consensum liberum, & mutuum contrahentium; sed matrimonium est essentialiter contractus, aut saltem ex illo nascitur illud vinculum, in quo consistit; ergo &c.

Prob.2.p.1.ex iisdem Canonibus,& Conciliis: nam in Florent.dicitur, *mutuus consensus per verba de præsenti expressus*. Et Trident.jubet interrogari virum,& mulierem,ut ex eorum verbis, aut nutibus intelligat eorum consensum; & ita docet Rituale Romanum,sc. *utriusque consensum debere exprimi signo sensibili, sive fiat per se, sive per procuratorem*; ergo consensus debet exprimi sensibiliter.

Prob.2. quia de ratione omnis contractus est, ut fiat per actus humanos,& sensibiles, seu perceptibiles à cōtrahentibus, maximè in ordine ad sacramentum, quod essentialiter est signum sensibile: nec enim homo in hac vita agit, nisi mediantibus sensibus, non autem sicut Angeli per actus purè internos, & spirituales;ergo ita est de consensu in contractu matrimoniali.

Objic.1.cont.1.par. Multa matrimonia habentur ut legi-

[1] *d.27.q.1.2.* [2] *27.q.2.*
[3] *decr.de sponf.* [4] *sess.24.c.1.*

legitima, in quibus non adfuit verus consensus. Item ex Scoto, & Canonibus, filii nubunt solo consensu, non suo, sed parentum, & illi, cùm adoleverint, debent matrimonium sic contractum adimplere, cap. *Tua nos*; [1] ergo non est necessarius consensus conjugum.

Respond. dist.1.par. anteced. Habentur legitima in foro externo, conc. in foro interno, & à parte rei, neg. antec. nam defectu consensus interni, & veri, sunt à parte rei nulla, licèt appareant valida propter consensum externum fictum. Quoad secundam verò part. anteced. neg. conseq. nam filii debent semper consentire propria voluntate, cùm adolescunt. Canon autem ille loquitur non de matrimonio, sed de sponsalibus, & cùm dicitur, quòd *cùm filius pervenerit ad perfectam ætatem; omninò debet hoc implere*, hoc debitum *est honestatis, non necessitatis*, ait Glossa.

Objic 2. Consensus est quid internum, & spirituale, matrimonium verò est quid externum, & sensibile; ergo consensus non est quid essentiale matrimonio.

Resp.dist.conf.Consensus purè internus,& solus per se immediatè, conc. consensus externè expressus, neg. conf.nam de isto loquimur.

Objic.1.con.2.par. Significatio externa consensus est incerta, potest esse ficta; ergo non facit ad sacramentum, quia esset incertum.

Resp.neg.conf. & dist.prob. Incertum physicè, conc. moraliter, neg. alioqui nullum unquam posset adhiberi sacramentum, quia subesse potest falsitas ex parte ministri, aut suscipientis. *Sufficit illa certitudo, quæ haberi solet in actibus humanis, & contractibus*, ait Doctor: nam *quilibet præsumitur verax, de quo non habetur signum oppositi*.

Objic.2. Innoc.III. dicit, [2] quod *necessaria sunt verba consensum exprimentia de præsenti*; sed *quantum ad Ecclesiam*; ergo expressio externa consensus non est de necessitate sacramenti, sed tantùm præcepti Ecclesiæ.

Resp. neg. conf. nam quod debeat exprimi propter Ecclesiam, quæ non judicat de occultis, non excludit necessitatem sacramenti, sed venit ex natura ejus, quod est

[1] *de spons. imp.* [2] *d.28.q.2.*

est essentialiter sensibile; & contractus humani debent fieri humano modo, ita ut contrahentes agnoscant suas intentiones ad invicem, &c.

Dixi, *sensibiliter, et externè significatus consensus*: nam licèt regulariter fiat per verba inter præsentes, aut per procuratores, quantum fieri potest, tamen si contrahitur inter absentes, aut cum mutis, aut surdis, qui verba non proferunt, vel non audiunt, vel idiomata non intelligunt, sufficiunt nutus, aut alia signa, per quæ Sacerdos, testes, & sponsi intelligant consensum mutuum. Valet etiam scriptura, maximè inter absentes.

CONCLUSIO II.

A*bsolutè loquendo solus contrahentium consensus sufficit ad valorem hujus sacramenti*. Est communis.

Prob.1.ex Scoto, [1] qui quidem dicit, *sufficere parentes contrahere pro filiis*; sed nunquam requirit consensum parentum, aut aliorum, quando ipsi sunt capaces consensus validi. Et supra dixerat, [2] quod *expedit illos obligari per proprias voluntates.*

Prob.2.ex Canonibus,& Conciliis cit.nam cap. *Sufficiat*, Nicol.I. *Sufficit secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur*. Et Florent. nihil aliud requirit, quàm *mutuum consensum viri, et mulieris*. Et Concil.Turon.II.& Moguntin. IV. id docent quoad validitatem. Et Trident. *Sancta Synodus anathemate damnat eos, qui falsò affirmant matrimonium contractum à filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, et parentes ea rata, et irrita facere posse.*

Prob.3. quia nec Christus, nec Ecclesia ex parte Christi alium consensum ad valorem hujus sacramenti requirunt ex parte contrahentium; ergo &c.

Dico, *absolutè, et ad valorem sacramenti*: nam ad licitè contrahendum in filiis familias requiritur consensus parentum, ut colligitur ex Decreto Urbani I. & aliis Canonibus exigentibus illum consensum. Imò & legibus civilibus dicitur, quod *nuptiæ constare non*

[1] *d.27.q.2.B.3.*
[2] *d.26.G.8.*

non possunt, nisi consentiant omnes, qui coeunt, et quorumcumque sunt in potestate.

Favent congruentiæ. 1. quia parentes sunt sapientiores, & præcisa omni passionis præventione, ac præcipitatione, personas convenientiores eligunt. 2. sunt amantiores, ut eis provideant, quæ utiliora sunt. 3. id exigit jus naturæ, ut filii sint subditi parentibus, maximè in iis, quæ respiciunt bonum familiæ. 4. leges, quæ permittunt parentibus exhæredare filios, qui illis invitis nubunt, l. *Non tantum*, in quo tamen corriguntur per leges Canonicas, ut dicebamus ex Concil. Trid. cit.

Ex his autem patet, quòd pater, vel mater non potest validè contrahere matrimonium pro filiis sine aliquo istorum consensu, saltem implicito, & virtuali, ita ut parentes non sint, nisi velut organum, vel procuratores filiorum, quorum illi exprimunt cõsensum: nam cap. *Tua Sanctitas*, & c. 1. de sponsal. impub. dicitur, *Patres nulla modo posse pro filio facere matrimonium, si filius aliquo modo non consentit.*

Ut autem censeatur filius consentire, sufficit, si præsens non contradicit: nam inquit Glossa ibi, *Tua fraternitas nos requisivit de filio adulto, quem pater vult contrahere, si sine voluntate facere potest? Ad quod dicimus, si aliquo modo non consentit filius, fieri non posse.* Et Glossa dicit, *Tacens habetur pro consentiente.*

2. Colligis, quod parentes non possunt consentire pro filiis incapacibus doli, sive sint præsentes, sive absentes, quia tunc nullus adest consensus viri, & uxoris, nequidem implicitus, aut virtualis.

CONCLUSIO III.

Consensus in matrimonium suppleri non potest per ullam potestatem creatam, benè verò per Divinam de potentia absoluta. Est communior.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui dicit, quod *in casu matrimonii dictum Apostoli: Filii obedite parentibus vestris, non intelligitur quoad istud, quia in isto filius non tenetur obedire patri;* sed nulla est major potestas creata super hominem, quàm paterna; ergo si pater non

[1] d. 29. H. 12.

non potest cogere filios ad consentiendum matrimonio, nec supplere illorum consensum, multò minus aliæ potestates.

Prob.2. ex Canonibus, & Conciliis cit. nam exigunt consensum proprium viri, & fœminæ, seu contrahentium, non autem alterius potestatis, & hoc est essentiale huic contractui, sed si fiat jussu, vel voluntate parentum, aut superiorum, non erit consensus sponsorum.

Confir. ex Glossa in cap. *Tua fraternitas* cit. dicentis, *filium, cùm adoleverit, debere implere factum, seu promissum patris*, scilicet *debito honestatis, non necessitatis*; ergo non censet consensum parentum sufficere, si contrahentes filii non consentiant propria voluntate aliquo modo.

Prob.3. nam iste contractus consistit in traditione mutua corporum; ergo ab illis solis fieri potest, qui sunt Domini corporum sponsorum, hoc enim est de essentia donationis, ut donans sit dominus rei donatæ; sed nulla potestas creata, præter sponsos ipsos, habet dominium in eorum corpora; ergo nulla potestas creata potest de illis donandis contrahere, aut supplere consensum illorum.

Prob. denique. Si ulla potestas posset supplere talem consensum, maximè quia Princeps, aut Resp. id faceret pro bono publico, quia in tali casu habet potestatem in res, & in corpora civium, quatenus expedit pro illo bono; sed non expedit bono publico, ut vir, & fœmina conjungantur per alienam voluntatem contra suam propriam; ergo &c. Probat. min. tum quia ordinariè contractuum illorum exitus sunt infelices, tum quia id fieret contra voluntatem Dei, qui instituit matrimonium tam in ratione sacramenti, quàm contractus, ut liberum contrahentibus. 3. quia hic contractus ex natura fundatur in amore mutuo conjugum, sine quo non conjunguntur corporaliter ad prolificandum. 4. quia sic videretur violari jus ipsum naturæ, quod quisque habet in suum corpus, & libertatem.

Prob.2.p. de potestate Divina: nam dominium ejus in corpora, & animas est majus illo, quod quivis homo prætendere potest in corpus, & animam suam propriã; ergo Deus conjugũ corpora melius donare potest illis

illis adinvicem, quam ipsimet. Unde strictiori, & altiori jure, & vinculo tales ligarentur, quam qui propria voluntate contrahunt.

Confirm. ex Concilio Florentino, quatenus dicit consensum conjugum esse causam efficientem matrimonii; sed Deus de potentia absoluta potest efficere, quidquid efficere possunt creaturæ; ergo per se potest efficere matrimonium inter virum, & fœminam.

Objic. 1. con. 1. p. Princeps ob bonum publicum potest disponere, etiam de vita subditorum; ergo & de illorum corporibus in ordine ad matrimonium, & usum ejus.

Resp. dist. conf. Disponere mediante illorum consensu, con. sine ullo eorum consensu, neg. conf. poterit quidem princeps præcipere sub pœnam vitæ, ut contrahant, si hoc expediat bono publico, & isti debebunt obedire, & nubere, sed sine istorum consensu non valebit contractus.

Inst. 1. Princeps cogere potest ad alios contractus, v. g. ad venditionem, aut cessionem domus, aut agri; ergo & ad istum.

Resp. 1. neg. ant. Nam de ratione contractus est, ut fiat ex propria voluntate contrahentium: potest præcipere, ut vendant, sed non potest vendere validè pro ipsis, nisi velint: potest per se disponere de bonis illorum, sed hoc non erit contractus eorum.

Resp. 2. neg. conf. Nam essentiale est huic contractui, præ cæteris, & ejus fini, ut sese mutuo ament conjuges, ac mutua charitate, & obsequiis complectantur ad filios procreandos, & educandos, quod non facient, si nubant nolentes.

Objic. 2. Papa in casu necessitatis potest cogere ad Episcopatum. Sed tunc fieret matrimonium spirituale inter hominem, & Ecclesiam; ergo ita esset in matrimonio corporali.

Resp. ut supra neg. maj. Nam Papa juberet quidem homini, ut velit episcopatum, & hic deberet velle; sed si nollet Ecclesiam, ut sponsam, non esset verè sponsus ejus.

Objic. 3. ex Concil. Florent. *Consensus contrahentium est regulariter causa efficiens matrimonii*; ergo de potentia absoluta sufficiet consensus superiorum, v. g. principis.

Resp.

Resp. neg. ant. Nam Florentinum dicit, quod *ille consensus regulariter debet esse expressus per verba de præsenti*; ideo ly *Regulariter*, cadit non in substantiam consensus, sed in modum illum manifestandi.

Objic.4. Ecclesia decernit matrimonium tenere in iis, qui sponsalia contraxerunt, si sequatur copula, & inter illos, qui contraxerunt sub conditione impossibili; sed neutri verè consentiunt: ergo Ecclesia in utrisque supplet consensum.

Resp. dist. min. Neutri consentiunt explicitè, & formaliter, con. implicitè, & virtualiter, & quoad forum Ecclesiæ, neg. min. nam copula post sponsalia, quæ sunt pro futuro, facit matrimonium, & æquivalet contractui per verba de præsenti, vel coguntur in pœnam consentire. Idem est de conditione impossibili: nam ex judicio Ecclesiæ talis conditio habetur pro non posita, & talis censensus æquivalet absoluto.

Idem dicerem de ficto consensu, seu de iis, qui verbo, sed non mente consentiunt, sc. non debent audiri allegantes dissensum internum, sed cogi ad assensum syncerum.

Objic.1. con.2.p. Consensus conjugum est de essentia conjugii; sed, si Deus causaret se solo conjugium, nullus adesset consensus conjugum; ergo nec conjugium.

Resp. neg. maj. Nam in rigore, & de mente Concilii Florent. consensus est causa, non formalis, sed efficiens vinculi conjugalis habitualis, quod cessante consensu actuali permanet. Deus autem supplere potest causam efficientem.

Instab. Vinculum conjugale conjungit animas, & corpora; sed hæc conjunctio consistit formaliter in consensu; ergo consensus est causa formalis vinculi conjugalis.

Resp. dist. min. conjunctio passiva, & habitualis est ipse consensus pariter habitualis, & quasi passivus, con. consensus actualis, & activus, respectu vinculi passivi, & habitualis, neg. min. Nam consensus activus est causa efficiens vinculi passivi, & habitualis, non autem causa formalis.

Objic.2. Vinculum istud est relatio, & denominatio extrinseca resultans ex illo consensu; sed talis relatio pendet essentialiter à fundamento, & illud includit;

dit; ergò & vinculum istud includit formaliter consensum.

Resp. dist. maj. ex illo consensu aliquali, & formaliter, vel æquivalenter, & regulariter, con. formaliter, & absolutè, neg. maj. & dist. pariter min. dependet efficienter, con. formaliter, neg. min. & cons. Nam vinculum habituale inter conjuges resultat, & remanet ex actu, quo sua sibi invicem corpora tradiderunt; & illa traditio est causa ejus, velut efficiens, non autem formalis, & eadem traditio potest fieri à Deo juxta absolutissimum dominium ejus in omnes creaturas.

Objic.3. Deus sine meo consensu non posset facere me Religiosum adstrictum voto; ergo nec potest facere conjuges adstrictos vinculo conjugali, nisi consentiant per se ipsos.

Resp.1. neg. ant. absolutè, vel sic dist. adstrictum voto ex promissione mea, con. ex sua voluntate, & jussu absoluto, neg. ant. Nam Deo per potentiam absolutam jubēte essem religiosus adstrictus legibus Religionis æque, ac si propria voluntate vovissem. Ita est de viro, & muliere quoad leges conjugales: iis enim ligarentur æquè, ac si per se ipsos consensissent in vinculum illud.

Resp.2. neg. cons. Nam de ratione voti est, ut obliget titulo fidelitatis, quæ nascitur ex promissione Religiosi. Unde si Deus se solo me faceret Religiosum, tenerer legibus regulę ex obedientia, sed non ex fidelitate, & voto.

CONCLUSIO IV.

C*Onsensus conjugum debet esse de præsenti traditio reciproca corporum, non autem sufficit consensus de futuro*. Est communissima.

Prob.1. ex Scoto. [1] *Matrimonium est permutatio, & traditio mutua potestatis corporum; sed nullus promittendo tradit illud, quod promittit. Imo est contradictio, quia promissio est de tradendo in futurum. Consensus autem expressus de futuro.... non est, nisi promissio*; ergo in matrimonio debet esse consensus de præsenti.

Prob.2. ex Conciliis, & Canonibus cit. Nam inquit Con-

[1] *d.2.A.2.*

Concil. Florent. [1] *causa efficiens matrimonii est consensus de præsenti expressus*. Et Trid. dicit, *talem debere esse consensum, ut parochus possit dicere, Ego vos conjungo*. Et ita loquitur Gregorius IX. cap. *Si inter*, &c. *Adolescens*, ubi docetur sponsalia de futuro, etiam jurata, posse dissolvi per posteriora de præsenti, sine quibus non consistit matrimonium.

Probat. 3. rationibus Scoti. 1. quia matrimonium consistit in donatione libera corporum inter contrahentes; ergo includit consensum de præsenti, quia consensus de futuro est promissio dandi, non autem datio. 2. quia matrimonium est sacramentum, quod efficienter est à consensu; sed sacramentum operatur de præsenti, & quando fit, & per hoc differt à sponsalibus, quod ista sunt promissiones matrimonii, & per verba de futuro, illud verò consistit in actuali donatione potestatis corporum ad invicem; ergo debet fieri per verba de præsenti. 3. hoc sacramentum datur, & operatur, sicut alia, sed alia conferuntur, & operantur per verba de præsenti: dicitur, *Ego te baptizo*, *Absolvo te*, &c. Et in isto Sacerdos dicit, *Ego vos conjungo*; ergo, &c.

Objic. 1. Matrimonium factum per verba de futuro fit ratum, & validum per copulam carnalem; ergo sufficiunt verba de futuro.

Resp. Quod tempore Scoti fortè concedebantur, aut quia ex copula præsumebatur consensus de præsenti. Sed post Concil. Trid. neg. ant. Quia præter omnem consensum requiritur publicitas, seu præsentia parochi, & testium.

Objic. 2. Ad matrimonium sufficit consensus, ex quo fiat vinculum insolubile inter virum, & fœminam; sed ad hoc sufficit consensus per verba de futuro: nam iste sufficienter ligat ex fidelitate, maximè si addatur juramentum; ergo &c.

Resp. dist. maj. Ex quo fiat vinculum matrimoniale, conc. vinculum fidelitatis, aut religionis, aut aliud, neg. maj. ex verbis de futuro exurgit vinculum promissionis, seu fidelitatis, & religionis, si adsit juramentum, sed non matrimoniale, nec sacramentale, nec tantæ insolubilitatis.

Quæ-

[1] *de spons.*

Quæres, *An isti consensus debeant fieri simul, & eodem tempore.*

Resp. Sufficere simultatem moralem, quia non requiritur major simultas, & coexistentia consensuum in hoc contractu, quàm in aliis: sed in aliis non requiritur simultas physica consensuum, & sufficit moralis, imò physica est vix possibilis, quia necessariò proferunt successivè; ergo &c.

Confir. ex dictis matrimonium valet inter absentes; ergo absens, qui consentit per nuntium, vel epistolam, aut procuratorem consensum emisit, cùm scripsit, vel misit nuntium: ergo & diu consensit, antequam consentiat alter, audito nuntio, aut lecta epistola. Quod etiam patet ex praxi Ecclesiæ.

CONCLUSIO V.

UT *valeat matrimonium, consensus debet esse verus, ita ut non sufficiat externus sine interno.* Est communissima.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Contractus iste includit duas partes, sc. assensum hujus, & illius, & in utroque etiam duos actus, sc. interiorem, & exteriorem, significantem illum interiorem.*

Prob. 2. Cætera sacramenta non valent sine debita intentione ministri, & suscipientis; ergo nec istud; ergo si alter, vel uterque non consentiant internè sine intentione se obligandi, non valebit sacramentum; imò peccabunt mortaliter, & sacrilegè, nec unquam valebit, etiamsi sequatur copula: nam hæc non facit sacramentum sine consensu.

Prob. 3. ex SS. Canonibus, & Conciliis: nam semper requirunt consensum expressum per verba, aut signa de præsenti; sed verba, seu signa de præsenti supponunt actum internum, quem significant, nec de hoc potest dubitari, & consensus fictus non est consensus; ergo &c.

Confir. Nam consensus fictus est purè externus, & imago, & figura interni, sicut homo pictus non est verus homo, sed imago ejus; sed Patres, & Concilia requirunt consensum; ergo consensum verum, & syncerum, sc. internum cum externo.

Objic.

[1] *d.27.q.1.2.*

Objic.1. Si non sufficeret externus, numquam posset validari sacramentum, nisi uterque de novo consentiret in facie Ecclesiæ, posito, quod prima vice ambo, vel unus eorum fictè consensisset; sed hoc esset inconveniens propter scandalum, & propter infamiam, aut alia gravia detrimenta; ergo &c. Probat. maj. nam quando sic contraheretur in facie Ecclesiæ cum tali fictione, nullum esset sacramentum; ergo repetendus esset consensus syncerus cum omnibus conditionibus necessariis ad validum sacramentum.

Resp. cum gravibus Theologis, quos citat Mastrius, [1] probabiliter sufficere; ut qui fictè consenserat, syncerè consentiat, & privatim, quia consensus alterius fuit verus, & durat moraliter, ac præsens est, & quoad publicitatem, seu in facie Ecclesiæ adfuit utrimque consensus externus; ergo nihil deest, nisi ut ipse consentiat internè.

Resp.2. cum aliis, neg. min. Quia cùm sacramentum fuerit nullum, non potest valere, nec operari sine utriusque vero consensu. Vide Casuistas, qui plura in hoc casu suggerunt remedia contra hoc inconveniens.

Inst. Novus ille consensus deberet fieri coram parocho, & testibus; sed hoc fieri non posset sine detrimento famæ, & aliorum bonorum; ergo &c.

Resp. neg. ant. Nam istud matrimonium in facie Ecclesiæ censeretur validum, & sic quoad hunc finem non deberet iterari: sufficeret ergo privatus consensus inter sponsos ad reparandam nullitatem occultam.

CONCLUSIO VI.

C*Onsensus matrimonialis debet esse liber*. Est communissima.

Prob.1. ex Scoto, [2] quia *consensus in matrimonium isto modo coactus non sufficit ad contractum matrimonii .... Quia iste contractus est datio, & licèt non liberalis, quia dat, ut detur, & quidem æquale, est tamen libera datio. Quia contra rationem dationis est, quòd non sit libera. 2. Quia Deus voluit istam translationem dominii in corpora summè liberam, unde non est istud determinatum ab Ecclesia; sed tantum expressum.* Pa-

[1] *d.6.n.86.& a.n.377.* [2] *d.29.D.7.*

Patet enim, quod etiam in lege naturæ istud erat requisitum in contractu matrimonii, &c. ergo consensus in matrimonium debet esse liber.

Prob.2. Nam certum est, quod pueri ante plenum usum rationis, & amentes, furiosi, & ebrii, pro tempore, quo carent illo usu, sunt incapaces hujus contractus, & id definiunt SS. Canones, quia sine hac libertate non esset actus humanus.

Probat.3. de libertate à coactione per metum gravem, & cadentem in virum constantem. Nam, ut dicebamus ex Scoto, Deus in omni lege voluit hunc contractum esse omnino liberum, & hoc requirit finis, & natura ejus. Sed de hoc redibit sermo infra de impedimento coactionis.

Objic.1. Consensus ex metu gravi, & cadente in virum constantem est absolutè, & simpliciter consensus, quia voluntas non potest cogi ad actus elicitos; ergo est absolutè voluntarius; ergo & est liber, & sufficit ad matrimonium.

Resp. dist. ant. Est consensus, & voluntarius secundum quid, con. simpliciter, & sine ulla involuntarietate, neg. ant. & conf. Nam ad valorem matrimonii debet esse omnino liber.

Inst. Qui sic contrahit, consentit tam internè, quàm externè; ergo liberè consentit, nihil enim cogit ad consensum internum.

Resp. dist. ant. Consentit cum aliqua repugnantia, & involuntarietate, con. sine repugnantia, neg. ant. & conf. Nam qui sic consentit, dissentiret, nisi timeret sibi malum imminens, & si posset, non contraheret, ut diximus de mercatore projiciente merces metu naufragii. Adde, quod posset non consentire ullo modo internè.

Inst.2. Alii contractus valent cum tali metu, ut patet de venditione, locatione, emptione, quæ valent factæ ex metu infamiæ, aut gravioris damni, v. gr. ne incarceretur propter debita; ergo & iste valebit ob eandem rationem.

Resp. neg. conf. & rationem ejus: nam alii non sunt indissolubiles, nec adeò ligant, sicut matrimonium, contra quod non datur recursus ad rescissionem: ideo requirit plenam libertatem, quia inducit unionem tam cordium, quàm corporum.

Inst.

Inst. 3. Baptismus ex metu susceptus, & vota religionis sic facta ligant; ergo & matrimonium.

Resp. neg. cons. Quidquid sit de ant. quod de votis non placet: nam tales professiones rescindi solent. De baptismo autem, & pœnitentia aliud est, quia in illis conditio baptizati fit melior, & peccatum, quod ex metu pœnarum cavetur, aut expiatur, est majus malum, quàm omnes pœnæ. Non ita est de matrimonio, quod renitenti est minus malum morte, cujus metus cogit ad contrahendum.

Objic. 2. Malum, quod timetur, & ipse timor, non causat consensum, nisi per quandam inductionem moralem, sicut nec blanditiæ, vel preces; ergo non tollit sufficientem libertatem ad valorem consensus matrimonialis.

Resp. dist. ant. Non causat elicitivè, & simpliciter, conc. secundum quid, neg. ant. Nam licèt consensus eliciatur à voluntate, tamen id facit cum repugnantia tanta, ut si non urgeret ille metus, illa omninò non consentiret, ideò non valet consensus in matrimonio, quod requirit plenam libertatem contrahentium. Aliud est in precibus, & blanditiis, quæ alliciunt voluntatem sine ejus renitentia, sed potiùs cum aliqua delectatione, & complacentia, renitentia verò est levissima.

Inst. Quantuscumque sit metus impellens ad consensum, non est cadens in constantem virum; ergo non tollit libertatem necessariam ad hunc consensum; ergo non invalidat illum. Prob. ant. nullus timor cadens in virum constantem dicitur trahere ad peccatum mortale; sed si aliquis metus causaret nullitatem matrimonii, traheret ad peccatum mortale; ergo &c. prob. min. causaret nullitatem sacramenti; sed hoc est peccatum mortale sacrilegii; ergo &c.

Resp. neg. 1. ant. & utramque min. nam sic consentiens non agit ut minister sacramenti, nec cogitat de peccato, nec fortè de invalidatione sacramenti.

CON-

CONCLUSIO VII.

Consensus contrahentium debet esse absolutus, & rarissimè valet conditionatus, et longè rariùs licet.

Prob. 1. ex Scoto, [1] *contrahentes cum aliqua conditione pugnante alicui bonorum matrimonii, nihil faciunt .... v. g. accipio te in meam, donec occurrat magis placens .. aut, ita ut non tenear tibi servare fidem .. nec ad reddendum, nisi cùm voluero, aut, si procuraveris venenum sterilitatis*, &c. Non omnes conditiones ita repugnant bonis matrimonii, sed tamen omnes invalidant, aut infirmant, ideo semper sunt illicitæ.

Prob. 2. Nam conditiones, quæ apponuntur consensui, sunt de præterito, vel de præsenti, vel de futuro, sed omnes vel invalidant, vel infirmant, vel suspendunt; ergo &c. prob. min. 1. de præteritis, & præsentibus, si extiterint, vel existant, non invalidant quidem, modo id noverint sponsi, sed frustra, & irrisoriæ sunt, & prophanant, ut si dicas, *accipio te in meam, si ex matre fœmina sis nata*, &c. Si verò non existant, nec extiterint, nihil fit: aut si ignorentur existere, saltem conjux ignorans non potest consummare matrimonium, donec id sciat. 2. si de futuris, vel sunt possibiles, & honestæ, vel impossibiles, aut turpes. Si impossibiles, vel habentur, ut non appositæ, ut volunt multi, ut si dicas, *accipio te, si sol stet per totam noctem*, aut *si tetigeris cœlum digito*, &c. Et has reprobat Gregor. IX. [1] cap. *Si conditiones.* Puto tamen talem consensum invalidum esse, si serio loquatur conjux: nam quia scit solem non posse stare, nec cœlum posse tangi; ideo censetur nolle eam in uxorem. Idem est de conditione turpi ob eandem rationem, quia tales repugnant matrimonio, sicut & illæ, quæ opponuntur bonis matrimonii, ut dicebamus ex Scoto. Si autem sunt possibiles, & honestæ, non habent majorem vim, quam sponsalia, seu consensus per verba de futuro, nec valet sacramentum de præsenti: unde interim contrahentes possent pœnitere, sicut in sponsalibus, nisi fortè, quando tempus conditionis ponendæ esset determinatum,

[1] *de cond. oppo.*

v.g. *Accipio te in meam, si intra tres dies pater tuus consenserit*; ergo vix umquam tales consensus valent in hoc sacramento, licet possent valere in aliis contractibus.

Confir. quia non videtur Christum instituisse hoc sacramentum potiùs, quàm reliqua sub conditionibus suspensivis efficaciæ ejus, aut incerti eventus: sic enim exponeretur nullitatibus, & irreverentiis.

Dixi 1. *Quod rarissimè valet consensus datus sub conditione*. Non enim dico nullam unquam conditionem posse apponi, quin invalidet contractum: sed solùm dico, quod conditiones sæpiùs arguunt consensum imperfectum, aut dubium, aut invalidum, aut illicitum; quod videbis apud Theologos, & Canonistas, qui tam diverse sentiunt de his, & tantas ibi reperiunt difficultates. Vide Cardinalem nostrum Brancatum, Mastrium, &c.

Dixi 2. *Longè rariùs licent*, nec sine gravi necessitate debent permitti hujusmodi matrimonia. 1. quia, ut dicebam, reddunt incertum sacramentum, & parùm illud decent. 2. quia conjuges sub hoc prætextu consummant, ante quam vel sint certi de existentia conditionis, vel antequam sit impleta, & tamen possent resilire, antequam sit purificata conditio, sicut in sponsalibus. 3. quia sacramentum non existit nisi pro instanti positæ conditionis, potest unus, vel uterque resilire, aut esse in peccato, quando perficitur, & sic non recipiet gratiam, vel de novo peccabit peccato sacrilegii. Sed hæc sunt inconvenientia; ergo &c.

QUÆSTIO VIII.

De objecto, & fine contractus matrimonialis. An includat formaliter consensum in copulam carnalem.

NOmine objecti, & finis hic intellige bonum, ad quod respicere debent contrahentes, & illud communiter dicitur triplex. 1. *Proles*, seu, *prolificatio*, seu, procreatio filiorum, & eorum educatio. 2. *Fides*, seu fidelitas, quam sibi adinvicem debent conjuges, ita ut aliis non adhæreant. 3. *Sacramentum*. Id est, unio

per-

perpetua, & insolubilis inter eosdem, quæ est figura unionis Christi cum Ecclesia, sicut, & gratiæ, quam ex hoc contractu coram Ecclesia inito percipiunt. Quæritur ergo, an ad validitatem contractus matrimonialis debeant contrahentes respicere hæc bona saltem implicitè, & virtualiter, ita ut, si hæc, vel unum illorum bonorum excluderent nolentes ea, contractus, & sacramentum esset nullum, & in particulari, quæritur, an qui contraheret animo, & intentione conservandi virginitatem, valide faceret.

Porrò, ex dictis patet matrimonium actuale consistere in contractu mutuo, quo vir, & fœmina sibi donant sua corpora quoad jus utendi illis ad finem procreandi, & educandi filios. Unde, non dubitatur, quin eorum intentio esse debeat traditio talis juris ad invicem; benè verò, si talis intentio debeat explicitè ferri in copulam carnalem, quæ est medium ad talem finem, & ad quam institutum est; ita ut illa intentio sit essentialis sacramento. Aliud est jus ad copulam; & de hoc non dubitatur, & aliud est usus talis juris; nam potest quis velle dare alicui jus in suum corpus, excipiendo usum talis juris per copulam carnalem.

CONCLUSIO I.

Consensus matrimonialis debet necessario respicere, & intendere maritalem animorum conjunctionem, & translationem mutuam juris, ac dominii corporum ad finem sacramenti, saltem confusè, & implicitè, non tamen directè, & explicitè ad usum talis juris quoad copulam carnalem.

Prob. 1. ex Scoto, [1] dicente, quod B. Virgo, *absolutè vovit virginitatem.... Quomodo ergo potuit contrahere matrimonium? R. Quod in contractu matrimoniali est mutua datio corporum ad copulam carnalem non nisi sub conditione implicita; sc. si petatur. Unde contrahentes cum proposito statim vovendi castitatem, verè contrahunt*, &c. Sed isti non habent intentionem formalem, & explicitam utendi matrimonio per copulam carnalem; ergo ex Scoto copula carnalis non est explicitè, & formaliter de objecto consensus matrimonialis.

[1] d. 30. q. 2. C. 5.

Prob. 2. Usus dominii corporum, quod per hunc contractum transfertur inter conjuges, non est de essentia matrimonii; ergo sine intentione formali copulæ carnalis, sive usus talis juris, potest stare verum matrimonium. prob. ant. Nam si hoc esset, matrimonium non existeret ante copulam; sed hoc est falsum, & contra omnes: nam matrimonium ratum est verum sacramentum matrimonii, & est insolubile secluso privilegio Religionis ante bimestre, & talis est praxis Ecclesiæ; ergo &c.

Confir. 1. ex Scoto, usus facti potest separari à dominio: ergo in matrimonio unus conjugum potest dare alteri dominium sui corporis sine intentione explicita dandi usum, vel acceptare idem dominium, sine intentione explicita utendi illo. ant. patet Joanne XXII. definiente; [1] *quod retento dominio, concedere aliis usum, non est inutile*; ergo nec erit inutile concedere dominium sui corporis ad talem actum; si justè petatur, retento tamen usu, si ab illo non petatur.

Confir. 2. Nam in aliis contractibus talis separatio dominii ab usu, & vicissim, possibilis est, nam Dominus potest vendere omnem operam sui servi, retento dominio ejus;ergo idem potest fieri in contractu matrimoniali: mulier tradit viro dominium sui corporis cum pacto, ut non petat usum, seu debitum conjugale, & ipsa cedit juri petendi illud ab eo.

Hinc docent graves Theologi cum Mastrio,valere matrimonium sub hac conditione; *Duco te si perpetuã castitatem promittas, vel ingressum religionis.*

Prob. 3 ex eodem. Qui contraxit sponsalia juramento firmata, & postea unus, vel ambo vovent virginitatem, aut Religionem, tenentur adhuc contrahere per verba de præsenti propter juramentum, & tamen ligantur adhuc voto castitatis, aut religionis: sed talis contractus non respiceret formaliter usum matrimonii, seu copulam carnalem, sed puram traditionem juris ad illam: Denique illi non haberent pro objecto, vel sine copulam illam, saltem formaliter, sed potiùs illam excluderent; ergo &c.

Prob. 4. Non apparet contradictio, quòd vir, & fœmina velint contrahere matrimonium,quoad omnem tradi-

[1] *extr. de ver signi.*

traditionem dominii corporum suorum ad invicem cum pacto mutuo non petendi usum: sed cohabitandi in perpetua castitate. Nam tale creditur fuisse matrimonium B. Virginis M. cum D. Josepho: sed talia matrimonia non respicerent nisi copulam mentium, & non carnalem; ergo &c.

Objic. 1. Contractus cum intentione contraria bonis matrimonii non fuit matrimonium: sed sine intentione formali copulæ est contraria bonis matrimonii, negativè, aut positivè; ergo non facit matrimonium. prob. min. prolificatio est principale bonum, & finis matrimonii. Sed talis contractus non respiceret illud bonum, & finem; sed potius illud excluderet: quia non potest respici, nisi per copulam, quam excluderet; ergo &c.

Resp. dist. min. Prolificatio voluntaria ex parte contrahentium, & in actu primo, & jus mutuum ad illam: con. prolificatio actualis, seu in actu exercito: neg. min. talis autem intentio non excludit prolificationem liberam, & in actu primo, nec jus mutuum ad illam; sed tantùm actualem, modo neuter faciat quidquam illicitum ad impediendam prolificationem. Neuter obligatur ad petendum debitum, sed solùm ad reddendum petenti debitè; ergo alter, vel uterque potest cedere juri suo ad petendum, vel saltem non petere.

Inst. ex cap. cit. [1] *Si conditio*, *Conditio etiam honesta, si contra substantiam conjugii inferatur, puta, si alter dicat alteri, contraho tecum, si generationem prolis evites....caret effectu.* Sed qui contrahit animo continendi à copula, vel sine animo ea utendi: vult vitare generationem prolis; ergo non facit sacramentum.

Resp. neg. min. Non enim cogitat directè, vel explicitè de vitanda generatione, saltem per media illicita, sed tantum cogitat de continentia, & quantùm licuerit, licet inde sequatur non prolificatio, præter intentionem; seu de qua non cogitat.

Objic. 2. Jus mutuum petendi, & obligatio reddendi sunt de essentia matrimonii: sed sine formali intentione copulæ neutrum subsistit, ergo hæc intentio est necessaria. prob. min. Si contrahens intendit

Z 3 solùm

[1] *de cond. appos.*

solùm dare dominium sui corporis nihil cogitans de usu: imò sibi reservat illud, & excludit, nolens copulam, non acquirit sibi jus petendi, nec contrahit obligationem reddendi debitum conjugale; ergo &c. prob. ant. Non tenetur reddere: quia noluit dare jus in corpus suum quoad hoc: nec potest petere, quia nec etiam, quoad hoc, acceptavit dominium corporis alterius; ergo &c.

Resp. dist. maj. & min. Jus, & obligatio radicalis, & remota; con. maj. & neg. min. jus, & obligatio proxima, & in actu 2. neg. maj. & conf. Nam jus illud, & obligatio illa proxima, & formalis non est de essentia sacramenti, nec illius mutui dominii, quod per illud contrahitur; sed solùm jus radicale, & obligatio in actu primo.

Objicies 3. ex Augustino. [1] Matrimonium nomen habet à fœmina, quæ nubit, ut mater efficiatur; ergo intendit formaliter, & explicitè effici mater: sed non potest explicitè effici mater, quin explicitè velit copulam: unde Concil. Florentinum dicit, quod *potissimum bonum matrimonii prolem designat;* ergo nubentes debent explicitè intendere copulam, sine qua non prolificant.

Resp. neg. conf. Quia sufficit intentio respiciens virtualiter maternitatem ex ratione contractus; nec aliud cogitat Augustinus. Nam, ut legitur cap. *B. Mariæ*, ipse Augustinus dicit, *B. Virginem consensisse implicitè, & secundum id, quod spectabat ad contractum: absque tamen ullo proposito actualis copulæ, cùm jam de illo fuerat certificata;* ergo qui consentit in matrimonium, consentit implicitè in actus matrimoniales ex vi contractus, licet de illis non cogitet explicitè.

Dixi autem sufficere, *ut contrahentes respiciant confusè, & implicitè bona matrimonii*, & hæc sunt objectum totale, & integrum talis contractus, non autem in particulari, & explicitè. Certè multi contrahunt non cogitantes, nec cupientes illa distinctè. Sufficit, quod velint consentire in contractum, qui dicitur matrimonii, per quod vir, & fœmina se sibi mutuò donant, & accipiunt ad vitam individuam, licet non cogitent de singulis actibus, & oneribus talis vitæ,

[1] 19. *cont. man.*

tæ, modò tamen non excludant explicitè ullum ex his, quæ sunt essentialia.

CONCLUSIO II.

Qui contrahunt ex fine opposito finibus essentialibus matrimonii, v. g. ex pacto repudii, aut solutionis vinculi conjugalis, invalidè contrahunt: qui verò intendunt principaliter fines extrinsecos, illicitè faciunt.

Prob. 1. ex Scoto. [1] „ Nam indissolubilitas est bo-
„ num intrinsecum matrimonii novæ legis; ita quòd
„ impossibile est esse matrimonium formaliter sine il-
„ lo, quod est forma ejus ... Et in lege Euangelica
„ Christus reduxit matrimonium simpliciter perfe-
„ ctum, id. indissolubile, sicut institutum fuerat in
„ lege naturæ; ergo qui intenderet contrahere matrimonium dissolubile, vellet finem essentialiter oppositum huic sacramento, & intentioni Christi; ergo nihil faceret.

Prob. 2. ex SS. Canon. Nam cap. „ Si conditiones Gregor. IX. decernit, quòd „ si conditiones contra sub-
„ stantiam matrimonii inserantur, puta si alter di-
„ cat alteri, contraho tecum .... donec inveniam
„ aliam .... Matrimonialis contractus caret effectu: sed conditio solubilitatis talis est, ut suppono ex omnium consensu; ergo &c.

Probatur 3. ex dictis. Nam minister sacramenti, & suscipiens debent velle facere, quod instituit Christus, seu, quod intendit Ecclesia: sed, contrahentes sunt ministri, & suscipientes hujus sacramenti, & qui contrahunt ex fine opposito fini essentiali, matrimonii non intendunt, quod intendit Christus, vel Ecclesia; ergo nihil faciunt validè. prob. min. Nam Christus instituit matrimonium, ut indissolubile, ut dicemus; ergo &c.

Dixi, *cum pacto explicito divortii, seu dissolubilitatis*. Nam implicitus non præsumitur, nec dissolvit in foro externo, in quo non judicatur de internis; benè vero in foro conscientiæ. Ideo, qui sic contraheret, maneret quidem ligatus coram Ecclesia; sed coram Deo, non posset petere debitum.

Prob. 2. p. Nam fines extrinseci sunt mali, vel tur-

[1] *d 33.q.3.B.5.*

pes, aut indifferentes, aut honesti, & excludunt, vel non excludunt fines proprios. Si mali, cum exclusione veri finis; patet, quod illicitè, & nulliter faciunt, & peccant. Si non excludantur debiti fines, valide quidem, sed illicitè fit, nam omnis actus moralis, bonitatem, aut malitiam sumit à fine; ergo peccat, qui nubit ob finem malum. Si verò fines sunt indifferentes, patet etiam, quod peccatur venialiter saltem; nam fit irreverentia sacramento, dum finis non bonus, sed extraneus miscetur illi, & præfertur fini proprio, & debito, quem Deus, & ratio illi præfixit, v. g. si nubit pure ob voluptatem, divitias, honores, imò & mortaliter, si excludantur debiti fines, ob eandem rationem à fortiori; ergo qui contrahit principaliter ob fines alienos à finibus debitis hujus sacramenti, peccat mortaliter, aut saltem venialiter, aut nulliter facit, si excludantur fines proprii, & nisi includantur saltem implicitè, & virtualiter.

Dixi, *Principaliter*. Nam si secundariò tantùm intendas fines bonos, aut indifferentes, non videris vitiare actum, qui est bonus ex fine principali.

Objic. con. 1. p. Judæi, & infideles contrahunt cum pacto formali repudii, aut polygamiæ, & tamen valet illud matrimonium apud Ecclesiam, si convertantur; ergo contractus ex fine opposito bonis, vel essentiæ matrimonii, valet. Patet conf. nam si non valeret, Ecclesia non permitteret illos conjuges cohabitare post conversionem. Prob. ant. Nam Innoc. III. cap. *Gaudeamus*, jubet, quod si paganus conversus ad fidem habeat plures uxores, debet retinere primam, & quamvis Judæus nubat cum pacto explicito repudiandi uxorem, quam ducit, jubetur eam retinere, si convertatur. Imò, si ante conversionem repudiaverat & primam, & duxerat aliam, jubetur resumere primam; ergo &c.

Resp. neg. 1. ant. & 2. conf. Nam cùm illa matrimonia fuerint nulla, monentur quidem dare novum consensum legitimum ex debito fine, & ex vi hujus consensus jubentur cohabitare insolubiliter, quia contractus evasit sacramentum, sed non aliter.

Quæres; An *qui nuberet ad vitandam fornicationem, peccaret*?

Resp. negativè; modo non excluderet alios fines debi-

debitos, quia ille finis est honestus, quia respicit observantiam legis divinæ, *Non mœchaberis.*

Dices, ille finis intendit libidinis expletionem; sed nubere ex illo fine est peccatum, imò & usus matrimonii ex illo fine est malus; ergo &c.

Resp. dist. maj. Intendit secundariò, & per accidens, conc. per se, & primariò, neg. maj. & cons. primario, & per se intendit peccatum vitare, quod autem ibi habeat voluptatem, per accidens est, & præter intentionem illam, de qua loquimur. Aliud esset, si directè, & primariò quæreret voluptatem; nam sic peccaret.

DISPUTATIO II.

De effectibus; & proprietatibus matrimonii.

SAtis hucusque dictum est de natura, & existentia, & conditionibus matrimonii in ratione contractus, & sacramenti. Descendimus ad effectus, & proprietates ejus. Effectus autem sunt gratia, quam confert, sicut alia sacramenta, bona, quæ illi sunt propria, scilicet fides, proles, & sacramentum. Proprietates verò sunt, necessitas, unitas, insolubilitas, seu perpetuitas, & publicitas.

QUÆSTIO PRIMA.

Quinam sint effectus matrimonii.

HOc ipso, quod diximus matrimonium esse verum novæ legis sacramentum, debet dici causare gratiam habitualem primam, aut secundam, quæ est effectus communis omnium sacramentorum, & gratias actuales sibi proprias, scilicet in ordine ad finem suum, propter quem institutum fuit à Deo. Præterea ex natura sua speciali, & ratione contractus operatur alia plura bona, maximè fidem, prolem, & sacramentum.

CONCLUSIO I.

Sacramentum hoc causat ex opere operato gratiam habitualem in utroque conjuge disposito, & jus ad gratias actuales supernaturales ad finem, & onera conjugii debitè sustinenda. Est de fide.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui quærens, *Quis sit effectus matrimonii*, respondet, *Duæ gratiæ in animabus contrahentium, & hoc, nisi sit obex peccati mortalis hinc, & inde: non enim sufficit, quòd contrahens non sit fictus respectu sacramenti, sed oportet, quòd prius pœnituerit, quia istud sacramentum non dat primam gratiam. Effectus est unio animarum contrahentium*. quod fit per gratias actuales, & adjuvantes ad unionem contrahendam, & fovendam.

Prob. 2. tota Conclusio ex Conciliis citatis de causalitate, & effectibus sacramentorum in genere, & de singulis in particulari: nam de fide est omnia sacramenta nostra causare gratiam habitualem primam, aut secundam, si non sit obex, & jus ad gratias actuales, quibus suscipientes juvantur ad perveniendum, & operandum juxta fines singulorum, & hoc ex opere operato; sed est etiam de fide, quòd matrimonium inter fideles est sacramentum novæ legis; ergo & quod causet tales gratias.

Objectiones hæreticorum solutas habes supra, ubi probata est minor, & tract. 1. ubi de causalitate sacramentorum.

CONCLUSIO II.

Effectus hujus sacramenti principales, seu bona ejus sunt perpetuitas, prolis susceptio legitima, & educatio pia, & tori conjugalis fides. Hæc principaliter debent intendi in omni matrimonio.

Prob. 1. ex Scoto. [2] *Sic ergo patet, quomodo sacramentum, ut hic accipitur, est bonum matrimonii primum, & intrinsecum, & forma: fides, id est fidelitas in reddendo justè actum debitum, est bonum ejus, ut finis proximus, sed minus principalis: bonum prolis est ejus bonum extrinsecum, ut finis ultimus, sed principa-*

[1] d. 26. N. 15. [2] d. 31. A. 4.

cipalis. Et probat, *quomodo hæc tria sunt in quolibet matrimonio*.

Prob.2. ex Conciliis, & Patribus: nam Colon.II. dicit, *matrimonium tria complecti, fidem, prolem, & sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale, cum altera, vel altero concumbatur In prole, ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In sacramento autem, ne conjugium separetur, neve dimissus, aut dimissa, etiam prolis causa, alteri conjungatur*. Et in Florent. assignatur *triplex bonum matrimonii. 1. est proles suscipienda. 2. est fides, quam unus conjux alteri servare debet. 3. est insolubilitas matrimonii, quia significat conjunctionem Christi cum Ecclesia*. Et Augustinus [1] eadem enumerat, & explicat, dicens, *In fide attenditur, ne propter vinculum conjugale cum altero concumbatur. In prole, ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In sacramento autem, ne conjugium separetur*; ergo &c.

Prob.2.p.sc.quod hæc intendantur in omni matrimonio: nam hæc tria præ cæteris, & principaliter sequuntur essentiam matrimonii,& propter hæc omnia institutum fuit à Christo; ergo &c.

Dixi 1. *intenduntur*: nec enim necesse est, ut omnia semper adsint actualiter, v.g. non semper adest proles, ut in sterilibus, & continentibus, nec semper fides, ut in adulteris. Sed sensus conclusionis est,quòd omne matrimonium debet iniri cum intentione ad hæc tria bona, saltem implicitè, & virtualiter, & omnia de se tendunt, & regulariter illa causant.

Dixi 2. *principaliter*, seu præ cæteris: nam plura alia bona causant non exigua, v.g. remedium concupiscentiæ, ne in fornicationem, & alia peccata pertrahat. 2. ut humanæ vitæ infirmitatibus,& indigentiis mutuo sint adjutorio, & solatio, &c. Sed illa tria sunt principales fines, propter quæ fideles debent nubere.

Objic.1. In adulteris manet vinculum absque fide, & in sterilibus absque prole; ergo fides, & proles non sunt effectus matrimonii. Prob. conf. Causæ necessariæ non carent suis effectibus; sed sacramenta sunt causæ necessariò agentes; ergo &c.

Z 6 Resp.

[1] *in Gen. ad litt.* 17.

Resp.dist.ant. Absque fide, & prole in actu, conc.in debito, & obligatione, neg.ant. & conf. Sufficit, quod ex vi matrimonii conjuges ad hæc teneantur, & hæc obligatio est permanens.

Inst. Ut hæc obligent ex vi contractus, debent in eo intendi; sed multi non cogitant, nec intendunt; ergo nec obligant.

Resp.dist.maj. Intendi saltem virtualiter, & implicitè, conc. maj. & neg. min. formaliter, & explicitè, neg.maj. & conf. nam, ut diximus, ad valorem matrimonii hæc debent intendi, saltem implicitè, & ex parte contractus id importatur, alioqui non esset matrimonium, licèt actu, & explicitè conjuges non cogitent, nisi de matrimonio.

Objic.2. Posset quis velle post contractum matrimonium ingredi religionem ante consummationem; sed tunc abesset intentio fidei, & prolis, & tamen esset verum matrimonium; ergo &c.

Respond. neg. min. quoad 2. par. nam intentio religionis excludit voluntatem veri matrimonii, excludit donationem, & acceptationem mutuam corporum.

Inst.1. Post contractum potest conjux petere bimestre ante consummationem, & eligere religionem; ergo licèt contraxerit cum intentione debita, non resultat obligatio fidei, nec prolis.

Respon. dist.conseq. Supposita dispensatione, & privilegio divino, conc. præcisa illa dispensatione, neg. conseq. Nam libertas illa post matrimonium contractum venit ex privilegio, & dispensatione divina, ut dicemus.

Inst.2. Matrimonium B. Virginis fuit verum, sed fuit sine intentione fidei, & prolis; ergo &c. Prob. min. Fuit sine intentione dandi corpus suum ad prolificandum cum sponso; ergo &c.

Respond.neg.min. & 2.conseq.nam *bona illa omnia ibi fuerunt, omne nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus Christi, proles fides, sacramentum*, ait Augustinus relatus in Decretis. *Prolem cognoscimus ipsum Dominum Jesum*, &c. *Solus ibi concubitus nuptialis defuit*. Voverat quidem illa virginitatem, & sic de se non poterat consentire in copulam, sed tamen consensit sub Dei placito; nam inquit idem Augusti-

gustinus ibidem relatus, *Committens virginitatem suam divinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinæ inspirationi in utroque obediendo.*

QUÆSTIO III.

De necessitate matrimonii.

MAtrimoni necessitatem non admitterent illi hæretici, qui nequidem licitum, vel honestum reputarunt illud, & è contra, nimiam dicent illi, qui celibatum damnant. Et de ethnicis dicit Ambros. [1] *Qui deorum suorum adulteria, & probra venerantur, celibatus statuere pœnas, ut æmuli criminum mulctarent studia virtutum, specie quidem, qua fæcunditatem quærerent, sed studium castitatis propositum abolerent.* Quærimus ergo, an matrimonium sit, aut fuerit aliquando necessarium, & qua necessitate.

Certum est illud non esse de necessitate medii, nec præcepti pro omni tempore, alioqui nunc, neque ab initio nascentis Ecclesiæ non licuisset celibatus, nec adeo laudaretur virginitas, nec diceret Apostolus, [2] *Qui matrimonio jungit virginem suam, benè facit, & qui non jungit, melius facit.*

CONCLUSIO.

MAtrimonium fuit aliquando necessarium ex præcepto divino, & adhuc esse posset in communi, non autem in lege Euangelica quoad omnes, & singulos, & præcisa necessitate communi totius generis humani. Est communis quoad 1. par. & contra hæreticos quoad 3. quatenus damnant celibatum.

Prob. 1. ex Scoto, [3] *Congruum fuit institui à Deo donationem mutuam corporum inter virum, & feminam, quia nulli obligarent se communi obligatione, saltem difficili, nisi ad hoc esset aliquid adstringens, vel sicut lex mutua naturæ, vel sicut lex positiva divina, vel humana .... Aliud est præcipere contractum illum, &*

[1] *lib. de vid.* [2] *1. Cor. 7.* [3] *d. 26. H. 9.*

& aliud præcipere adhæsionem perpetuam, præmisso primo contractu. Primum expedit præcipi pro tempore illo, pro quo esset necessitas propagationis, & maximè si soboles essent difficiles ad hoc sine præcepto; sed pro alio tempore, pro quo necessitas non est, non oportet obligare, seu præcipi. Res hæc non potest melius explicari.

Prob. 2. ex Script. nam primis parentibus in creatione præcepit Deus, [1] *Crescite, & multiplicamini*, &c. Et Noe post diluvium, [2] *Ingredimini super terram, crescite, & multiplicamini, & replete eam*. Et inquit Chrysostomus, [3] *Postquam accepit mandatum à Domino, et benedictionem*, &c. & S. Cyprianus, *Prima Dei sententia crescere, et generare præcepit, secunda continentiam suasit*, &c. ergo ex Scriptura, & Patribus aliquando matrimonium posset, & de facto fuit de præcepto divino, & posset esse in similibus casibus, unde

Prob. 2. p. nam posset contingere similis necessitas propagandi genus humanum, qualis fuit post diluvium, v.gr. injuriis bellorum, & pestilentiarum, & aliis flagellis justitiæ divinæ; posset genus humanum redigi ad eam paucitatem, Deus, aut etiam magistratus, & principes præciperent, ut omnes apti ad propagationem, deberent nubere, ne genus humanum penitus deleretur, & deficeret in mundo ante tempus à Deo præfixum; ergo posset accidere necessitas matrimonii ex præcepto.

Confir. nam dato casu, quo in aliquo regno nulli vellent nubere, non video, quin posset princeps præcipere, ut aptiores matrimonio illud contraherent, & vacarent generationi, & hoc verum est in communi pro toto genere humano.

Prob. 2. nam præceptum datum Noe, & Adæ potest dari etiam nunc, & usque ad finem mundi propter idem bonum; ergo & eadem necessitas, & obligatio. Prob. ant nam usque ad finem mundi à Deo præfixum debet propagari genus humanum æquè, ac tempore Adæ, & Noe; ergo &c.

Prob. 3. ex Doctore. [4] *Est institutio per modum præcepti affirmativi, quod obligat semper, sed non ad semper, sed tempore necessitatis, non tantum in principio,*

[1] *Gen.* 1. [2] *Gen.* 8.
[3] *hom.* 26. [4] *ibid. Q.* 18.

cipio, sed adhuc videtur eodem modo obligare, si paucitas in filiis in aliquo casu accideret, &c. Quod etiam putat necessarium ex lege naturæ, *licèt non primo, neo ut necessarium notum, sed secundariò consonum.*

Prob. 3. p. quia præcisa tali necessitate universali, & in lege Euangelica, status virginitatis præstat matrimonio, & est de consilio; sed non datur consilium contra præceptum; ergo in lege Euangelica non ita viget præceptum matrimonii, saltem generaliter, & quoad singulos. Prob. mai. nam inquit Apostolus,[1] *De virginibus præceptum Domini non habeo*, &c. Et, *Bonum est homini mulierem non tangere*. Et postquam dixerat, *unusquisque suam uxorem habeat propter fornicationem*, ne id præcipere videatur, addit, *Dico, secundum indulgentiam, non secundum imperium, & qui jungit matrimonio virginem suam, benè facit, & qui non jungit, melius facit*; ergo &c.

Confir. ex Conc. Trid.[2] *Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cęlibatus, & non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut cęlibatu, quam in matrimonio, anathema sit.*

Item ex Patribus: nam inquit Cyrillus cit. [3] *Cùm adhuc rudis esset mundus, & inanis, copia fęcunditatis generante propagamus, et crescimus ad humani generis augmentum. Cùm jam refertus est orbis, et impletus mundus, qui capere continentiam possunt, spadonum more viventes, castrantur ad regnum.* Et S. Thomas dicit,[4] præceptum matrimonii esse implendum à multitudine, sed non à singulis, quo non quilibet de multitudine tenetur.

Confirm. denique ex praxi Ecclesiæ, quæ ab initio clericos obligat ad cęlibatum, ut diximus tract. præcedenti: nam si ad matrimonium singuli tenerentur, perperam, & contra Dei, aut naturæ legem, id statuisset.

Objic. cont. 1. par. Si aliquod præceptum obligaret ad matrimonium, virginitas fuisset aliquando peccatum, nam fuisset transgressio præcepti; sed conseq. est falsum, nam virginitas, & cęlibatus de se præstant matrimonio; ergo &c.

Resp.

[1] 1. *Cor.* 7. [2] *sess.* 14. *c.* 10.
[3] *hom.* 26. [4] 2. 2. *q.* 15. *a.* 4.

Resp dist.maj. Aliquando, sc. pro tempore præcepti, & pro illis, quibus præcipiebatur matrimonium, conc. maj.& neg.min. absolutè, & simpliciter, & de se, neg. maj & conf. nam si Adam, & Eua noluissent nubere, & vacare generationi (idem est de filiis Noe) peccassent. Audi Ambrosium, [1] *Quis ignorat, quod ante Abraham placuit in conjugio, si nunc virgines placent in perpetua castitate: servivit ille legi, et tempori suo, serviamus et nos Euangelio, et tempori nostro.* Objectiones contra cęlibatum dedimus supra.

QUÆSTIO III.

De unitate matrimonii, et polygamia.

NOn agimus de unitate matrimonii in se, nam certum est, quòd cùm in utroque conjuge fiat sacramentum, & duplex sit subjectum, ita sunt duo partialia sacramenta, quæ unum faciunt integrum unitate integritatis, non autem indivisibilitatis, ut diximus de aliis. Sed hæc quæstio principaliter proponitur de unitate opposita polygamiæ, seu pluralitati matrimoniorum.

Porrò hæc pluralitas alia est *successiva*, quando scil. vir unus plures uxores, vel eadem mulier plures viros ducit successivè, sc. uno, vel una mortua, ducit alium, vel aliam. Alia *simultanea*, quando idem vir eodem tempore habet plures uxores viventes, & hæc rigidior polygamia est. Tamen de utraque disserendum; quia olim quidam hæretici, ut Montanistæ, & Novatiani damnarunt secundas nuptias, & polygamiam successivam, & alii recentiores, ut Lutherani, approbant, vel tolerant simultaneam: nam inquit Lutherus scribens ad Lanthgravium Hassiæ circa an. 1539. *Certis casibus locus est dispensationi,* (ad plures uxores habentes) *si quis apud exteras nationes captivus, ad curam corporis, et sanitatem, inibi alteram uxorem superinduceret, vel si quis haberet leprosam .... In his casibus alteram ducere cum consilio pastoris sui, non intentione legem novam inducendi, sed suæ necessitati consulendi, hanc nescimus, qua ratione damnare liceret.*

CON-

[1] *lib.de Abrah.4.*

CONCLUSIO I.

Polygamia simultanea est illicita, & invalidat matrimonium .... Successiva autem, nequidem est illicita, sic matrimonium non est necessario unum, sed potest iterari cum diversis viris, aut fæminis, mortuo, vel mortua priore. Est de fide quoad 1. p.

Prob. 1. ex Scoto. *Considerando contractum istum, ut est ad utrumque finem*, sc. ad procreationem prolis, & remedium vitandæ fornicationis, *requiritur commutatio unius corporis pro unico*, (corpore) *& unius cum uno: & in hoc completa est justitia*. Et ita *Deus instituit & pro statu innocentiæ, & pro statu naturæ lapsæ*, sc. sicut mulier tradit corpus suum uni viro, ita & vir tradat suum uni fœminæ. Et infra docet, quòd *non nisi ex dispensatione divina permissum est aliquando, ut præsumitur de Abrahamo, & quibusdam aliis Patribus, ad majorem multiplicationem cultorum Dei, quæ sine hoc non fieret*, &c.

Prob. 2. ex Script. dicente, *relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*. Item Deus, *masculum, & fæminam creavit eos*. ~~Et dixit~~ Deus, *non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*; ergo uni viro voluit unam fœminam, alioqui dixisset, *adhærebit uxoribus suis*. Et, *erunt tres, aut quatuor in carne una*. Et, *fæminas creasset*. Et (ut notat Hieron.) *dicendo masculum, & fæminam, in Genesi, ostendit secunda vitanda conjugia, non enim masculum, & fæminas, ut unius conjugis consortia necterentur, similiter dixit: adhærebit uxori suæ, non uxoribus*. Quod iterum scribit contra Jovinianum. Et Innoc. III. cap. *Gaudemus*. Idem patet ex Euangelio. *Qui fecit hominem ab initio, masculum, & fæminam creavit eos .... erunt duo in carne una .... Itaque jam non sunt duo, sed una caro*. Ad quod Theophilact. *Ostendit opus, & legislationem ejus, qui nos à principio formavit, esse monogamiam. Ab initio enim Deus unam conjunxit uni. Atque ita non oportet unum virum conjungi multis fæminis; neque unam fæminam multis viris*.

Prob.

[1] *Gen. 2.*

Prob.3. ex Toncil. nam in Florent. [1] dicitur, quod *bonum matrimonii est fides, quam unus conjugum servare debet*. Et, quòd *ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est*. Et Trident. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege prohibitum esse, anath. sit*.

Confir. ex SS. Canon. quos longum esset referre, ut; cùm dicunt matrimonium cum 2. vivente 1. esse nullum, & de mulieribus, quæ putantes primum virum esse mortuum nupserunt 2 jubentur redire ad 1. qui reperitur vivens, *& secunda conjugia separanda esse, & prima redintegranda*, inquit Leo Papa, cap. *Cùm per bellicam*, &c.

Prob.4. ratione Scoti. Tum quia per contractum istum conjuges sibi donant mutuò corpora sua, & sic neuter vivente altero potest ampliùs donare suum, juxta illud, *Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier*; ergo neuter potest ampliùs dare, quod suum non est. Tum quia justitia commutativa exigit, quòd sicut unus conjux dat, & servat fideliter totum suum corpus alteri, ita & iste debet totum illi dare, & servare; ergo non debet dare illud pluribus.

Fatetur tamen Doctor, quod si est aliqua inæqualitas corporum viri, & mulieris, corpus viri plus valet, & sic non esset tanta injustitia in viro, si plures duceret uxores, quia posset illas fœcundare, quàm in fœmina, si plures viros duceret, quia pluralitas virorum potiùs officeret fœcunditati ejusdem uxoris. Ideo posset cum viris dispensari in casu necessitatis ad multiplicandum, & eis permitti pluralitas uxorum, ut aliquando permissum est. Non potest autem permitti, nec unquam permissum est uni fœminæ habere plures viros.

Prob.2.p. ex Script. Dicit enim Apost. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit, quòd si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat*. Et alibi, *Si mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro*. Et Christus non improbavit, quod eadem mulier nupsisset successivè septem viris, nec arguit Samaritanam, quæ habuerat 5. sed tantùm, quod quem tunc habebat, non erat vir ejus.

Con-

Confir. ex Concil. & Decretis. Nam in Nicæno jubetur, ut Cathari, qui redierint ad fidem, *profiteantur se communicare bigamis*. Et id permissum declaratur ex multis canonibus, & cap. *Aperiant*, ex S. Hieronymo, & cap. *Deus masculum*, & cap. *Quod si dormierit*, & August. & Urb.III. & Innoc. III. nolunt mulierem infamari eò, quòd ante transactum annum viduitatis nupserit, licèt id statuant leges civiles, cap. *Super illa*, & cap. *Cùm secundum Apostolum*. Ergo polygamia successiva est licita, & sic valent multiplicata, seu iterata matrimonia pro eodem viro, aut fœmina.

Probat. denique ex quotidiana praxi Ecclesiæ, quæ quotidie talia matrimonia permittit, & celebrat, ut sc. idem vir successivè plures uxores ducat, aut mulier viros plures, mortuis prioribus.

Confir. Nam secundæ, & ulteriores nuptiæ non pugnant cum lege ulla naturæ, aut positiva divina, vel humana; ergo non sunt invalidæ, nec illicitæ.

Objic. 1 con. 1. p. Gregorius II. [1] decernit, quod *si mulier infirmitate correpta, non potest reddere debitum viro, & si hic non potest continere, nubat magis, non tamen subsidii opem substrahat ab illa, quàm infirmitas præpedit*; ergo illi permittitur polygamia simultanea.

Resp. neg. consf. Nam matrimonium non erat ratum, nec consummatum cum illa infirma, nec cum ea vir ille contraxerat, nisi sponsalia per verba de futuro, & sic ducens aliam, non erat polygamus; monetur tamen, ut primam alat ex charitate.

Objic. 2. Polygamia illa non repugnat nec rationi contractus, nec legi naturæ, aut positivæ divinæ, vel humanæ; ergo nec matrimonio. Prob. ant. Nihil vetat virum de suo corpore virili contrahere contra duo, vel plura fœminea, & maximè quia potest singula fœcundare, & sic non esset enormis læsio, vel inæqualitas, & quisque est dominus sui corporis, ut nolit illud dare, nisi sub illis conditionibus. 2. non ex lege naturali, vel divina, alioqui numquam potuisset in hoc dispensari, quod apertè falsum est. 3. non lege humana, alioqui Ecclesia, vel princeps posset in ea dispensare æquè, ac in aliis; sed hoc non admittimus;

[1] *Ep.* 13.

mus; ergo polygamia simultanea ex nulla lege repugnat.

Resp. neg. ant. Nam ex his omnibus legibus repugnat, 1. ex ratione contractus, non genericè, sed in specie hujus contractus, qualis de facto institutus est, licèt aliter potuisset institui: nam sic institutus est, ut unus cum una, & non tres, aut plures, sed duo fiant una caro, juxta illud, *erunt duo in carne una*. 2. Idem est de lege divina: nam Deus, qui potuit aliter decernere, voluit, quòd *homo adhærebit*, non uxoribus, *sed uxori suæ* singulari. 3. Quoad legem naturæ, polygamia quidem non est contra jus ejus primarium, nec contra principia ex terminis nota, aut conclusiones ex eis ductæ, sed contra secundarium, quales sunt propositiones practicæ congruentes juri illi primario. Nam illa unitas matrimonii valdè conformis est hoc modo rationi naturali. 4. Fateor, quod si sola lege humana prohiberetur hæc polygamia, posset in ea dispensari, sed hoc impediunt aliæ leges.

Objic. 3. SS. Patriarchas, qui hac polygamia usi sunt sine peccato; ergo hæc non est contra legem ullam. Prob. ant. Abraham duxerat Saram, & Agar, Jacob Liam, & Rachel, & sic de aliis. Imo si moriebatur sine liberis, frater mortui jubebatur uti ejus vidua, ut mortuo suscitaret semen, & fiebat retenta propria uxore; ergo &c.

Resp. neg. cons. Nam hæc fiebant ex dispensatione divina, & id expediebat ad multiplicandos fideles, ut diximus.

Objic. 4. In Deuteronomio statuitur, quòd si homo habuerit duas uxores, unam dilectam, aliam odiosam, non poterit auferre filiis odiosæ jus primogenituræ, nec facere filium dilectæ primogenitum; ergo ex illa supponit polygamiam licitam.

Resp. neg. cons. Nam textus ille intelligitur de habente duas uxores, non simul, sed successivè. Dicerem etiam Moysem loqui de habente duas simul, sed ex dispensatione Divina: nam tunc dispensationes illæ frequentes erant, & in eo casu lex statuebat, ne fieret injuria primogenitis.

Objic. 5. ex August. In lege naturali, & scripta, Patres illi, *non lasciviendi, sed gignendi causa illis fæminis utebantur*; ergo tunc mos, & fas erat ducere

plu-

plures uxores simul.

Resp. neg. conf. Nam, ut dicebam, id tunc fiebat quasi de more, quia frequentes erant illæ dispensationes ad multiplicationem populi Dei. *Ex revelatione* (divina) *quæ censebatur quandoque mos*, ait Glossa.

Objic. 1. con. 2. p. SS. Patres contra pluralitatem nuptiarum invehuntur; ergo non sunt licitæ. Probat. ant. Nam S. Basil. dicit, *tertias nuptias non esse matrimonium, sed castigatam fornicationem*. Et Nazianz. *primum matrimonium lex est*, 2. *indulgentia*, 3. *iniquitas*. Et in Concil. Neocæsar. an. 314. *De his, qui in plurimas nuptias inciderunt, tempus quidem* (pœnitentiæ) *præfinitum est, sed conversatio eorum, & fides abbreviat*. Ideo prohibetur, ne presbyteri illis secundis nuptiis assistant. *In nuptiis bigami, presbyteris prandere non convenit, quia pœnitentiam bigamus agat, qui cùm erit presbyter, qui propter convivium talibus nuptiis possit præbere consensum?* Denique sub gravibus pœnis prohibentur sacerdotes benedicere secundas nuptias, cap. *vir autem*, & in Rituali Rom. ergo secundæ nuptiæ, seu hæc polygamia successiva est illicita.

Resp. dist. ant. Quia sunt parùm decentes, & sapiunt incontinentiam, con. quia sunt illicitæ, & peccaminosæ, neg. 1. ant. & 2. conf. Nam intentio SS. Patrum, & Ecclesiæ non est damnare, nec prohibere absolutè plures nuptias, sed vellent ab eis deterrere fideles, ut vidui continerent. Hoc fuit præcipuum motivum Ecclesiæ, cùm prohiberet benedicere secundas nuptias, & hæc benedictio ideo illis negatur, ne ex iteratione vilescat, & quia unus talium conjugum jam accepit illam.

Inst. Si Ecclesia putaret illas nuptias esse licitas, non prohiberet eas benedici; ergo &c. Prob. ant. non potest dici aliud motivum talis prohibitionis; ergo &c.

Resp. neg. utrumque ant. Nam sufficiens motivum est, quod intendit deterrere fideles ab illis nuptiis, & eis suadere continentiam vidualem, & quia per secundas primæ cessant esse sacramentum repræsentativum conjunctionis Christi cum Ecclesia sponsa sua, quippe illud matrimonium Christi erit perpetuum, & unicum.

Objic. 3. Ecclesia declarat bigamos irregulares, & Apostolus vult Episcopum esse *unius uxoris virum*,

sc.

sc. ut non habuerit plures uxores; ergo in secundis nuptiis est peccatum: nam irregularitas supponit peccatum.

Resp. neg. conf. Nec enim id venit ex peccato, sed ob rationem datam, quia sc. illa iteratio nuptiarum arguit intemperantiam; quæ non decet ministros Ecclesiæ, fortè etiam illæ nuptiæ improbantur, non quod per se sint malæ, sed per accidens, ne qui non sunt satis contenti de primis, desiderent solutionem earum sub spe secundarum, in quibus magis gaudeant.

Colligis ergo 1. matrimonium debere esse unum respectu amborum conjugum, ita ut neutri liceat pluries nubere, quandiu durat prior contractus, & hoc præcisa dispensatione divina, quę ante adventum Christi sæpè contingebat, sed numquam in lege Euangelica legitur contigisse.

Colligis 2. quod illa dispensatio contigit quidem pro viris, ut plures haberent uxores simul, nunquam pro fœminis, ut una plures simul habuerit viros, quia istud potius officit bono generationis, propter quod dispensabantur viri. Nam vir unus potest fœcundare plures fœminas, non autem fœmina una potest fœcundari à pluribus viris. Non sic repugnaret, si unus vir esset sterilis, aut factus impotens, qui casus non legitur contigisse, & turpius id esset in fœmina.

Colligis 3. Præcipuam rationem nullitatis 2. matrimonii durante 1. peti non solùm ex jure naturæ, sed etiam ex Divino, & Ecclesiastico: licèt enim hoc sit valdè congruens legi naturæ, maximè propter bonum societatis, & pacis domesticæ, quæ longè tranquillior est inter duos, sc. virum unum, & unam fœminam, quàm cum pluribus, ut docet experientia.

Quoad polygamiam successivam varii fuerunt ritus, & leges in Ecclesia: nam aliquando non permittebatur ultra secundas nuptias, imo & contrahentes addicebantur publicæ pœnitentiæ, aliquando limitabatur ad tertias, aliquando ad quartas, sed hodie, & communiter toties permittuntur, quoties casus occurrit.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

De perpetuitate, seu insolubilitate matrimonii.

DUplex notatur solutio matrimonii. 1. quoad torum, & cohabitationem conjugum, 2. quoad vinculum, qua cessat mutua illa potestas, quam sibi ad invicem super corpora sua dederunt conjuges in contractu, & fiunt omninò liberi inter se, quasi non contraxissent. Quæritur, an tale vinculum illud sit, ut non nisi per mortem alterius possit dissolvi.

Matrimonium dicitur. 1. *legitimum*, quod per consensum verum juxta leges contrahitur, & tale est etiam inter infideles, & judæos. 2. *ratum*, quando illi contractui legitimo accedit ratio sacramenti, per quod quasi ratificatur, & solidatur, ita ut fiat indissolubile. 3. *consummatum*, cùm prioribus accedit mutua corporum copula in ordine ad veram generationem: nam, ut sit, & dicatur verè consummatum, talis utrimque debet esse copula post matrimonium ratum, qualis requiritur ad generationem prolis. Matrimonium infidelium dicitur quidem *legitimum*, & *consummatum*, sed non dicitur *ratum*.

Dixi, *copulam post matrimonium ratum*: nam si præcesserit, non facit illud consummatum, sed est actus fornicationis, non matrimonii.

CONCLUSIO I.

MAtrimonium Christianorum est prorsus indissolubile quoad vinculum, si sit consummatum. Est de fide contra Græcos schismaticos, & Hæreticos Lutheranos, & Calvinistas, qui volunt illud posse dissolvi multis de causis, etiam ob molestam cohabitationem.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Ad procreandam prolem, & debitè educandam, marem, & fæminam vinculo indissolubili sibi mutuò copulari, & obligari honestum est ... pro usu perpetuo corporum suorum .... obligationem illam expedit esse indissolubilem ex actu voluntatis persona-*

[1] *d.26.A.2.F.8.G.H.*

sonarum innasci .... pro usu perpetuo in istum finem .... *lex naturæ .... & si obliget ad insolubilitatem vinculi prædicti, præmisso tractatu .... Aliud est præcipere adhæsionem perpetuam, præmisso primo tractatu, istud expedit dari .... pro semper, quia illam indissolubilitatem ostensum est esse consonam legi naturæ*, &c. Et definit matrimonium, *vinculum indissolubile inter marem, & fæminam*, &c. Et ubique supponit in matrimonio perpetuitatem, & indissolubilitatem.

Prob.2. ex Script. Nam Deus dixit ab initio, *Relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ*, non momentaneè, vel ad tempus, sed *perpetuò, & tota vita durante*, inquit Doctor. Et Christus D. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*. Et, *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam*. Et, *Si uxor dimiserit virum, et alium duxerit, mœchatur*. Et Apostolus, *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit*, &c.

Prob.3. ex Concil. Nam in Milevit. dicitur, *Placuit, ut secundum Euangelicam, et Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa à marito, alteri conjungatur*, sc. separatio tori non solvit vinculum. Et Forojul. *Placuit, ut resoluto fornicationis causa jugali vinculo, non liceat viro, quamdiù adultera vivit, aliam ducere*. Idem statuitur in Nannetensi, & Florent. *Quamvis ex causa fornicationis liceat tori separationem facere, non tamen aliud matrimonium contrahere fas est, cùm matrimonii vinculum legitimè contracti perpetuum sit*. Denique in Trident.dicitur, *Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum, primus humani generis parens, divini Spiritus instinctu, pronuntiavit, dicens, hoc nunc os ex ossibus meis*, &c. Idem docetur in Lateran. Afric. Aurelian.II. &c. Et id patet ex perpetua praxi Ecclesiæ, sc. matrimonii vinculum esse perpetuum, & indissolubile.

Prob.4. ex Patribus. Nam inquit August. *Manet inter* (conjuges) *viventes quoddam vinculum conjugale, quod nec separatio*, (tori) *nec cum altero copulatio* (seu adulterium) *possit auferre*. Et Hieron. cit. cap. *Omnes*, ait, *Apostolus apertissimè definivit, vivente viro, esse adulteram mulierem, si alteri nupserit ....*

Quam-

Quamdiu vivit vir, licet adulter sit, licèt sodomita, & ab uxore propter hæc scelera derelictus maritus ejus reputatur. Et Beda, *Vir uxorem si dimiserit, quod causa fornicationis permittitur, maneat sine uxore;* ergo &c.

Dixi, *Si sit consummatum*, Nam de matrimonio rato quid sentiendum sit de illius insolubilitate, dicemus infra.

Objicies, ex Script. Judæi repudiabant uxores, & Christus dixit, *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur*: ergo vel Judæi peccabant communiter repudiantes uxores suas, vel dissolutio matrimonii licita erat; ergo & nunc licita esse debet Christianis ex eadem causa. Prob. cons. Nam post repudium poterant aliis nubere, & illa exceptio Christi, *nisi ob fornicationem*, vana esset, nisi liceret dimittere adulteram.

Resp. neg. cons. Nam illa exceptio valet solùm pro separatione tori, non vinculi; tum quia si Christus loqueretur de solutione vinculi, non diceret eum mœchari, qui duxerit dimissam: nam soluto vinculo, hæc maneret libera æque, ac dimittens, ut olim repudiata poterat alii nubere. Tum quia Innoc. III. exprimit locum illum absolutè ex fine illo, *nisi*; ergo signum est illam vocem non facere ad rem. Quoad Judæos autem quidam dicunt eos verè peccasse, si post repudium alias ducebant. Sed veriùs cum Scoto dixerim, Deum pro tunc cum eis dispensasse, *propter eorum duritiam*, ne uxores difficiles, incommodas, vel adulteras occiderent, quam licentiam Christus revocavit in lege nova.

Objic. 2. In Concil. Arelat. dicitur *de his, qui uxores suas in adulterio deprehendunt, & ii sunt adolescentes, & prohibentur nubere, placuit, ut in quantum potest, consilium eis detur, ne viventibus uxoribus, licèt adulteris, alias accipiant*: ergo insolubilitas vinculi in eo casu est solùm de consilio, non præcepto.

Respondeo neg. cons. Nam nomine *consilii* intelligunt illi patres exhortationem ad prohibitionis observantiam, & intimationem præcepti. Ideo dicunt, *prohibentur nubere*. Non enim prohiberentur, si esset tantùm de consilio.

Objic. 3. ex Concilio Veneto dicente, *Eos, qui relictis uxoribus suis, sicut in Euangelio dicitur, excepta causa fornicationis, sine adulterii probatione, alias duxerint, statuimus à communione coercendos;* ergo qui prius probaverint adulterium, non erunt arcendi, si alias duxerint; ergo pro istis vinculum non est insolubile.

Resp.neg.conf. Non enim Concilium requirit probationem adulterii, ut alias ducant, sed ut suas deserant, & hoc quoad torum, non quoad vinculum, alioqui sine probatione, & à parte rei valerent, & in foro interno valerent secunda matrimonia, & sufficeret certitudo criminis.

Inst. Vetus Pontificale Rom. decernit, quòd *uxor, quæ juridicè probaverit se invitam, & jubente marito adulterasse, si se continere non potest, nubat, cui voluerit, tantùm in Domino, maritus verò sine uxoria spe in perpetuū maneat;* ergo probatio adulterii reddit novum matrimonium licitum, & dissolvit primum, & id non potest explicari de solo divortio tori.

Resp.neg.utramque conf. nam illud Pontificale, si fidem mereatur, vult tantùm, quod si uxor illa supervivat marito illi, poterit quidem nubere post mortem ejus, quia invita peccavit, non autem ille, si supervixerit, & hoc in pœnam talis prostitutionis. Eodem sensu loquitur quidam Canon Capitularium Caroli Magni, quo dicitur, *ut mulier, quæ cum fratre mariti peccaverit, ipsa, & ille adulter in pœnam peccati, quoad vivunt, nunquam amplius habeant conjugium, maritus verò innocens poterit accipere aliam uxorem*, sc. post mortem adulteræ.

Objic. 4. Matrimonia infidelium sunt vera matrimonia; sed hæc sunt solubilia; ergo & nostra: nam insolubilitas non est de essentia matrimonii.

Respond. dist.min. Solubilia ex errore, & pravitate, conc. de jure, neg.min. nam Deus pro omni matrimonio statuit perpetuitatem, & apud omnes homines illa est conformis dictamini rectæ rationis, nec aliter facere possunt hæretici, vel infideles, nisi ex errore, vel pravitate.

Objic. 5. Alii contractus ex partium consensu resolvuntur; sed matrimonium est verus contractus; ergo ex conjugum mutuo consensu potest dissolvi. Prob. maj.

maj. ex regula juris, *Per quas causas formantur, per easdem solvuntur*; ergo &c.

Resp. dist. min. Est contractus diversæ, & singularis naturæ, conc. similis naturæ, neg. maj. & cons. Nam iste talis est de se, ut dissolvi nequeat, etiam volentibus partibus.

Inst. Fideles etiam post consummationem possunt ex mutuo consensu separari, & ingredi religionem; sed tunc matrimonium dissolvitur; ergo etiam inter fideles, & consummatum est solubile de consensu mutuo partium.

Resp. neg. min. Nam in eo casu separatio est quoad torum, & non quoad vinculum, unde si dispensante Papa in votis eorum, redirent ad sæculum, manerent ligati, & possent convenire.

Objic. 1. cont. 2. par. Cœlestinus III. dicitur sensisse, matrimonium de præsenti solvi posse, si alter conjugum cadat in hæresim: ergo etiam consummatum solvi potest.

Resp. neg. antec. Non enim hoc reperio in illo cap. *Laudabilem*, nec in toto tit. *de frigidis*, tamen Innoc. II. qui docet contrarium, cap. *Quanto*, supponit aliquem Papam hoc videri docuisse.

Resp. 2 fortè hoc dixisse ex privata opinione, non decretaliter, quod innuit Innoc. III. dicens, *Licèt quidam prædecessor noster aliter sensisse videatur*; aliud est *sentire*, & aliud decernere, aut definire; illud est doctoris privati, istud est Pontificis definientis.

Dixi autem 1. *matrimonium fidelium*: nam de infidelibus, & Judæis, qui non servant legem Christi ex errore, ut dicebam, vel dispensatione divina, ut olim, dissolvuntur matrimonia.

2. *Si sit consummatum*: nam de matrimonio rato mox dicemus, an sit solubile.

CONCLUSIO II.

M*Atrimonium validum, & ratum, & non consummatum dissolvi non potest, nisi in casu, quo ante consummationem velit alter conjugum profiteri religionem approbatam*. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, quod datione mutua corporum pro usu perpetuo, sine qua non esset verum

matrimonium novæ legis. *Ex datione ista contrahunt vinculum insolubile nisi per... revocationem, seu, relaxationem illius, qui statuit hoc esse ita indissolubile ... Christus autem, qui istam indissolubilitatem induxit, reprobans pro lege sua repudium Mosaycum, ipse relaxavit indissolubilitatem, quando alter conjugum convertitur ad Religionem. Unde Ecclesia numquam atzentasset, post matrimonia rata, non consummata, licentiare alterum ad religionem, altero manente in sæculo, nisi Christus hoc instituisset.*

Prob. 2. Nam consummatio nihil addit contractui rato præter usum: sed in ratione talis contractus habet indissolubilitatem, ut patet ex præcedenti; ergo matrimonium ratum est de se indissolubile. prob. maj. Nam matrimonium ratum, & consummatum est essentialiter idem contractus, & idem sacramentum. Idem est utrobique vinculum. Patet ant. ex matrimonio B. Virginis cum S. Joseph, non enim fuit nisi ratum, non autem consummatum. Nam (inquit August.) *consensus cohabitandi, & individuam vitæ consuetudinem retinendi, fecit eos conjuges.*

Confir. ex dictis, nam matrimonium non facit copula, sed consensus; ergo ex ratione cōtractus, qui consistit in consensu, nascitur vinculum, & insolubilitas matrimonii: denique hic valent rationes datæ supra.

Prob. 2. p. ex Concil. nam in Lateran. III. dicitur, *post consensum legitimum de præsenti licitum est alteri* (conjugum) *altero etiam repugnante, monasterium eligere, sicut quidam sancti, de nuptiis vocati sunt; dummodo inter eos commixtio carnis non intervenerit; & altero remanenti, si commonitus noluerit servare continentiam, licitum esse videtur, ut ad 2. vota transire possit: quia cùm non essent una caro facti, potest unus ad dominum transire, & alter in sæculo manere.* Idem docent plures Canones, & Trid. *Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum per solemnem religionis professionem non dirimi, anath. sit.*

Confirmatur ex facto Christi, nam dicitur quod Joannem 1. die nuptiarum vocavit ad Apostolatum, ut notat Doctor. cit. *Cujus exemplum secuti sunt SS. Patres, Alexius, Theonus, & alii.* Et cap. *Ex parte tua,* dicitur: *Ex S. eloquii interpretatione, & divina revelatione, in Ecclesia Christi semper fuit custoditum, ut*

ratum matrimonium, per professionem solemnem, dissolveretur; ergo &c.

Addit Scotus, quod *Hæc relaxatio Christi rationabilis fuit, quia rationabile est obligationem ad minus bonum commutari ad majus bonum ab eo, qui habet authoritatem commutandi. Professio autem in Religione est ad majus bonum, quia ad spirituale.*

Hinc argumentor. Semper licitus est transitus de statu minùs perfecto ad perfectiorem, si hoc fiat sine injuria alterius: sed status Religionis est perfectior matrimoniali, & potest fieri transitus ab isto ad illum sine injuria alterius; ergo &c. prob. min. patet quoad 1. p. saltem apud Catholicos. prob. quoad 2. p. Nam cùm matrimonium non sit consummatum, nulla est proles, nulla fit divisio carnis, quia nondum hæc contraxit unitatem; & alter conjux liberatur à vinculo, & potest nubere: nec denique incurrit ullam infamiam; ergo ille transitus fit sine injuria alterius.

Objic. 1. con. 2. p. Talis dissolutio non licet in matrimonio consummato; ergo nec in rato. ant. admittitur. prob. conf. matrimonium ratum, & consummatum est idem contractus: & sacramentum eodem jure divino institutum; ergo & eadem indissolubilitas.

Resp. neg. utrumque conf. quia hæc differentia non venit ex natura contractus, sed ex voluntate Christi; qui unum præ alio voluit dissolvi ob rationes datas.

Inst. Matrimonium, etiam consummatum, solvi potest, si uterque velit ingredi Religionem: aut si unus consentiat in professionem alterius, & velit manere cœlebs, aut recipere ordines sacros; ergo idem est de consummato, & rato.

Resp. neg. ant. Nam tunc uterque manet ligatus, & retinet jus remotum in corpus socii, sed renuntiat proximo ad debitum conjugale. Unde si ex dispensatione professus, vel sacerdos rediret ad sæculum, non posset alteri nubere.

Objic. 2. Vinculum matrimonii rati ligat ex lege naturæ, saltem nisi ambo consentiant: sed nulla professio valet contra jus naturæ; ergo non solvit hoc vinculum, alio repugnante. prob. maj. fidelitas in promissis est de jure naturæ: sed conjuges promiserunt sibi mutuam, & individuam vitæ societatem in matri-

monio; ergo ad eam obligantur de jure naturæ, quamdiu alter non consentit.

Resp.neg.1. maj. & dist.2. Fidelitas in promissis absolutis, & sine restrictione, seu retentione juris resiliendi, conc. in promissis conditionatis, saltem virtualiter, neg.maj. & min. nam contractus iste fit cum hac retentione implicita, & virtuali, qua contrahentes sibi retinent per aliquod tempus jus resiliendi per electionem melioris status. Hæc conditio sic continetur in omni matrimonio catholicorum.

Inst. ex regulis juris naturalis, *quod semel placuit, amplius displicere non potest.* Item, *mutare consilium quis non potest in detrimentum alterius*; sed conjux resiliens sine alterius consensu non vult, quod semel voluerat, & mutat consilium cum alterius damno; ergo &c.

Resp.eodem modo dist.maj. Quod semel placuit absolutè, excludendo omnem reservationem, conc.per voluntatem, & pactum includens aliquam conditionem, neg.maj. ob rationes datas, alioqui repudium Mosaicum fuisset contra jus naturale, & quidem à fortiori: nam fiebat injuria mulieri repudiatæ, & diffamatæ.

Objic.3. Ratio majoris boni pro statu religioso, tam valet pro matrimonio consummato, quàm pro rato; sed per nos non valet pro consummato; ergo nec pro rato.

Resp.neg.maj. nam, ut diximus, Christus non dispensat pro uno, sicut pro alio, & maximè, quia in consummato id fieret cum detrimento prolis, aut cum scandalo post copulam.

Objic.4.ex Patribus: nam inquit Gregor. *Sunt, qui dicunt religionis causa conjugia debere dissolvi. Verum sciendum est, quia & si hoc lex humana concessit, lex tamen divina prohibuit*; ergo illa dissolutio est illicita, & contra jus divinum. Et Alex.III. *Dicimus, quod nisi uxor ad religionem transierit, aut perpetuò castitatem promiserit, vir potest, & debet de monasterio revocari*; ergo à fortiori potest impediri, ne intret, aut profiteatur sine consensu alterius.

Resp.neg.utramque conf.nam uterque Pontifex loquitur de matrimonio consummato. Unde Greg.citat Scripturam, *erunt duo in carne una* (quæ unitas non fit,

fit, nisi per copulam) absurdum reputans, *unam, eandemque carnem ex parte transire ad continentiam, et ex parte remanere in pollutione*. Idem est de Alexandro, nisi sibi contradiceret: nam c.seq. *Verum*, id permittit, *dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos, et alteri remanenti licitum est ad secunda vota transire*; ergo in priori capite loquitur de matrimonio consummato, & in præsenti de rato.

Igitur Ecclesia divinitùs inspirata permittit conjugibus, vel eorum alteri post matrimonium ratum differre consummationem per duos menses ad deliberandum de ingressu in religionem approbatam, nec potest alter hoc impedire, durante illo bimestri, & si ibi profiteatur, matrimonium per illam professionem dissolvitur, & alter potest, si nolit continere, transire ad alias nuptias.

CONCLUSIO III.

Matrimonium inter infideles contractum potest dissolvi, si alter eorum convertatur ad fidem, et infidelis nolit habitare cum illo, vel si iste fidelis non possit habitare cum infideli sine contumelia Creatoris, aut sine periculo salutis suæ.

Prob. 1. ex Scoto, qui quærenti „ cur Apostolus suadet matrimonium inter infideles contractum esse servandum post conversionem alterius, *respondet*, Causa Apostoli patet ibi: Salvabitur, inquit, vir infidelis per mulierem fidelem. Igitur servare matrimonium prius contractum est occasio convertendi conjugem infidelem. Cessante autem evidenter causa illa, non debent simul commanere, utpute, si non consentit habitare cum converso, vel non sine injuria Creatoris, blasphemando, vel sollicitando conversum ad infidelitatem, *etc.* ergo ex Scoto in illis circumstantiis solvitur illud matrimonium: nam ibi non est quæstio de separatione tori, sed vinculi.

Prob. 2. ex Script. nam Apostolus ait, *Si infidelis discedit, discedat* (fidelis) *non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi*; ergo si infidelis non vult habitare cum fideli, vel si iste non potest cum illo habitare sine injuria Creatoris, vel periculo fidei, poterit iste ab illo discedere, & sic liberabitur ab

illius subjectione; ergo & à vinculo, ratione cujus non habet corporis sui potestatem. prob. conf. nam, inquit Chrysost. *Propterea hoc appellavit debitum, ut ostenderet nullum esse sui dominum, sed esse alterum alterius servū... Quid est autem, si infidelis discedat, aut separetur? Ut si jubet te sacrificare, aut esse sociam impietatis propter matrimonium, aut recedere, melius est, ut divellatur matrimonium, quam pietas.*

Prob. 3. ex SS. Canon. Nam cap. *si infidelis*, ex D. Gregorio dicitur, quod *dimissio propter Deum non est peccatum, si alii se copulaverit, contumelia quippe creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur*. Et ex Ambros. simili cap. *Hic agnoscat fidelis suam libertatem ne ita subjectum se deputet servituti, ut ipsam dimittat fidem, ne amittat infidelem*. Et Innoc. III. cap. *Quanto*. Nam in illo casu, *qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit... contumelia Salvatoris solvit jus matrimonii*. Idem est de multis aliis, quos citat Cardin. Brancatus noster.

Prob. 4. Nam Deus saluti fidelium consulens hanc eis libertatem dedit, ne per fragilitatem adducantur à fide, aut Dei obsequio, si cohabitent cum infidelibus conjugibus. Et quidem, *indulgentia est potiùs, quam præceptum*; ait August. [1] *ubi ventum est ad quæstionem de dimittendis conjugibus, vel admittendis, adhibitis etiam Apostolicis testimoniis*, dicerem Consilium esse Apostoli, non præceptum domini.

Objic. Insolubilitas matrimonii est de jure divino; ergo ab homine solvi non potest sub ullo prætextu non expresso in lege: sed in lege nulla est exceptio, nam absolutè dicit, *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, & Christus legem repudii abrogavit, ut concessum judæis *propter duritiam cordis eorum*; ergo in nullo casu licita est solutio hujus vinculi.

Resp. neg. subs. Nam Apost. sciebat legem divinam, quam didicerat ab ipso Deo, & expressè docet hanc solutionem in illis circumstantiis.

Inst. Imò Apostolus jubet fidelem manere cum infideli, si velit iste; ergo &c.

Resp. ex Aug. [2] jubet manere ex charitate: con. ex necessitate vinculi: neg. ant. „ cur ergo non expediat in- „ fideles dimitti à fidelibus? causa evidenter expressa „ est,

[1] *de adult. conj. 18.* [2] *ibid. 13. & 14.*

„ est; non enim propter vinculum conjugale cum ta- „ libus servandum, sed ut acquiratur Christo, recedi „ ab infidelibus Apostolus vetat. Multa enim sunt fa- „ cienda, non jubente lege, sed libera charitate. Hoc consilium est charitatis, non præceptum.

Objic. 2. Universaliter dicitur, „ mulier alligata est „ legi, quanto tempore vir ejus vivit. Et Christus ipse. „ [1] Quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob for- „ nicationem, & aliam duxerit, mœchatur; ergo conjux dimitti non potest ob infidelitatem, & quamdiu ambo vivunt, vinculum ligat.

Resp. dist. cons. Quandiu vivunt, & præcisè ob infidelitatem solam, con. in circumstantiis ab Apostolo notatis, neg. cons. nam ille apertè concedit separationem ab infideli, casu, quo iste discedat, vel adsit periculum perversionis, vel injuriæ creatoris. Christus eosdem casus excipit per Apostolum suum: corrigit legem repudii, qua judæi abutebantur dicentes, *posse dimitti uxorem quacumque ex causa*. Nimis ampliabatur lex illa: ideo Christus eam limitat ad solos casus conclusionis, sc. quoad infideles, & quoad ingressum Religionis, denique Christus ibi dat legem pro matrimonio fidelium, non infidelium.

Objic. 3. Propter hæresim unius non solvitur hoc vinculum; ergo nec propter infidelitatem. Ant. recipitur communiter. prob. cons. Non est minùs periculum contumeliæ creatoris, vel perversionis fidelis per hæreticum, quàm per infidelem; ergo &c.

Resp. neg. 1. cons. & 2. ant. Nam matrimonium infidelium non est sacramentum, benè verò istud, quod dat jus ad auxilia divina, quibus resistatur tentationibus hæresis: & ut tale, magis est indissolubile.

Igitur non statim, nec præcisè, quia unus venit ad fidem, & alter manet infidelis, fit hæc separatio, sed requiritur, ut infidelis discedat, & dimittat fidelem, nolens habitare cum illo: vel, ut iste non possit permanere cum infideli sine injuria creatoris, aut periculo suæ perversiones; quia sc. infidelis eum sollicitat ad impietates, & blasphemias. Sed si fidelis sperat se posse convertere infidelem, debet saltem ex charitate, remanere cum illo. 1. patet ex verbis Apostoli; & cap. *Quanto*, & cap. *Gaudemus*,

[1] *Matth.* 19.

demus, & aliis sacris Decretis, & ex Augustino cit.

Quæres 1. *Quid dicendum si infidelis tandem convertatur, an prior conversus tenebitur conciliari cum isto, et eum resumere.*

Resp. affirmativè, si hæc conversio fiat, antequam alter contraxerit alias nuptias, quia tunc vinculum esset adhuc integrum. Et cessat ratio dissolutionis.

Quæres 2. *An si fidelis statim nuberet alteri post suā conversionem, non expectato recessu infidelis, nec periculo perversionis, an inquam validè faceret.*

Resp. negativè, quia tunc cessarent allatæ rationes dissolutionis prioris vinculi ex parte conversi, seu fidelis.

Quæres 3. *An ad validam executionem hujus libertatis requiratur judicium Ecclesiæ.*

Resp. id quidem securius, & rationabilius esse, non tamen necessarium, quia Ecclesia non habet jurisdictionem supra infidelem, ut eum liberet ab onere vinculi. Certè ex ipso recessu infidelis, & à fortiori si nupserit iste, liberatur fidelis, nec enim ejus conditio fit deterior. Id constat ex cap. *Quanto*: nam inquit Glossa, *Ille, qui relinquit transeuntem ad fidem, peccat, et sola contumelia Creatoris, et non per Ecclesiam solvitur*. Ideo si interveniat sententia Ecclesiæ, hæc erit purè declaratoria juris istius.

Quæres 4. *An infidelis deserens fidelem, possit statim validè contrahere cum alio.*

Resp. non posse, donec fidelis mutaverit statum per ingressum religionis, aut per susceptionem ordinis sacri, aut per aliud matrimonium, quia privilegium solutionis est ad favorem fidelis, non autem infidelis. Postquam autem sumpsit statum incompossibilem cum illo primo, remanet primus contractus solutus, & infidelis pariter liber. Sed quandiu fidelis non vult uti privilegio suo dissolutionis, manet integrum vinculum.

Quæres 5. *An fideles ex mutuo consensu possint dissolvere vinculum matrimonii rati, et non consummati.*

Resp. negativè, nisi per ingressum religionis, ut diximus: nam inquit Bonifacius VIII. *A Deo in paradiso matrimonii vinculum fuit institutum insolubile*. Idem docet Concil. Trident.

CON-

CONCLUSIO IV.

PRobabilius est Papam dissolvere posse matrimonium ratum inter fideles, non autem consummatum. Est hodie communior, licèt pars negativa non careat probabilitate. Prima pars patet ex 1. Conclusione.

Prob. 1. p. ex principiis Scoti, [1] qui hanc tradit regulam, *De sacramentis Ecclesiæ non est aliter sentiendum, quàm sentit Romana Ecclesia*, ex cap. *Ad abolendam*; [2] sed jam sentit Ecclesia Romana Papam posse in hoc dispensare, & de facto dispensat sæpe; ergo ex hac regula Scotus inclinaret in hanc sententiam, & id positivè dixisset, si scivisset hoc fieri. Citatur tamen pro contraria, ut videbimus.

Prob. 2. ex praxi: nam propter ingens aliquod Ecclesiæ bonum, plures Pontifices dispensarunt in matrimonio rato, ut testatur Sanctus Antoninus de Martino V. & Eugenio IV. Et Cajetanus, & Navarrus testantur de Paulo III. & Pio V. Et Henriquez de Gregorio XIII. quem scribit uno die dispensasse cum undecim. Sed non potest dici, quod in hoc erraverint illi Summi Pontifices; & *à facto ad posse valet consequentia*; ergo &c.

Confir. quia Papa dispensat in votis solemnibus religionis, ut notant Theologi apud Mastrium, ergo à fortiori potest dispensare in matrimonio: nam 1. status religionis, quem fideles contrahunt per illa vota, est longè sanctior, & ideo indispensabilior. 2. quia matrimonium ratum dissolvitur in favorem religiosę professionis, & non è contra; ergo si Papa dissolvere potest vinculum hujus professionis, poterit & vinculum matrimonii rati.

Prob. 2. p. ex Scoto docente, quod *si consummatum esset matrimonium, esset omnino indissolubile usque ad mortem, ita, quòd si conjuges pari voto continerent, matrimonium non solveretur inter eos, etiam per ingressum religionis*; ergo ex Scoto matrimonium consummatum est indissolubile per omnem potentiam humanam, etiam Papalem.

Prob. 2. ex Script. & PP. citatis in 1. Conclusione: nam loquuntur absolutè, & sine limitatione.

[1] *d. 26. k. 13.* [2] *extr. de hæret.*

Prob.3.Quia insolubilitas matrimonii consummati, in quo duo fiunt una caro, per mixtionem seminum, venit ex lege divina positiva,ut patet ex Script.cit. sed Papa non habet potestatem supra legem divinam;inferior enim dispensare non potest in lege superioris cap. *cùm inferior* de major. & cap.*ne Romani* Clem.de elect. ergo Papa non potest dispensare ad solutionem matrimonii consummati.

Prob.4. ex praxi, nam SS. Pontifices semper abstinuerunt à tali dispensatione, & eam reservarunt soli Deo, ut patet ex Nicol. I. & Adriano II. Circa matrimonium Regis Franciæ, cap. *Scripsit*, & cap. *Lotarius*, & Epist. Adriani, qui declarant non posse illud dissolvere; quia, inquiunt, *non potest homo dissolvere, quod Deus conjunxit.*

Dices, hanc legem non afficere Papam, qui non est purus homo, sed supra homines, & Vicarius Christi.

Contra, quia magis assentativè, quàm verè hoc dicitur, ut patet ex ipsorum Pontificum dictis, nam, Nicol. I. cit. declarans,cur matrimonium ratum solvi possit per ingressum Religionis, dicit hoc fieri ab ipso Deo. *Deus,non homo separat*, quando intuitu divini, *amoris ex consensu utriusque matrimonia dissolvuntur.*

Confir. ex Innnoc.3. decernente repudium in Euangelio reprobatum esse cap. *Gaudemus*. Nam talis dispensatio resuscitaret divortia, quæ fierent authoritate humana, non maritorum, sed Papæ, ergo Papa iste non se reputat nisi purum hominem.

Objic.con.1. dicit,quod *Ecclesia numquam attentasset post matrimonium licentiare alterum ad Religionem,altero manente in sæculo,nisi Christus hoc instituisset*; ergo ex Scoto, Ecclesia, nec SS. Pontifex non potest dissolvere matrimonium ratum, nisi Christus ita instituerit. Sed nullibi constat de hac institutione,& ante tempora Scoti non legebatur Papam in hoc dispensasse; ergo nec modò id fieri potest.

Resp.neg.subs. nam ex mente Scoti cit. rectè arguitur Christum ita instituisse, quandoquidem Ecclesia attentavit sic dissolvere matrimonia rata; nam illa non potest errare.

Objicies 2. Si posset dissolvere ratum; posset etiam consummatum; nam consummatio nihil addit Sacra-

men-

mento præter executionem, quæ non mutat eſſentiam contractus; ſed conſ. eſt contra nos; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. nam Chriſtus non permiſit ſolutionem pro conſummato ſed pro rato, quod colligitur ex Eccleſiæ praxi. Et ratio petitur tum ex ratione prolis, quæ venit ex conſummatione, tum ex unitate carnis ex eodem contactu.

Inſt. *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*; ſed Papa eſt purus homo; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Homo non ſeparet poteſtate humana, conc. poteſtate divina, neg. maj. Papa autem in his agit ex poteſtate à Chriſto accepta, & divina.

Objic. 3. Indiſſolubilitas matrimonii eſt de jure divino, & naturali; ergo nullus homo poteſt illud diſſolvere.

Reſp. diſt. ant. de jure divino, & naturali ſecundario, conc. de naturali primario neg. ant. & diſt. conſ. Nullus homo poteſtate purè humana, conc. divinitus accepta, neg. conſ. nam, ut diximus, Chriſtus hanc facultatem conceſſit Eccleſiæ ſuæ in ſuo capite.

Objic. 4. Papa ex plena ſua poteſtate non poteſt impedire effectum ſacramenti in ſubjecto capaci, v. gr. ne baptizatus cenſeatur de familia Chriſti, aut ne corpus ejus ſit in hoſtia ritè conſecrata; ergo nec efficere poteſt, ne poſt matrimonium ratum, conjuges ſint inſolubiliter ligati vinculo illo: nam iſtud eſt effectus talis ſacramenti.

Reſp. neg. conſ. nam Papa in hoc diſpenſans non impedit effectum ſacramenti, ſed ſolum declarat Deum nolle, ut ullud vinculum amplius teneat inter perſonas, quas ejus Vicarius liberat per poteſtatem, quam ad hoc ei delegavit.

Reſp. 2. Papam non impedire talem effectum, ſed declarare, quod ſacramentum, vel contractus non valuit inter illos conjuges ob cauſas, quæ movent eum ad ſic judicandum, nec enim ullus unquam attentavit diſpenſare, niſi propter urgentiſſimas cauſas. Fortè etiam hoc fit per interpretationem voluntatum conjugum ipſorum, quatenus non cenſentur voluiſſe conſentire in vinculum in talibus circumſtantiis.

Objic. 1. cont. 2. par. ex cap. *Propoſuiſti*, Gregor. XIII. dicit, matrimonium poſſe diſſolvi *ob ſupervenientem infir-*

infirmitatem uxoris. Et cap. *Concubuisti*, Zacharias dicit, solvi posse matrimonium ejus, qui concubuit cum sorore uxoris. Unde si hæc conscia non sit sceleris, poterit inire aliud conjugium; ergo Papa in aliquo casu potest dissolvere matrimonium consummatum.

Resp. neg. conf. Nam Gregor. loquitur de infirmitate superveniente post matrimonium non consummatum, vel de matrimonio contrahendo, seu contracto per verba de futuro, non per verba de præsenti. Zacharias autem loquitur de uxore post mortem viri, vel de sponsa de futuro, ut notat Glossa. Dicunt alii hoc decretum Gregorii non reperiri in Epistolis ejus.

QUÆSTIO V.

De divortio, seu de solutione matrimonii quoad torum.

INter obligationes conjugum non ultima est obligatio cohabitandi, & unitas tori, de qua dicitur, *relinquet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ*. Et in definitione matrimonii dicitur, *viri, et uxoris individuam vitæ conjunctionē continens*. Conjuges quippe sine cohabitatione nequeunt mutuo corporum usui vacare, nec generationi, nec educationi filiorum, nec alia sibi ad invicem præstare obsequia, ad quæ institutum est matrimonium. Quæritur ergo hìc de conjugum separatione, non quoad vinculum conjugale, de quo jam diximus, sed quoad torum, & cohabitationem, stante vinculo illo, & quando, seu ex quibus causis liceat.

Divortium dicitur à *divertendo*, quia conjux alter ab altero divertit, vel à *diversitate mentium*, & significat unius conjugum ab alio separationem, vel utriusque ab invicem ex mutuo consensu. Et triplex est. 1. *Quoad vinculum*, quo nexus conjugalis solvitur, ut dictum est, nec de hoc restat dicendum. 2. *quoad torum*, quatenus separantur corpore, & non copulantur carnaliter, ut sæpè accidit, etiam ex consilio Apostoli, ut vacent orationi. Et de isto hìc non loquimur. 3. *quoad torum*, & *cohabitationem*, solo re-

restante vinculo conjugali, & de hoc loquimur hìc, & quærimus, an aliquando sit licitum inter conjuges.

Certum est autem, tale divortium aliquando esse licitum. Nam inquit Concilium Trident. [1] *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges quoad torum, et cohabitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit, anath. sit*. Restat quærendum, quibus de causis possit hoc fieri.

Certum est 2. Conjuges etiam post consummatum, matrimonium ex mutuo consensu, posse ab invicem divertere, sive mutando statum per ingressum religionis, & susceptionem ordinum, sive manendo seorsum in statu laicali, & hoc sive ad tempus, & quandiu voluerint, sive in perpetuum, salvo tamen semper vinculo maritali. Dico *ex mutuo consensu*: nam cessante causa divortii, non licet uni divertere, alio nolente, unde vel ambo debent consentire, sive ex devotione in Deum, sive ex aliis rationabilibus motivis.

CONCLUSIO I.

SI alter conjugum cadat in verum adulterium voluntarium, innocens potest ab eo divertere quoad torum, si velit. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui, ut probet potestatem in corpora posse separari ab usu, dicit, *Adultera habet potestatem alterius conjugis, quia per matrimonium fuit sibi data indefectibiliter, tamen non habet, nec habere potest usum corporis illius propter peccatum suum; ergo peccatum potest perpetuò prohibere usum, stante potestate in matrimonio*; ergo ex Scoto propter adulterium unius conjugis potest innocens ab eo divertere, & separari quoad torum sine dissolutione vinculi.

Prob. 2. Nam id colligitur ex verbis Christi dicentis, [3] *quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem*. Et antea dixerat, *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*. Hoc enim intelligitur de dimissione quoad torum, ut diximus.

Prob.

[1] *Sess. 24 can.* *d. 30. q. 2. E. 7.*
[3] *Matth. 19. c. 5.*

Prob. 3 ex Conciliis, & sacris Canonibus, ver. gr. ex Conc. Eliberitano c. 9. Milevit. 17. Later. 3. in Append. Agathensi c. 25. & Venetico c. 2. Docent enim divortium licere ex causa adulterii quoad torum, & prohibent illud quoad vinculum. Item ex cap. *Qualis*, ubi Leo I. dicit, quod *in omnibus diebus vitæ, nisi ex consensu, et causa vacandi Deo, propter hominem numquam separanda, et, si fornicata fuerit, dimittenda, sed illa vivente, altera non ducenda*. Et Alex. III. cap. *Significasti*, decernit, quod *si notorium est ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam præfatus vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse*, &c.

Prob. 4. quia conjux adulter frangit alteri fidem, & sic dat causam innocenti denegandi ei debitum conjugale, juxta commune effatum, *frangenti fidem non debetur fides*.

Dixi 1. *verum adulterium*, & reale, seu per consummatam copulam carnalem cum alio, etiam sodomiticam, aut bestialem, ut volunt multi, inter quos Card. Brancatus noster, & quidem hoc videtur verum à fortiori, quia in his fit gravior injuria innocentis.

Dixi 2. *Conjux innocens divertere potest*; sed iste non amittit jus petendi debitum à reo, nec iste liberatur ab obligatione illud reddendi. Et si utrimque fit adulterium, fit compensatio jurium, & injuriarum, & neuter divertere potest. De aliis autem actibus obscœnis, v.g. osculis, tactibus, pollutionibus, &c. hæc non sufficiunt ad divortium.

3. *Conjux innocens*, sive vir, sive mulier: nam quoad hoc in jure sunt æquales, &, ut loquitur August. *Ob concupiscentias sine crimine, et uxorem dimittere, et uxor virum*.

4. *Conjux innocens, si velit*: nam innocens non obligatur ad divortium, sed hoc ei liberum est, ac pœna pro reo, quam innocens potest remittere, & reconciliari, quando voluerit, nec reus potest resistere.

5. *Adulterium voluntarium*: nam si mulier per vim hoc pateretur, non posset vir eam dimittere. Idem est, si ignoranter, sc. putans invincibiliter esse virum suum: nam illa dimissio fit in pœnam, quæ non debetur innocenti.

CON-

CONCLUSIO II.

Potest etiam conjux ab alio divertere ob alias causas, v.g. ob scandalum, si alter trahat eum ad peccatum, vel ob periculum contrahendi morbum lethalem, aut contagiosum, vel ob nimiam sævitiam, vel ob hæresim, & infidelitatem, &c. Est communis quoad omnes partes.

Prob.1. nam Christus dixit amovendas esse occasiones scandali: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum*, &c. ergo à fortiori debet amoveri conjux inducens ad peccatum, & scandalizans.

Prob.2. Nulla est major obligatio, quam cavendi offensam Dei, & æternæ salutis pericula; ergo & recedendi à conjuge inducente ad peccatum.

Confirm. Nam, ut dicemus, potest quis discedere à conjuge ob evidens periculum salutis corporalis, v. gr. si laborat morbo contagioso, v. gr. lepra, aut peste; ergo à fortiori ob periculum salutis animæ, si sit valdè probabile.

Prob.3. ex Patribus, & Decretis: nam inquit Augustinus relatus cap. *Idololatria*, ex quo intelligitur, quod *propter illicitas concupiscentias..... quaslibet, quæ animam corpore malè utentem à lege Dei aberrare faciunt, & perniciosè, turpiterque corrumpunt, possit sine crimine, & vir uxorem dimittere, & uxor virum, quia exceptam Dominus facit causam fornicationis, quam fornicationem generalem cogimur intelligere*, sc. sollicitatio ad peccatum est gravis fornicatio, proter quam Christus licitum docet divortium, dicens: *Quicumque dimiserit uxorem, excepta causa fornicationis*, &c. Glossa dicit, *idem est, si cogat ad quodcumque peccatum mortale*. Et cap. *Uxor*, eadem Glossa dicit, *fidelis fidelem benè potest dimittere, si compellatur ab eo ad mortale peccatum*. Idem patet ex cap. *Quanto te*; ergo si unus conjugum timeat rationabiliter periculum subversionis ab alio, poterit, imò debebit ab eo discedere quoad torum, & cohabitationem.

Prob.2.p. de periculo vitæ corporalis ex morbo, vel gravi sævitia: nam jure naturali nemo tenetur satisfacere alteri cum tam gravi damno, quale est da-

damnum propriæ vitæ, & morborum illorum. Sed hæc mala imminent conjugi ex morbis contagiosis, & ex nimia sævitia mariti, aut si iste rationabiliter sibi timeat venenum ab uxore, aut si nimium molesta sit ejus cohabitatio propter rixas graves, & frequentes, &c.

Confir. ex cap. *Transmissa*, ubi Gregor.IX. decernit, quod *si vir capitali odio mulierem prosequitur, quòd meritò de ipso diffidat* (uxor) *alicui probæ mulieri custodienda committatur in loco, ubi vir, aut parentes ejus mulieri non possint violētiam inferre.* Et Innoc.III. cap. *Litteras*, dicit, quòd *si tanta sit viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solùm debet illi restitui, sed ab eo potiùs debet amoveri*.

Prob.3.p. de hæresi, apostasia, & infidelitate: nam si propter adulterium carnale, quo unus conjugum violat fidelitatem debitam alteri, potest hic ab illo divertere; ergo multò magis propter adulterium spirituale contra fidelitatem Deo promissam,& debitam.

Confir. Nam ex cohabitatione cum apostata,vel hęretico non minùs imminet periculum perversionis, & peccati, quàm aliunde; ergo ex hoc capite tam licitum est divortium ex parte innocentis, quàm ex alio ullo, imò & debet fieri.

Confir.2. Nam ex dictis,matrimonium dissolvi potest quoad vinculum, quando unus convertitur, altero manente in infidelitate, & conante istum avertere à fide; ergo à fortiori poterit, & debebit divertere ob apostasiam, vel hæresim.

Objic.1. Christus non permittit divortium nisi ob fornicationem, id. adulterium unius; ergo illicitum est ob alias causas. Prob. ant. nam excipit solam fornicationem. *Excepta causa fornicationis*.

Resp. neg.1. ant. Excepta causa fornicationis per viam repudii perpetui, conc. per viam solius divortii quoad torum, neg. ant. Nam Christus ibi agit de lege repudii, quam ipse repudiat, ut patet ex textu, hic autem non solvitur vinculum, ut in repudio illo dicebamus.

Objic.2. ex S. Hieron.[1] cùm Christus dixisset, *non licere dimittere uxorem, nisi ex causa fornicationis, di-*

[1] *in c.9. Matth.*

dicunt ei discipuli ejus, si ita est, grave pondus uxorum est: Quid enim, si temulenta fuerit? si iracunda? si malis moribus? &c. *Tenenda erit istiusmodi? volumus, nolumus, sustinenda est? cùm enim essemus liberi, voluntariè nos subjecimus servituti*, &c. ergo Christus censet non licere divortium ex ulla alia causa præter adulterium.

Resp neg. conf. Nam Hieron. supponit mulierem, de qua loquitur, esse pœnitentem, & ideo eam debere retineri; nos autem loquimur absolutè.

CONCLUSIO III.

Conjux innocens potest divertere quoad torum propria auctoritate in foro conscientiæ, modò certus sit de veritate, sed quoad habitationem debet expectari judicium Ecclesiæ.

Prob. 1. p. Nam supposita certitudine fractæ fidei ab adultera innocens non tenetur in conscientia servare illi fidem; ergo ex se potest illi negare debitum, & ab ea separari quoad torum. Prob. ant. ex Regula, *Frustra sibi poscit fidem ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat*. Nam jus naturæ dictat, quòd mutuo obligari ad idem, si deficit unus, alter non tenetur.

Prob. 2. In casu adulterii potest innocens recurrere ad judicem pro divortio; ergo & ipse potest adultero negare debitum, alioqui reddendo debitum amitteret jus recurrendi, quia per copulam sequentem censeretur reconciliatus.

Prob. 3. Quia nullo jure prohibetur tale divortium, imò videtur conforme dictamini rectæ rationis, nec videntur conjuges tradere se sibi mutuo, nisi sub ea conditione, ut uno frangente fidem, dispensetur innocens ab obligatione reddendi debitum.

Prob. 2. p. Nam separatio quoad habitationem fieri non potest sine scandalo, est enim actio publica ex se pertinens ad externam gubernationem; ergo privata authoritate fieri non debet; ergo ut licitè fiat, debet expectari judicium Ecclesiæ, ad quam spectant materiæ sacramentales.

Confir. 1. Nam si tales separationes fieri possent privata authoritate, quotidie audirentur jurgia, & dis-

sensiones in familiis, singuli prætenderent causas sufficientes, aut eas supponerent, & essent judices in propria causa.

Confir. 2. Nam cùm unus dimitteret alium, vel iste consentiret, & sic licitè fieret, quia neutri fieret injuria, vel iste reclamaret, apud quem, nisi apud legitimum judicem causarum sacramentalium? neuter enim potest esse judex in propria causa.

Prob. 3. ex SS. Decretis. Ex cap *Sæculares*, ubi Concil. Carthagin. *Si antequam apud Episcopos comprovinciales dissidii causas dixerint, et priusquam in judicio damnentur, uxores suas abjecerint, à communione Ecclesiæ, et populi cœtu .... excludantur*. Et cap. *Porrò*, ubi Alex. III. decernit, *prudentia tua cognoscat, quòd si etiam parentela esset publica, et notoria, absque judicio Ecclesiæ ab ea separari non potuit*; ergo multò minùs si causæ separationis sint occultæ, & incertæ, poterunt fieri sine judicio Ecclesiæ.

Confir. ex Glossa: nam sententia divortii est pœna, & pœna debet inferri per judicem. Et cap. *Ex parte*, eadem Glossa dicit, *nemini uxorem suam sine manifesta causa fornicationis licet dimittere*, id. *sine causa probata, et subsecuta sententia*. Idem constat ex aliis; ergo &c.

Prob. denique, si propria authoritate fierent divortia, idem esset pars, & judex, & executor in propria causa, & innocens exerceret vindictam, quam Deus sibi reservat. Unde in lege veteri repudium non fiebat authoritate propria.

Dixi autem, *modo conjux innocens sit certus*, saltem moraliter de crimine consortis: nam pro culpa incerta non datur pœna certa.

Hoc autem supposito, & modò absit scandalum, potest divertere occultè, quoad fieri poterit, ne reum diffamet. Quod à fortiori verum est de aliis causis, v. gr. durioris sævitiæ, & cautelæ contra machinationes, ut provideatur vitæ corporalis securitati.

Objic 1. con. 2. p. cap. *Significasti* Alex. III. decernit, quod *si notorium est mulierem ipsam commisisse adulterium, ad eam recipiendam vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum alia commisisse adulterium*; ergo approbat divortium privata authoritate viri factum. Et cap. *Ex parte*, dicit idem, *nemini licet u-*

xo-

xorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere; ergo ex tali causa id licet.

Resp. neg. utramque conf. 1. quia casus primi capitis non est ad rem: nam mulier illa non curabat recipi à viro, & sic acceptabat divortium. Et in 2. vox *manifesta causa*, significat notorietatem culpæ, ut juridicè probatam, & secutam sententiam, ut dicebamus.

Objic. 2. Quando adulterium, aut sævitia est manifesta, cessat metus scandali; ergo tunc non debet expectari sententia, nec probatio. Prob. conf. Nam præcipua ratio asserendi necessitatem expectandi judicium Ecclesiæ, est vitatio scandali; ergo si cessat illa ratio, sc. metus scandali, cessat ratio expectandi judicium illud.

Resp. neg. 1. conf. & 2. ant. Nam ratio principalis expectandi est defectus jurisdictionis, quæ pertinet ad Ecclesiam, & quam sibi reservat ad vitanda inconvenientia, quæ acciderent, si ab arbitrio privato partis unius penderet executio divortii, & judicium de sufficientia causæ illius.

Cętera de divortio sunt obvia, & facilia apud Casuistas.

QUÆSTIO VI.

De solemnitate, et publicitate matrimonii. An, et qualis esse debeat, ut valeat matrimonium, An, et quo jure clandestina matrimonia sint invalida.

PEr matrimonium *clandestinum* intellige illud, quod sine debitis solemnitatibus fit, maximè sine proclamationibus præviis, & sine præsentia parochi, & testium, ratione quorum dicitur fieri in facie Ecclesiæ; in hoc consistit matrimonii *publicitas*.

Certum est autem, quòd hodie, & post Concilii Tridentini publicationem, *propter gravia peccata, quæ ex clandestinis conjugiis oriuntur, Concilii Lateranensis vestigiis inhærendo, præcipitur, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium parocho tribus continuis festivis diebus, in Ecclesia, inter Missarum solemnnia publicè denun-*

tie-

tietur, inter quos matrimonium sit contrahendum. Quibus denuntiationibus factis, si nullum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur. (Potest tamen Episcopus dispensare in denuntiationibus ex causa.) *Qui aliter, quàm præsente parocho, vel alio sacerdote, de illius parochi, vel ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum inhabiles omninò reddit, & tales contractus nullos, & irritos esse decernit, prout eos præsenti decreto facit irritos, & annullat*. En igitur solemnitates, & publicitatem jam necessarias ad valorem hujus sacramenti, & defectu quarum dicitur clandestinum, & nullum.

Certum 2. tales solemnitates non fuisse necessarias ad valorem sacramenti ante præfatum decretum. Nam inquit, *Dubitandum non est clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit, et eos anathemate damnat, qui ea vera, & rata esse negant*.

Igitur duplici ex causa matrimonium dicitur clandestinum. 1. si denuntiationes non præmittantur. 2. si non fiat coram parocho, & testibus. In 1. potest dispensari, non in 2. Restat videndum, quinam illorum defectuum invalidet sacramentum; & an semper fuerint prohibita, & quo jure potuerit Ecclesia sic illa irritare matrimonia clandestina.

CONCLUSIO I.

Matrimonia semper fuerunt prohibita, non jure naturali stricto, nec divino, sed Ecclesiastico, non tamen fuerunt invalida ante decretum Concilii Tridentini.

Prob. 1. Non ex Scoto (quia suo tempore non extabat decretum, nec de hoc disputabatur) sed ex SS. Decretis, cap. *Aliter*, Evaristus, qui sedebat an. 110. *A patribus accepimus, & à SS. Apostolis, eorumque successoribus traditum invenimus, non fit conjugium, nisi ab his, qui super fœminam ipsam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus, et propinquioribus sponsetur, et* suo

sua tempore, sacerdotaliter, ut mos est .... à Sacerdote benedicatur; ergo non solùm ab initio 2. sæculi, quo regnabat iste, sed à tempore Apostolorum non fiebant conjugia clandestina, sed coram propinquis, parentibus, & Sacerdote. Et cap. *Nullus*, in Concilio Arelat. I. an. 310. *Sine publicis nuptiis quisquam nubere, vel uxorem ducere præsumat*. Et cap. *Sponsus*, Concil. Carthagin. IV. an. 396. jubet sponsum, & sponsam à paranymphis, aut parentibus *offerri benedicendos à Sacerdote*. Et cap. *Nullus*, Hormisdas, *Nullus fidelis occultè nuptias faciat*. Et cap. *Qualis*, Leo IV. an. 855. *Virgo casta, et desponsata in publicis nuptiis, et in conjugium liquidè sumenda*, &c. Et cap. *Nostrates*, Nicol. I. an. 867. *Ambo conjuges ad nuptialia fœdera perducuntur, et primò quidem in Ecclesia Domini .... per Sacerdotem, benedictionem, et velamen cæleste suscipiunt*. Et in Concil. Lateran. III. & IV. an. 1180. & 1215. idem præcipitur, ut testatur Trident. cit. ergo ab initio, & ex perpetua praxi Ecclesiæ conjugia debent publicè celebrari coram Sacerdote, & hoc patet de jure Ecclesiastico.

Probat. 2. p. Quia nullibi apparet quidquam de jure Divino determinatum circa hoc, neque de jure naturæ stricto: non enim id patet ex terminis, nec est principium practicum primum, neque ex ullo tali principio evidenter, & immediatè deducitur. Denique præsentia parochi non requiritur inter infideles, quia non habent parochos, sed apud illos viget jus naturæ; ergo &c.

Confir. Nam si publicitas matrimonii præciperetur jure Divino, vel naturali stricto, nulla matrimonia clandestina umquam valuissent inter fideles, vel infideles in lege naturæ, vel scripta, nec inter Christianos ante Concilium Trident. Sed sub pœna anathematis credendum est illa valuisse, ut patet ex decreto; ergo &c. Prob. maj. Nam in nulla lege potuit dispensari à jure Divino, vel naturali stricto.

Prob. 3. p. De jure Ecclesiastico ex dictis pro 1. p. quibus constat de illo jure à tempore Apostolorum.

Prob. 4. p. Quod ante Trident. publicitas ista non esset necessaria ad valorem: nam ibi definitur, quod antea valuerunt matrimonia clandestina.

Objic. 1. Decretum Tridentini invalidans clandesti-

na, fundatur in malis, quæ ex illis sequebantur; sed jus naturæ prohibet illa mala; ergo & illa matrimonia, sicut & eorum causas.

Resp. dist. maj. Quæ sequuntur per accidens, conc. per se, & velut ex causis necessariis, neg. maj. & cons. Nam mala illa sequebantur ex illis matrimoniis per accidens, & ex malitia humana, ut patet: nam si homines essent fideles in matrimonio semel, & privatim contracto, ut possent, & deberent, non sequerentur adulteria, concubinatus, polygamiæ simultaneæ, &c. Adde, quod hæc non semper, nec in omnibus accidunt.

Objic. 2. Recta ratio ex natura matrimonii dictat; ut in communitate sciatur, qui sint veri conjuges, & filii legitimi, & parentes eorum, & ne pro libitu possint conjuges separari ab invicem, nec nova inire conjugia. Ideo inter barbaros solent publicari; ergo ex jure naturæ præcipitur publicitas matrimonii.

Resp. dist. ant. Dictat ex congruentia, & mediatè, seu remotè, con. directè, & immediatè, & ex necessitate absoluta, neg. ant. Alioqui sicut nullam virtutem, nullumque præceptum habemus, quod sit contra dictamen rectæ rationis, sic omnes leges, & actus non mali essent de jure naturæ, & omnia peccata essent contra naturam.

Objic. con. 4. p. Evaristus dicit matrimonia clandestina non esse legitima, sed adulteria, vel contubernia, stupra, fornicationes; ergo jam ab initio, & ante Concil. Trident. illa non erant valida.

Resp. neg. conf. Nam Papa sic ea vocat, non ob invaliditatem, sed ob peccatum, & inobedientiam sic contrahentium, & ea dicit illegitima, id. illicita, & contra leges prohibentes quidem, sed non irritantes.

Inst. ex Regulis juris, *Quæ fiunt lege prohibente, pro infectis habentur*; sed per nos illa conjugia fiebant lege prohibente; ergo pro infectis habenda erant.

Resp. neg. maj. Nam contra illam Regulam facit ista, *Multa fieri prohibentur, quæ facta tenent*. Aliud est de factis contra legem prohibentem, & irritantem, qualis est nunc ista.

Inst. cap. *Videtur nobis*, dicitur, *quod contra dictum, et ordinem Ecclesiæ factum est, tamquam inordinatum,*

ra-

ratum non haberi, tam divinæ, quàm humanæ legis proclamat authoritas; sed illa matrimonia fiebant contra ordinem Ecclesiæ; ergo non erant rata.

Resp.dist. maj. Non haberi ratum, id est licitum, & approbatum, con. id est validum, neg.maj. nam 1. *Ratum* ibi non significat validum, sed licitum, & laudatum. Igitur de 2. Matrimonio durante primo, seu de polygamia simultanea ideo jubetur vir redire ad primam uxorem. 3. ita interpretandum esse illud decretum, docet Decretum Concilii, quo declarantur valida fuisse illa matrimonia.

CONCLUSIO II.

Ecclesia non solùm potuit, sed etiam debuit justissimis de causis irritare matrimonia clandestina.

Prob. ex eodem Concilio, *si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimoniorum dirimentia, vel in iis constituendis errasse, Anath. sit.* Nam idem est de hoc impedimento, ac de aliis.

Confir. Nam nisi sic dicamus, dicendum esset Ecclesiam in hoc Concilio generali errasse, quod esset hæreticum.

Prob.2.p. Nam motiva Ecclesiæ fuerunt urgentissima: non enim poterant aliter vitari gravissima peccata in Deum, & in politia civili: v. g. polygamiæ enormes, adulteria, concubinatus, dissidia, & perturbationes familiarum, & alia hujusmodi; ergo &c. prob. ant. nam illa matrimonia, & abusus prohibentur gravissimè legibus divinis, & humanis, imò & naturalibus: & Ecclesia videbat, *prohibitiones illas propter hominum inobedientiam non prodesse*; ergo debuit illa matrimonia irritare, ne sub eorum prætextu fierent illa peccata.

Objic.1. con. 1. p. Ecclesia nihil potest mutare circa essentialia Sacramentorum; v. g. circa materiam, & formam, sed si decretum hoc circa matrimonia valeret, mutasset essentialia Sacramenti; ergo &c. maj. patet ex dictis de Sacramentis in genere. Prob. min. Sacramentum hoc decernitur invalidum in forma, in qua valebat: sed hoc fieri non potest sine mutatione in essentialibus; ergo &c.

Resp. ex dictis. dist.maj. essentialia, v. g. materiam, &

& formam in specie determinatam à Christo, con. determinatam in genere, neg. maj. & conf. Nam in hoc Sacramento Christus instituit pro materia contractum humanum, & personas habiles ad contrahendum: & habilitatem personarum ad contrahendum, & conditiones contractuum reliquit Ecclesiæ, & hæc pro diversitate, & exigentia temporum, & rerum statuit diversas conditiones necessarias ad validos contractus istos, & personas contrahentium, inter quas conditiones statuit publicitatem, & solemnitates prædictas: & sic materia, & forma est semper eadem in genere, quam Christus instituit.

Inst. Ecclesia non potest invalidare materiam, aut formam aliorum sacramentorum: v. g. aquam pro baptismo, vel panem triticeum pro Eucharistia, &c. ergo nec materiam contractus, aut personarum conditiones pro matrimonio.

Resp. neg. conf. Quia illæ materiæ sunt merè naturales, & in illa specie sunt determinatæ à Christo. Non ita est de contractibus, quorum valor pendet ex legibus humanis, & hunc voluit Christus pendere à legibus Ecclesiasticis.

CONCLUSIO III.

D*Efectus Episcopi, aut parochi, aut sacerdotis ab eis deputati, & testium facit matrimonium clandestinum, & nullum; nec ab ista publicitate dispensari potest, benè vero à publicitate proclamationum.*

Prob. 1. & 3. p. ex eodem Concilio. Nam clausulam irritantem non adhibet nisi pro præsentia parochi, & testium; denuntiationum dispensationem relinquens arbitrio Episcopi; ergo solus defectus parochi, & testium irritat matrimonium, non autem defectus denuntiationum. Prob. ant. ex textu, nam de denuntiationibus dicit, *nisi ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes omittantur*. Quoad parochum vero dicit, *Qui aliter, quam præsente parocho .... & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos facit*, ergo Concilium non irritat matrimonia præcisè, nisi defectu parochi,

chi, & testium; non defectu denuntiationum.

Prob. 2. Nam proclamationes non instituuntur præcisè ad publicitatem, sed ad detegenda impedimenta, si quæ sint; *si nullum legitimum opponatur impedimentum*, inquit, & satis erit publicum supposita sola præsentia parochi, & testium; ergo sola præsentia parochi, & testium est essentialis; non autem proclamationes. Et idem confirmant plures S. Congregationis declarationes, quibus decernitur matrimonia defectu proclamationum præcisè, non esse invalida.

Prob. 2. p. nam Concilium nulli relinquit hujus dispensationis facultatem, sicut de proclamationibus. Ideo licentia in his dispensandi excludit dispensationem in aliis, quia, *Exceptio firmat regulam.*

Dices, saltem in casu necessitatis, posset valere testimonium sine parocho: v. g. instante morte, & absente parocho, ut provideretur famæ mulieris, & filiorum educationi, ac legitimationi; nam isti testes viderentur sufficere ad publicitatem contractus moribundi cum fœmina concubina, nam in his, & similibus casibus cessat finis legis, & propter instantem mortem cessat periculum malorum, propter quæ posita est.

Contra. Nam lex irritans eodem modo loquitur ubique de hoc impedimento, & de aliis: sed in aliis, casus, & instantia mortis non dispensat; ergo nec in isto. Video tamen plures Theologos dicere in his casibus valere matrimonium per Epikeiam, interpretando mentem Concilii non fuisse hæc irritare cum tanto rigore in casibus tanti momenti. Sic tenet Rossignolius post alios.

Objic. 1. Pro casibus necessitatis Ecclesia providet in aliis sacramentis: v. g. instante morte, & absente sacerdote, potest fœmina baptizare, in pœnitentia, moribundus habens reservata potest absolvi à quolibet sacerdote; ergo ita debet esse in matrimonio quoad hanc solemnitatem in similibus casibus.

Resp. neg. ant. In nullo casu potest suppleri defectus partis essentialis, qualis est publicitas ista. 2. neg. conf. nam in matrimonio non est necessitas salutis, ut in baptismo, & pœnitentia, ideo in istis Christus permisit aliquas dispensationes; & potest aliter provideri filiis, & famæ mulieris: & moriens potest pœnitere de concubinatu; nec fama illa tanti est momenti,

ut debeat exponi sacramentum sub hoc prætextu.

Objic. 2. Si in contractu publico defuisset consensus internus conjugum, & sic matrimonium fuisset nullum, posset suppleri per solum consensum illorum sine parocho, & testibus, & tunc fieret sacramentum: sed tunc istud esset purè clandestinum; ergo clandestinum aliquando valere potest.

Resp. neg. min. Nam tunc consensus ille valeret ex vi aliarum conditionum præexistentium, & moraliter perseverantium, quæ faciunt publicitatem.

CONCLUSIO IV.

IN regnis, in quibus hoc decretum non fuit receptum, consensus conjugum, aliunde legitimus, & matrimonium non erit invalidum ex tolerantia Ecclesiæ. Est communis.

Prob. 1. ex variis decretis S. Congregationis, quas habes apud Cardinalem Brancatum, quibus declaratur talia matrimonia valere, ubi cōcilium non est promulgatum, vel receptum. Constat autem ex dictis alibi, leges non obligare, nisi promulgatæ sint sufficienter, & acceptatæ.

Prob. 2. Si ex hoc defectu matrimonia in illis Regnis essent irrita, sequeretur ibi Ecclesiam tolerare concubinatus perpetuos, & filios omnes in illis esse illegitimos, & clericos, ac sacerdotes esse irregulares, &c. sed hoc est falsum, & absurdum; ergo &c.

Dixi, *Tolerare*; nam 1. Incredibile est, tot provincias catholicas, & regna nescire hoc decretum concilii, & defectu promulgationis ejus. Si verò non esset promulgatum, valerent ibi matrimonia clandestina æquè, ac ante concilium.

2. Vix credo defectum solum acceptationis talis decreti excusare ab observantia ejus, ita ut valerent talia matrimonia: nec enim puto, quòd liberum sit fidelibus catholicis non acceptare decreta Ecclesiæ facta pro bono totius christianitatis. Quid quid sit: certum est Ecclesiæ tolerantiam sufficere ad excusandos illos populos ab hac lege, & hoc pro bono pacis, aliisque justis motivis. Multa enim sunt toleranda, quando non possunt corrigi sine gravioribus malis, & cùm agitur de multitudine populorum. Et ut di-

cebat Leo I. *circumstant nos hinc mansuetudo clementiæ, hinc censura justitiæ, ut credamus quædam delicta toleranda, quædam verò penitus amputanda* maximè cum timentur ex rigore graviora mala: v.g. schismata, hæreses, &c. Tunc enim temperandus est rigor legum.

Quæres 1. *Quis sit ille Parochus, cujus præsentia hic dicitur necessaria.*

Resp. Esse parochus loci, in quo domicilium habent contrahentes. Nam iste pro tunc eorum curam gerit animarum; ergo ad eum spectat illis administrare sacramenta, & eos pascere spiritualiter.

Quæres 2. *An sufficiat præsentia physica parochi, & testium, si non adsint moraliter, ita ut advertant, & intelligant ea, quæ fiunt.*

Resp. Non sufficere solum præsentiam physicam; sed requiri etiam moralem. Alioqui contractus non esset verè publicus magis, quàm si fieret coram dormientibus. Nam intentio Concili est, ut parochus, & testes possint testificari de illo ad fines vitandæ polygamiæ, & aliorum malorum, quæ ex clandestinitate veniunt, sed non possent testificari, nisi adessent moraliter æquè, ac physicè; ergo &c.

Plura vide apud Casuistas, ubi de impedimento clandestinitatis, sicut & de usu matrimonii, seu, debito conjugali, de quo pauca videntur disputanda inter scholasticos.

DISPUTATIO III.

De sponsalibus.

SPONSALIA sunt quædam Matrimonii præambula, & promissiones ad rectam illius celebrationem, non quidem absolutè necessaria, sed valde utilia. Ideo ad pleniorem matrimonii tractationem hæc particula non videtur omittenda.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sint sponsalia, & quomodo fiant.

SPonsalia dicuntur à verbo *spondeo*, quod est spontanea quædam promissio; unde hic significant quandam futuri matrimonii promissionem: nam olim puella promittebatur viro, & parentes, vel propinqui, vel tutores, qui eam promittebant, dicebantur *sponsores*, & ipsa dicebatur *sponsa*, & vir *sponsus*, & ambo *sponsi*. Aliquando tamen sponsalia sumuntur pro donis, quæ sponsæ fieri solent, ut cum David [1] dicebat ad Saul spondenti ei filiam suam: *Non habet Rex sponsalia necesse, nisi centum præputia Philistinorum*, sc. olim viri coemebant sponsas, & dabant earum parentibus munera pro uxoribus quasi emendis, & ideo David attulerat Saul centum præputia Philistinorum ad obtinendã Michol. 2. Sumuntur pro ipso contractu matrimonii ante consummationem, quod tunc dicitur *sponsalia de præsenti*; Imo & significãt ipsum matrimonium, dum actu celebratur... Propriè, & ut de illis legimus, significant contractum prævium ad matrimonium, qui est promissio matrimonii contrahendi; & dicuntur etiam *matrimonium per verba de futuro*.

CONCLUSIO I.

SPonsalia describuntur futuri matrimonii sensibilis, seu, externa promissio, mutua, & utrimque acceptata inter legitimas personas. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, qui sponsalia dicit esse *promissionem de futuro, quæ non facit indissolubilitatem*. Et ibi omninò supponit, & dicit in hoc consistere sponsalia, & ea non facere matrimonium. Quod etiam docet in Reportatis.

Prob. 2. Nam sic explicatur natura hujus actus, prout communiter à Theologis, & Canonistis usurpatur. Dicitur *promissio*. In hoc convenit cum aliis pactis, & promissionibus. 2. *Futuri matrimonii*; & sic desi-

[1] 1. Reg. 18.

designatur res promissa, & fienda, sc. matrimonium ut contrahendum. 5. *Externa, & sensibilis*, ita ut à compromittentibus percipiatur. 5. *Voluntaria*. Nam si non fiat libere, seu spontè, non erit *sponsio*, nec habebit vim obligandi. 5. *Mutua*. Nam sicut matrimonium petit amborum consensum, ita & sponsio, seu promissio de illo fiendo debet esse reciproca, ut liget utrumque. 6. *Mutuò acceptata*. Hoc enim ipso, quòd promissio est mutua, est etiam acceptata, & nisi singuli gratam haberent promissionem alterius, non repromitterent. 7. Denique *inter legitimas personas*, id. quæ sint capaces promittendi, & exequendi, seu, capaces matrimonii, quòd promittunt se contracturos. Ideo sponsalia non valerent inter Religiosum professum cum fœmina libera, nec inter uxoratum, & virginem. Denique requiritur ad valorem sponsalium, ut nullum habeant impedimentum ad matrimonium contrahendum pro tempore.

Hic ergo habes & naturam, & præcipuas conditiones ad sponsalia valida: de aliis dicemus infra.

Dixi autem, *Pro tempore*, nam possunt fieri inter adolescentes, qui nondum sunt apti ad matrimonium per verba de præsenti contrahendum, & tunc non obligabunt nisi pro tempore, quo pervenerint ad ætatem.

Objic. con. 3. part. Promissio interna jure naturæ obligaret æquè, ac externa; ergo sufficeret ad sponsalia; ergo non requiritur externa, saltem necessariò.

Resp. neg. ant. Nam quia hæc promissio debet esse reciproca, ideo debet esse etiam externa, & sensibilis, ut cognoscatur inter sponsos promittentes, & acceptantes mutuò.

Inst. Promissio interna obligat coram Deo; ergo & hic obligaret sufficienter sponsos in conscientia.

Resp. neg. conf. Nam Deus tam videt actus internos, quàm externos: non ita homines, qui non vident, *nisi ea, quæ parent*, per sensus saltem in statu viæ.

Objic. con. 4. sponsalia fieri possunt per parentes, & quidem in ætate, in qua illi non sunt liberi. Nam puer, aut puella septennis potest spondere; ergo non est necesse, ut promissio sit plenè libera.

Resp. neg. conf. quia illa sponsalia non ligant impu-

beres strictè, nisi cùm pervenerint ad plenam libertatem per seipsos, & liberè consentiant: Imò sufficit, ut si fuerint præsentes, non dissentiant, cùm nubunt de præsenti, quia tunc sunt plenè liberi, & possunt resilire, si adsit ratio.

Objic. con. 5. In aliis pactis sufficit, ut unus promittat, & alter acceptet; ergo & in isto non requiritur mutua promissio: sed sufficit, ut unus promittat nubere, & alter acceptet; prob. ant. in acceptatione promissionis includitur repromissio; ergo &c. prob. ant. non enim hic potest acceptare promissionem nubendi, nisi & ipse velit nubere; ergo &c.

Resp. transf. ant. & neg. 1. conf. Nam de ratione specifica hujus pacti est, ut promissiones sint reciprocæ: nam in isto uterque mutuo agit, & patitur: in aliis verò unus agit, & alter patitur, unus dat, & alter accipit, in matrimonio uterque præbet corpus suum, & agit suo modo. Unde neg. 2. & 3. ant. nam, qui solus promitteret, solus obligaretur, non autem acceptans, qui posset cedere juri per promissionem alterius, & suam acceptationem acquisito.

Objic. 2. Quando unus promittit, & alter acceptat, istius repromissio continetur sufficienter in hac acceptatione; ergo non requiritur promissio mutua, saltem formalis; prob. ant. si vir in matrimonio dicat, *accipio te in meam*. Et ista dicat, *placet*, seu, *accepto*. Hoc sufficit ad matrimonium: sed tunc non adest mutua promissio; ergo & in sponsalibus sufficiet promissio ab uno, & acceptatio ab alio.

Resp. neg. ant. & dist. min. Non adest formaliter, & explicitè, con. æquivalenter, & implicitè, ac virtualiter; neg. min. & conf. quia matrimonium claudicare non potest, nam essentialiter consistit in mutua donatione corporum, & cùm unus acceptat donationem alterius ad finem matrimonii, censetur & ipse consentire, & tradere suum, alioqui alterius donatio vana esset ad eum finem.

Resp. 2. neg. ant. & min. Nam in matrimonio acceptatio alterius necessariò importat consensum in illud, nec ista possunt separari, verba de præsenti id important; in sponsalibus autem potest unus acceptare obligationem alterius nubendi, & nolle se illi ad hoc obligare ex parte sua.

Inst.

Inst. qui promittit, intendit, ut alter repromittat, & se obliget; ergo vel promissio illius non tenet, nec obligat, vel alter etiam obligatur.

Resp.dist. ant. Si promittit sub ea conditione, con. si promittit absolutè; neg. ant. nam si vir promittit fœminæ sub ea conditione, ut ipsa repromittat, certum est eum liberari ab obligatione promissionis, si illa non repromittat: quia deficit conditio, sine qua non vult se obligare: sed si absolutè promittit, absolutè obligatur, quamvis illa nolit se obligare, & ille tenebitur nubere, quando ipsa voluerit, & non vicissim.

CONCLUSIO II.

Licet sponsalia soleant publicè, coram notario, & testibus, aut etiam parocho fieri: valere tamen possunt facta inter solos sponsos, denique publicitas non est necessaria ad valorem sponsaliorum.

Prob. 1. ex praxi, nam ut docet Nicol. 1. c. *Nostrates*, enumerans conditiones in his servari solitas in Ecclesia Romana, addit, *peccatum autem esse, si hæc omnia non intervenerint, non dicimus*; ergo si in sponsalibus omittantur solemnitates solitæ, non peccatur; ergo illa valent. Et Concil. Trident. invalidans matrimonia clandestina, nihil quoad hoc decernit de sponsalibus.

Prob. 2. quia nec ipsa sponsalia sunt necessaria ad matrimonium; ergo à fortiori hæc valebunt sine solemnitatibus istis.

Prob. 3. quia nulla lege canonica id præcipitur, saltem sub pœna nullitatis. Nec ullibi constat de illa; ergo &c.

Confir. Nam ex sponsalibus clandestinis non sequuntur inconventia, ob quæ matrimonia clandestina irritantur, non oritur polygamia, nec adulteria, nec concubinatus, nam post sponsalia valida validè contrahitur matrimonium cum aliis sponsis, & priora sponsalia per subsequens conjugium dissolvuntur; ergo &c.

Objic. 1. ex cap. *Inhibitio*, Evaristus dicit, *non esse legitimum connubium, nisi ab his, qui super fœminam dominationem habere videntur*, & à quibus *custoditur, uxor petatur*; ergo desponsatio per petitionem

nem fęminæ in uxorem, non valet sine sponsalibus. Et cap. *Nostrates*, cit. Matrimonia *post sponsalia, quæ futurarum nuptiarum sunt promissa, fœdera quoque consensu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum potestate sint, & postquam Arrhis sponsam sibi sponsus desponderit*; ergo Ecclesia præcipit solemnitates, & publicitatem sponsaliorum, ut valeant.

Resp. neg. cons. Nam Evaristus loquitur de conjugio, non de sponsalibus, & nihil ibi præcipit sub pęna nullitatis. Nicolaus autem, ut diximus, narrat solùm Bulgaris ea, quæ usitantur apud Romanos in conjugiis, imò & dicit ea posse omitti sine peccato; ergo & sine nullitate.

Inst. *Ubi est eadem ratio, ibi esse debet eadem juris dispositio*: Sed est eadem ratio pro sponsalibus, & pro matrimoniis clandestinis; ergo utraque sunt invalida ex jure.

Resp. neg. min. quidquid sit de maj. nam longe differunt sponsalia, & matrimonia quoad rationem publicitatis, ut dicebamus.

Inst. 2. Canonistæ cap. *cum inhibitio* cit. docent prohibitionem matrimonii clandestini extendi ad sponsalia; ergo est eadem ratio, & juris dispositio de utrisque.

Resp. neg. cons. 1. quia licet quidam ita sentiant, plures tamen tenent contrarium. 2. Quia illi scribebant ante Concil. Tridentini decretum, quo irritantur matrimonia clandestina, non verò sponsalia, quia sc. ex istis, si fiant clandestinè non sequuntur mala, sicut ex talibus conjugiis. Et sic non erat eadem ratio de illis, ac de istis, nec ideo debuit esse eadem juris dispositio.

Igitur sponsalia privatim facta sunt valida, licet illicita.

Quæres, *cur sponsalia impuberum valeant, non autem alii contractus facti in minoritate*.

Resp. id esse ex dispositione juris, ex ratione naturali, & æquitate, tum quia sponsalia non sunt propriè contractus, tum quia sunt maximè favorabilia: natura enim magis inclinat ad nuptias, quàm ad alios actus civiles, & politicos: ideo jura non eodem modo disponunt de sponsalibus, ac de aliis contractibus. Adde, quod sponsalia faciliùs dissolvantur, quàm alii contractus.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

De consensu requisito ad sponsalia. Quæ libertas, ætas, & aliæ conditiones ad ea requirantur.

IAm diximus promissionem, quam important sponsalia, debere esse mutuam, & voluntariam. Ita est de consensu, & acceptatione; sc. debent esse libera, non coacta, libertate requisita ad alios actus morales, ut imputentur, sed magis ex professo de hac conditione hic disputamus: de reciprocitate, & acceptatione sensibili nihil restat dicendum, benè verò de ætate, & habilitate contrahentium.

CONCLUSIO I.

COnsensus sponsorum coactus, aut metu extortus invalidat sponsalia.

Prob. 1. ex SS. Decretis. Nam cap. *ex litteris*, dicitur *de puero annorum* 10. *cui voluntate parentum potiùs, quàm de sua, desponsata fuit puella quædam* 12. *annorum, & in domum patris pueri deducta*. Decernit Pontifex, quod, *si puella nolit expectare complementum ætatis pueri, sponsalia solvantur*. Sed non apparet alia causa talis solutionis præter defectum libertatis puellæ; ergo ille defectus invalidat sponsalia.

Prob. min. tum ex ipso textu dicente, quod *nolens, & invita, minis parentum impulsa, moram fecit per annum*. Et addit Pontifex, quod, *si commonita, ut donec compleat puer an.* 14. *expectet, non duxerit expectandum, libera ei facultas detur, ut ducat alium virum*. Et Glossa dicit, quod *sponsalia illa non tenuerunt*, & in casu dixerat, quod *sponsalia per vim contracta non tenent, & ideo datur huic licentia contrahendi*, tc. cum alio.

Confir. quia licet sponsalia minùs ligent, quàm matrimonium, tamen aliunde nocent libertati sponsorum, qui ex humanis respectibus, & metu parentum eorumdem non audent resilire; ergo meritò irritantur sic contracta.

Objic. 1. Actiones ex metu non sunt simpliciter

involuntariæ, sed secundum quid, & non invalidant alios contractus; ergo nec sponsalia.

Resp. neg. cons. Nam, quidquid sit de aliis contractibus, sufficit, quòd iste, & ipsum matrimonium petunt plenam libertatem, & debent fieri ex amore sponsorum, non ex voluntate aliena, ob inconvenientia gravissima, quæ accidunt inter conjugatos defectu amoris mutui. Ideo inter omnes contractus humanos, maximè in istis requiritur plena libertas. Si autem cessante metu, & causa ejus, sponsi consentiunt, aut si metus non fuerit vera causa horum contractuum, tunc sponsus, & sponsa tenentur in conscientia stare promissis.

CONCLUSIO II.

Ante annum septimum ætatis completum non valent sponsalia, bene verò si fiant post illam ætatem adeptam, licèt ante pubertatem.

Prob. 1. quoad utramque p. ex decretis Apostoli. [1] Nam, cap. *Accessit* Alexander III. decernit, quòd, si puella non esset septennis, cùm desponsata fuit, validum fuit matrimonium Petri cum Matre puellæ, quia sc. invalida fuerunt sponsalia cum puella filia; sic enim fuit sine impedimento publicæ honestatis, quod non nascitur nisi ex sponsalibus validis. E contra verò, matrimonium istud non valuisset propter tale impedimentum, quod adfuisset, si sponsalia viri cum puella filia valuissent; ergo censet Papa, quòd sponsalia valent post septennium ætatis completum, & non ante. Idem constat ex cap. *Duo pueri*. Ubi Clem. III. decernit, quòd sponsalia ante septimum annum tam maris, quàm fœminæ sunt nulla pro tunc; sed, si postquam attigerunt illam ætatem, consentiunt, contrahunt impedimentum publicæ honestatis, nec possunt licitè resilire, quia per posteriorem hunc consensum validant sponsalia, quæ tamen postea solvuntur, si contrahant per verba de præsenti cum aliis; ergo sponsalia non valent ante septennium, benè verò deinceps, & ante pubertatem.

Prob. 2. quia hæc decernuntur pro libertate contra-

[1] *de Sponf. imp.*

trahentium, seu libertas non censetur perfecta ante annum septimum completum; ergo ante illum non valent sponsalia, benè verò deinceps.

Dixi annum 7. completum. Nam licet pauci dies, probabile est, ut multi tenent, non valere sponsalia, nec inducere illud impedimentum. 1. Quia id colligitur ex decretis citatis *Desponsationes, & matrimonia ante septem annos fieri non possunt*, inquit Alex. III. non caret tamen probabilitate opinio dicentium, quod si desint pauci dies de anno septimo; non sunt invalida ex regula juris; *Quod parum distat, nihil distare videtur*. Et in moralibus, *parum pro nihilo reputatur*. Et cap. *juvenis* Eugen. III. decernit sponsalia viri cum puella nondum septem annorum (sc. completorum) fuisse valida.

Objic. 1. con.1. p.Ideo canones volunt septennium, quia regulariter non priùs adest usus rationis, sed potest adesse ante septennium completum; ergo ante illud valent sponsalia. prob. min.sæpè *malitia supplet ætatem*; ergo &c.

Resp. dist. maj. Ideo ita ut ob motivum illud ita decreverit Ecclesia generaliter, & absolutè: con. ita ut noluerit obligare generaliter; neg. maj. & cons. Nam leges non attendunt ad casus raros, sed ad eos, qui ordinariè occurrunt, & non patiuntur interpretationes, quando loquuntur absolutè, & determinatè ut hic, sanè in hac re gravissima sæpiùs contra veritatem facti fierent sponsalia invalida, & infantibus tribueretur, quod non habent; scil. anticipatus usus rationis.

Inst. ad matrimonium potest præveniri ætas taxata in jure, si malitia suppleat ætatem; ergo à fortiori hoc licet pro sponsalibus.

Resp. neg. cons. Et disparitas est, quia leges non tam strictè determinant ætatem debitam pro matrimonio, sicut pro sponsalibus, ideo dant locum interpretationi pro illo, & non pro istis: Tempus matrimonii taxatur ex habilitate ad generandum, quæ in istis est promptior, & in aliis tardior, & habet signa certa, & visibilia: non ita est de rationis usu, ac libertate,quæ potiùs tardat, quàm præveniat ætatem.

Objic. 2. ex cap. Juvenis cit. patet,quòd sponsalia puellæ nondum septennis fuerunt valida, quia indu-

xe-

xerunt impedimentum publicæ honestatis; ergo non requiritur ille annus completus.

Resp. neg. ant. Non enim dicitur absolutè fuisse nuda sponsalia, sed matrimonium: saltem de hoc dubitabatur, ideo dicit Eugenius. *In his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus. .. quia & illius uxor fuisse dicitur, tum propter dubitationem mandamus*, &c. Et supra dixerat, *Juvenis quidam puellam nondum septennem duxerat*; ergo non erant nuda sponsalia, sed matrimonium, quo puellam habuerat ut uxorem. Unde *cum illa tentavit, quod complere non potuit*.

Denique dubitabat an esset verum matrimonium, ideo Papa decernit non potuisse illum juvenem postea nubere cum puellæ mortuæ consobrina.

Dubitabatur præterea, num post completum septennium puella consenserit in sponsalia præcedentia, & an per consensum ad tales conatus pro consummatione transierint in matrimonium de præsenti. Ideo dicit canon; *Quia conjux illius fuisse dicitur.*

Colligis autem, quòd de mente Ecclesiæ, ex sponsalibus validis nascitur impedimentum publicæ honestatis, non autem ex invalidis. De quo infra.

QUÆSTIO III.

De effectu, & solubilitate sponsalium.

Quæritur hic, quam obligationem pariant sponsalia inter sponsos? An in foro interno, vel externo teneantur nubere in tempore præfixo: & an peccatum alterius illorum cum tertio sit verum adulterium? Item an, & quomodo sint solubilia.

CONCLUSIO I.

Sponsi tenentur in conscientia, & sub peccato mortali implere promissum, & nubere, & ad hoc possunt compelli in foro externo. Est communis.

Prob. 1. ex SS. Decretis cap. *Ex litteris* Alex. III. decernit, ut vir, qui juraverat contrahere, ad id compellatur per censuras, nisi adsit impedimentum, & *puellam in uxorem recipiat, & maritali affectu pertractet.*

tractet. Mitius tamen decernit Lucius III. cap. [1] *Requisivit* dicens, quòd mulier, *quæ renuit nubere, & se nupturam cum juramento affirmavit... cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potiùs, quàm cogenda*. Sed Glossa notat, quod *prius monenda est, & nisi acquieverit, postea compellenda*. Et infra, *potiùs monenda*, id est, *priùs monenda*, &c. *Postea movenda propter juramentum*. Et cap. *Desponsatam* dicit Eusebius. *Desponsatam puellam non licet parentibus alii viro tradere*. Et cap. *de conjugali* idem graviùs prohibetur: nam cum quæreretur à Syricio, *si puellam desponsatam uni possit alter in matrimonium accipere?* respondet, *Tale connubium anathematizamus, & modis omnibus, ne fiat prohibemus*; ergo sive sponsalia sint jurata, sive non, semper debent impleri, & hoc sub gravi peccato. Fortè tamen Syricius supponit fuisse desponsatam per verba de præsenti, & sic fuisse matrimonium ratum, sed priora decreta non patiuntur hanc interpretationem.

Confirmatur ex cap. *Si qui*: Ubi Concil. Eliberit. decernit, quod, *si partes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineant se à communione*, quod intelligendum est de sponsalibus factis ex mutuo consensu, imo & si non consenserint, *debent tamen dare operam, ut impleantur*, ait Glossa. Et Bonifac. VIII. cap. *si infantes* statuit quoad filios, pro quibus parentes sponsalia contraxerunt, si ipsi filii *expressè consenserint, vel tacitè.... obligantur*. Et August. cap. *Duobus* dicit, *si aliquis alicui mulieri fidem fecerit pactionis, non debet aliam ducere, si aliam duxerit, debet pœnitentiam agere de fide mentita*; ergo obligatio servandi fidem in sponsalibus datam est gravis, & sub peccato mortali.

Probatur 2. de contractibus, maximè de onerosis oritur obligatio ex justitia, & fidelitate, & quidem sub mortali in materia gravi: sed sponsalia sunt contractus mutuus, & onerosus in materia gravissima; ergo obligant sponsos sub mortali, & maximè in foro conscientiæ.

Confirmatur. Nam si sint firmata juramento, obligant sub novo titulo, sc. Religionis, ut constat ex cap. cit. *Ex litteris*.

Prob.

[1] *de sponf.* 10.

Prob. 2. p. de foro externo, nam c. mox cit. præcipitur, ut, si post monitionem sponsus *ille non acquieverit, Ecclesiastica censura compellatur, ut ipsam uxorem accipiat*. Et idem Papa statuit de quibusdam fœminis, ex quarum culpa non tenuerunt sponsalia, nec perfecta sunt matrimonia, ut eis pœnitentia injungatur (scil. in foro externo) antequam eis permittatur nubere aliis: quippe ex Concil. Trident. causæ matrimoniales spectant ad judices Ecclesiasticos.

Objic. 1. cap. ex litteris Sylvani, cit. Papa loquitur tantum de sponsalibus juratis; ergo si non sint jurata, non ita ligant. Prob. ant. Ratio ejus est, quia *periculosum est venire contra juramentum*, non dicit; *contra promissum, aut fidem*. Et glossa dicit, quod non compellitur ex vi sponsalium, sed propter juramentum; ergo &c.

Resp. neg. conf. nam licet verba illa explicitè sint de sponsalibus juratis, non tamen excludunt alia, nam semper ista habent rationem sponsaliorum, & ut talia inducunt impedimentum publicæ honestatis, non autem ratione solius juramenti, sicut alii contractus ligant, licet non sint jurati. Quod etiam patet ex aliis decretis citatis, quæ non loquuntur de juramento.

Objic. 2. Qui sponte promittit nubere, potest nolle se obligare graviter, nec in conscientia, nec sub gravi peccato; ergo sponsalia per se non sic obligant. prob. ant. nam id pendet à contrahentis arbitrio. Patet etiam conf. vix enim ullus intendit ita se ligare.

Resp. dist. ant. potest alio contractu, quàm sponsaliorum con. contractu sponsaliorum; neg. ant. & conf. nã iste contractus ex natura sua talis est, ut sic obliget.

Inst. In aliis contractibus gravitas rei non impedit, ne leviter promittatur; ergo nec in isto.

Resp. dist. ant. cessante præjudicio alterius, con. si adsit præjudicium alterius, & quidem grave; neg. ant. & conf. nam qui in isto vellet se leviter obligare, deciperet alium, & peccaret contra leges naturalem, & divinam, quæ non permittunt res tanti momenti leviter tractari; ergo vel non est promissio, quæ sit sponsalia, vel graviter obligat.

Objic. 1. con. 2. p. cap. *Requisivit*, cit. Lucius III. de-

decernit, quòd, *cùm libera esse debeant matrimonia, non coacta*, mulier, quæ cum juramento nubere cuidam viro promiserat, resiliebat, *potiùs erat monenda, quàm cogenda*. Et cap. *præterea*, Innocent. III. dicit quòd *qui de matrimonio contrahendo sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut propositam fidem observent*; ergo sponsi non debent compelli in foro externo ad promissas nuptias.

Resp.dist.cons. Si adsit ratio resistendi: vel si ambo consentiant, con. absolutè; neg. cons. nec enim id intendunt illa decreta, sed tantùm quod priùs monendi, quàm compellendi, sed si monitio non prodest, debet judex compellere subditos ad reddenda promissa, & ad contractus observandos.

Alium effectum habent sponsalia, causant impedimentum publicæ honestatis, sed de hoc infra ubi de impedimentis.

CONCLUSIO II.

Fornicatio *sponsi cum alia persona non est propriè adulterium, nec præcise aliud, quàm fornicatio*. Est communior.

Prob. 1. ex SS.Canonibus: nam cap. *Puto*. Augustinus dicit illum adulterum esse hominem uxoratum, *qui alteri commixtus est fæminæ*. Et cap. *non Mæchaberis*. Isidorus dicit quod *specialiter adulterium facit, qui præter suam ad alteram accedit*. Et sic communiter tam Canonistæ, quàm Theologi definiunt adulterium, actum contra fidem matrimonii, quo vir habens uxorem, vel uxor habens virum alteri, quàm viro, vel uxori commiscetur. Sed sponsus non habet uxorem, nec sponsa virum, nec inter se dederunt fidem conjugalem; ergo si alter peccat cum alio, vel alia, non adulteratur, nec frangit fidem conjugii.

Dixi. *Non esse propriè adulterium*, nam adulterium latè sumptum significat omnem actum venereum, qui committitur inter alios, quàm conjuges. Ut docet Ambros. c. *nemo*, seu, *Quidquid in ea, quæ non est legitima uxor, commissum fuerit.... nec hoc solum est adulterium, cum aliena peccare conjuge, sed & omne, quod non habet potestatem conjugii*. Conclusio autem loquitur de stricto adulterio.

Ob-

Objic. de jure civili, idem est peccatum, quo violatur matrimonium, & sponsalia: sed illud est propriè adulterium; ergo & istud. prob. maj. nam l. si uxor, *in sponsa hoc idem vindicandum, quia neque in matrimonium qualecumque, in spem matrimonii*, (ut sunt sponsalia) *violare permittunt* Imperatores, ergo idem est peccatum sponsorum, & conjugum.

Resp. neg. suppositum, maj. & conf. prob. non enim ex lege civili, sed canonica discernuntur peccata. Potuerunt leges civiles utrisque pœnas easdem decernere, sed canones non ita decernunt, sicut nec jus naturæ. Evidens est, quòd sicut sponsi nondum se sibi mutuò dederunt, sed tantùm promiserunt dare, ideo non sibi faciunt tantam injuriam utentes propriis corporibus, quamdiu sunt magis liberi, sunt quidem aliquo modo adulteria, sed non propriè.

Dixi. 2. *Non esse præcisè aliud, quàm fornicationem*, quamvis gravius peccatum sit ob circumstantiam illam. 2. Potest etiam esse intra speciem stupri, aut sacrilegii, vel incestus, aut adulterii ex circumstantiis personarum, cum quibus peccatur, ut si cum sacerdote, propinquo, virgine, aut persona conjugata.

CONCLUSIO III.

S*ponsalia sunt solubilia variis de causis, maximè ex mutuo consensu sponsorum, si sint puberes.*

Prob. 1. ex SS. Decretis. Nam cap. *præterea*, Innoc. III. dicite de sponsis, quòd *si se adinvicem admittere noluerint, videtur, quod ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & propterea eamdem sibi remittunt, possit in patientia tolerari:* sed contractus societatis ex mutuo consensu dissolvuntur; ergo & iste.

Confir. ex regula juris, *Res omnis per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, nisi aliunde prohibeatur*. Sed sponsalia ex solo consensu mutuo sponsorum nascuntur, & nulla lex aliter disponit; ergo ita dissolvuntur.

Dico, *nisi aliunde prohibeatur*, ut in matrimonio, quod ideo non potest dissolvi, tum ratione Sacramenti, tum ex jure naturali, & positivo; ut vidimus.

Prob.

Probat. 2. Quia nullo jure statuitur indissolubilitas sponsalium. 1. non jure naturali, aut divino, alioqui nulla potestate creata possint dissolvi, nequidem per mutuum consensum; sed hoc est falsum, & contra praxim; ergo &c. 2. nec jure positivo, ut etiam patet. ergo &c.

Dixi autem in conclusione, *si sint puberes*; & ann. ætatis 14. attigerint, quia non prius dissolvi possunt sponsalia per illos inita ante pubertatem, quia sic consulitur immaturitati judicii eorum, propter quam ex levitate sæpiùs ea contraherent, aut solverent, & sic impedimenta publicæ honestatis contraherent, unde si alter pubertatem ante alium attingat, non potest resilire, donec alter attigerit, ut possit validè consentire dissolutioni, ut constat ex cap. *De illis*.

Objic. cap. *Præterea*, patet eam dissolutionem ab Ecclesia non approbari, sed tolerari. *Hoc poterit impatientia tolerari*, inquit Papa; ergo dissolutio non est licita. Prob. ant. Ideo toleratur, quia timetur majus malum, quàm id, quod dicitur tolerari patienter; ergo talis solutio est in se mala, & illicita, licèt minùs mala, quàm inconvenientia, quæ timentur ex necessitate nubendi.

Resp. neg. 1. conf. & 2. ant. Non enim tolerantia semper arguit malum in re tolerata, saltem positivum; sed negativum, quatenus non adeo bona est, ut oppositum, ut in proposito. Ideo Papa dicit, quod sponsi *commonendi sunt, & modis omnibus inducendi, ut datam fidem observent*.

QUÆSTIO IV.

De aliis causis dissolutionis sponsalium, v. gr. de ingressu religionis, & votis castitatis, an per ista solvantur.

CAnonistæ plures modos, & causas examinant, quibus videntur solvi posse sponsalia, præter prædictum consensum mutuum, verbi gratia, si alter ingrediatur Religionem, aut Sacerdotium, aut voveat castitatem, aut nubat cum alio, &c.

CON-

CONCLUSIO I.

Sponsalia licitè solvuntur per ingressum Religionis unius, vel utriusque, modò non sint jurata: Item per receptionem ordinis sacri, aut votum ejus.

Prob. 1. p. ex dictis de matrimonio: nam istud dissolvitur per ingressum illum; ergo à fortiori sponsalia, quia non sunt adeo firma. Prob. ant. ex cap. *Verum*, ubi Alex. III. decernit, quod *etiam altero repugnante, licitum est alteri eligere monasterium.*

Confir. Nam promissio de nubendo includit implicitè conditionem, nisi Deus inspiret statum religionis, aut nisi elegerit statum meliorem, sicut includitur in ipso contractu matrimoniali; ergo adveniente tali conditione, resolvitur promissio.

Dixi, *modo non sint jurata*, quia ratione juramenti videntur strictius ligari, & debere nubere, deinde ingredi religionem, aut implere votum. Id videtur decisum c. *commissum*. ubi Alex. III. dicit, quòd *tutius est ei Religione juramenti servata priùs contrahere, & postea; si elegerit, ad Religionem migrare.*

Verùm Glossa tenet contrarium, sc. *illos non teneri contrahere, tum quia ille intrando religionem non infringit juramentum, quod in melius commutat, & ita tutius est non contrahere.... sine peccato potest intrare religionem, & non contrahere.* Tum quia dici posset, quod etiam in sponsalibus juratis, implicitè continetur dicta conditio, scilicet nisi Deus inspiret religionem, & sic conditione veniente non ligat juramentum.

Quæres, *Quid si sequatur copula, poterunt ne dissolvi sponsalia.*

Resp. Quod ante Concil. Trident. vel ubi non est receptum, non possent ita dissolvi, nec sponsus ingredi religionem, si copula fuisset ex affectu maritali, quia per talem copulam sponsalia transeunt in matrimonium de præsenti. Sed post Tridentinum Concil. & post decretum irritans matrimonia clandestina, non sic transeunt per copulam sequentem sponsalia, & ille posset eligere religionem, sed teneretur compensare injuriam sponsæ illatam. Docet etiam probabiliter Pyrrhinc, cum debere nubere, quia non

pot-

poteſt aliter injuriam violatæ virginitatis, & honoris reparare.

Prob.2.p. Nam profeſſio religionis, & ordo ſacer eſt incompoſſibilis cum matrimonio; ergo hoc ipſo, quòd unus, vel ambo ſponſi intrant religionem, aut ordinem ſacrum, fiunt incapaces nubendi; ergo liberantur ab hac obligatione.

Probat.3.p. eodem modo: nam vota ingrediendi religionem, vel ordinem ſacrum ſunt incompoſſibilia cum matrimonio; ergo & cum obligatione illud contrahendi: nam impoſſibilium nulla eſt obligatio.

Objic. con.1.& 2.p. Deus non acceptat promiſſionem rei alienæ, aut alteri promiſſæ, ſed per ſponſalia (& à fortiori per matrimonium ratum) corpora, & vota ſponſorum, quæ fiunt Deo de ingreſſu religionis, aut ſacerdotii, offeruntur illi res aliis promiſſæ, aut datæ; ergo Deus ea vota non acceptat; ergo non ſolvunt ſponſalia.

Reſp. diſt. maj. alteri datæ, aut promiſſæ abſolutè, & ſimpliciter, conc. datæ, aut promiſſæ ſub conditione, neg. maj. & diſt. min. Offeruntur res promiſſæ, aut datæ ſub conditione, conc. datæ ſimpliciter, & abſolutè, neg. min. Nam in matrimonio rato, & ſponſalibus fiunt ſub conditione, niſi eligatur melior ſtatus, imò & Deus id ſibi reſervat altiori jure, ut diximus.

Objic.2. cap. *Veniens*, imponitur pœnitentia mulieri, quæ voverat religionem poſt ſponſalia; ergo illud votum eſt illicitum.

Reſp. neg. ant. Non enim imponitur illi pœnitentia propter votum illud, ſed quia poſt ſponſalia, & poſt votum volebat nubere alteri. *Mandamus, quatenùs, ſi plus non proceſſit fide ſibi data, & voto violato, congruam ſatisfactionem indicas*; ergo ex mala intentione voverat caſtitatem, ſc. ne cogeretur ſponſo ſuo nubere, nec fidem illi ſervare, nec ipſum votum implere, ſed alteri nubere volebat; ergo id potiùs probat votum poſt ſponſalia valere.

Quæres. *An poſt ingreſſum religionis alter ſponſus, qui manet in ſæculo, poſſet ſtatim alteri promittere, et nubere: An verò teneatur expectare, donec profeſſionem emiſerit.*

Reſp.

Resp. Id quidem verum esse de matrimonio rato, sc. vinculum durat usque ad professionem, & in sponsalibus, qui ingreditur religionem, manet semper obligatus, si alter expectet; sed iste statim fit liber, nec tenetur expectare, quia ille per ingressum, aut votum renuntiat juri sponsaliorum.

CONCLUSIO II.

SEcunda *sponsalia non solvunt prima, etiam jurata, vel cum copula ex secundis secuta, benè verò matrimonium per verba de præsenti, quamvis illicitè factum.*

Prob. Nam stantibus primis, posteriora sunt invalida; ergo per ista non possunt solvi prima. Probat. ant. nam cap. *Ex litteris*, Innoc. III. decernit, quod *sponsalia de futuro solvuntur per sponsalia de præsenti, non autem per secunda de futuro*. Nam inquit Papa; *matrimonium 2. loco contractum, legitimum judices; & ad illud servandum compellas eundem*, & pro 2.p. *Quod si fortè per verba de futuro sponsalia cum utraque (*fœmina *)contraxit, juramentum primum, sicut licitè factum est, ipsum servare compellas, de secundo ei pœnitentiam injuncturus*; ergo secunda sponsalia, stantibus primis, sunt nulla.

Prob. 2. Nam in aliis contractibus, v.gr. venditionis, & emptionis, posteriores non solvunt priores, sed posteriores sunt nulli, si post venditam domum Petro, vendas eandem Paulo, hæc 2. venditio nulla est; ergo ita est de secundis sponsalibus, si primæ fuerunt validæ, postquam Petrus promisit nubere cum Martha, non potest validè promittere nuptias cum Berta.

Hoc verum est ex parte illius, qui frangit fidem: nam si alter velit recedere, liberatur per illam infidelitatem spondentis secundò, sed si nolit cedere juri suo sibi acquisito per prima sponsalia, tenetur ille satisfacere.

Dixi, *etiam jurata*: nam juramentum non potest esse vinculum iniquitatis, nec obligare contra jus, aut rationem, & bonos mores: est enim contra fidelitatem, & justitiam; ergo non facit, ut secunda sponsalia valeant contra prima.

Dixi

Dixi 2. *etiam secuta copula cum secunda sponsa.* Nam licèt olim, & nunc, ubi non est receptum decretum Tridentinum contra matrimonia clandestina, copula in illis locis præsumatur in matrimonium de præsenti, & sic dissolvat priora, tamen nunc, & ex vi talis decreti, id non potest præsumi copula cum secunda sponsa, non liberata vinculo priorum magis, quam ipsa secunda sponsalia. Prob. conf. Nam per illam copulam non contrahitur majus vinculum, quàm sponsalitium, fit quidem injuria illi secundæ, & nova infidelitas primæ; sed nova illa iniquitas non debet præjudicare juri hujus primæ, nec ille debet emolumentum capere ex sua iniquitate; ergo remanet semper ligatus cum prima, nisi hæc velit cedere, ut potest.

Dico, *ut potest.* Nam, ut notavimus, hoc ipso, quod sponsus consensit in secunda sponsalia, prior sponsa potest acceptare solutionem priorum, maximè propter infidelitatem, & peccatum.

Prob. iterum de matrimonio ex cap. *Si inter*, Greg. IX. statuit, quod sponsalia de præsenti non solvuntur per matrimonium sequens, benè verò sponsalia de futuro. Nam *inter sponsos accessit tantummodo promissio de futuro .... si alius mulierem illam sponsaverit per verba de præsenti .... hujusmodi desponsationis intuitu secundum matrimonium non poterit separari*; ergo &c.

Certum est tamen, quod hæc mulier consentiens matrimonio huic, peccavit graviter, & illicitè contraxit, sed tamen validè: nam peccavit contra fidelitatem, & justitiam, imò & contra religionem, si sponsalia prima erant jurata.

CONCLUSIO III.

Si post sponsalia superveniat aliquod impedimentum impediens, vel dirimens, illa resolvuntur.

Prob. 1. ex SS. Canonibus, quibus statuuntur illa impedimenta, de quibus infra: nam sponsalia non obligant contra legem, rationem, aut jura, sed positis impedimentis, illa matrimonia essent contra leges, rationem, & jura, verbi gratia, si sponsus peccaret cum sorore sponsæ, aut ista cum fratre sponsi, & sic de aliis; ergo &c.

Cer-

Certè in casu illo de fornicatione, aut simili, ex tunc Innocens liberaretur quidem ab illa obligatione, non autem reus, qui non posset aliam ducere, si innocens nollet cedere juri suo, reus verò deberet potiùs petere dispensationem ab impedimento, quod spontè incurrisset. Idem est de illo, qui post sponsalia, inscio consorte, castitatem voto simplici voveret: nam instante alio sponso deberet petere dispensationem, ut posset satisfacere fidei datæ.

CONCLUSIO IV.

Fornicatio sponsi, aut sponsæ, etiam violenta, superveniens, sufficit ex parte innocentis ad solvenda sponsalia. Idem est de lapsu in hæresim, vel apostasiam, vel aliud crimen, ex quo veniret infamia, vel dedecus grave.

Prob.1. ex cap. *Quemadmodum*, ubi Innocent. III. statuit, quòd is, qui juravit cum muliere contrahere, eam repellere poterit propter fornicationem supervenientem, non propter præcedentem: nam inquit, *Si post contractum conjugium vir propter fornicationem potest uxorem dimittere, longè fortiùs ante conjugium celebratum, ob eandem causam sponsus potest licitè in suam cohabitationem non admittere sponsam.* Eadem est ratio de sponsa respectu sponsi.

Dixi, *etiam violenta*: nam capit. *Raptor*, dicitur, quod *si sponsus sponsam raptam recipere noluerit, liceat sibi alii nubere, & ipsa eidem crimini non consenserit, licentia alii nubendi non negetur*. Ratio est, quia licèt sponsa si violenter oppressa non peccaverit, tamen inde maculam gravem contraxit, & dedecus, propter quod licet sponso resilire. Sicut si post ingressum religionis, aut professionem egrediatur, quia esset aliquod dedecus viro nubere cum monacha, aut fœminæ cum monacho.

Prob.2.p. de Hæresi,vel Apostasia: est enim fornicatio spiritualis, periculosior, & gravior corporali; ergo si propter istam potest sponsus innocens dimittere reum, à fortiori propter spiritualem.

Confir. Nam ob lapsum unius in hæresim, vel apostasiam potest conjux innocens separari quoad torum, & habitationem; ergo multò magis sponsus.

Prob.

Prob 3. Nam, ut dicemus, mutatio notabilis superveniens uni sufficit ad solutionem sponsaliorum; sed per Hæresim, & Apostasiam fit mutatio notabilis: nam incurrit infamiam, & excommunicationem ex decretis Ecclesiæ, cap. *Placuit*, ex Clem. VII. & *inconsutilem*, ex Innocent. IV. Et c. *cùm ex Apostolatu*, ex Paulo V. ergo &c.

Prob. 3. ex periculo perversionis innocentis per hæreticum, vel apostatam, & propter salutem prolis, quæ posset infici erroribus patris, aut matris.

Probat. 3. p. de crimine ob eandem rationem infamiæ, ac dedecoris, ac mutationis status: nam ex gravi crimine hæc oriuntur; ergo sufficiunt ad solvenda sponsalia.

CONCLUSIO V.

Notabilis mutatio superveniens uni sponso, sive in corpore, sive in moribus, sive in bonis, sufficit ad solvenda sponsalia.

Prob. 1. p. ex cap. *Quemadmodum* cit. ubi Innoc. III. statuit, quòd *si post hujusmodi juramentum mulier fieret leprosa, aut paralitica, vel oculos, aut nasum amitteret, aut quidquam turpius eveniret, numquid vir eam ducere teneretur in uxorem?* Quasi dicat, non tenetur, inquit Glossa; ergo si alterutri accideret aliqua hujusmodi, ex quibus cohabitatio fieret molesta, vel ingrata, vel odiosa, aut unus fieret minus habilis ad onera matrimonii, solvi possent sponsalia. Idem patet cap. *Litteras*, ubi Urbanus III. dicit, quod vir cogi non potest ad accipiendam fœminam, cui post sponsalia supervenit lepra.

Confir. Hæc sufficerent ad divortium à toro; ergo à fortiori ad non nubendum.

Probat. 2. p. Nam mutatio in moribus, ut nimia asperitas unius, vel inimicitiæ graves subortæ inter sponsos, aut eorum parentes, & familias, aut si alter reperiatur sævus, & truculentus, aut ebrietati deditus, &c. talia inquam sufficiunt ad divortium à toro inter conjugatos; ergo à fortiori ad solutionem sponsaliorum, quæ innocens non contraxisset, si hæc scivisset.

Confir. ex decretis citatis; nam hæc mala non mi-

nùs repugnant societati conjugali, quàm ea, quibus concedunt eam solutionem; ergo æquè ad eam sufficiunt.

Probat. 3. p. de mutatione in bonis fortunæ, aut famæ: nam si uni adveniat magna paupertas, ita ut vel mulier non possit habere dotem, aut vir fiat decoctus, & miser, & incapax ferendi onera, & alendæ familiæ, non debent cogi ad nubendum, quia status conjugii esset nimis molestus, & non fuit intentio promittendi nubere in illis circumstantiis: vir non intendebat promittere nuptias fœminæ sine dote, nec illa viro sine bonis, quæ videbatur habere; ergo si hæc desint, deficiunt conditiones, sine quibus non promittebant.

Idem est de gravi infamia. Non enim fuit intentio contrahendi cum persona sic infami. Et hæc vera sunt, sive mutationes illæ de facto advenerint post inita sponsalia in re, vel in cognitione, cùm antea laterent, ac ignorarentur ab altero sponsorum: nam si hæc nota fuissent, alter non contraxisset.

Plures aliæ causæ hujus solutionis habentur apud Casuistas, verbi gratia, longior absentia unius, aut peregrinatio in longinqua: nam sponsus remanens potest præsumere, quod absens renuntiavit juri suo. Et nimia dilatio post tempus præfixum idem facit præsumere innocenti. Item defectus conditionis explicitæ, vel implicitæ appositæ in pactis sponsaliorum. Nam qui est in mora, censetur resilire, & innocens sic potest interpretari, & acceptare resilientiam. Ita est de aliis causis multis, quas longum esset recensere.

Notandum autem, quod quando causæ solutionis non sunt evidentes, aut quando una pars non consentit solutioni, expectandum est judicium Ecclesiæ.

DIS-

DISPUTATIO IV.

De impedimentis matrimonii.

IMpedimenta hæc alia ſunt *dirimentia*, quæ non tantùm prohibent, ne fiat matrimonium inter illos, qui hæc habent; ſed etiam irritant illud, ſi fiat: alia ſunt purè *impedientia*, quibus exiſtentibus prohibetur fieri, aut illicitè fit: ſed ſi fiat, tenet, ac validum eſt. De utriſque hìc agimus, ſaltem de præcipuis, quatenus ſunt in uſu.

QUÆSTIO PRIMA.

An dentur, & quid ſint impedimenta matrimonii, & quo jure ſtatui poſſint.

IMpedimentum, de quo agitur, *eſt aliquid præexiſtens contractui matrimoniali poſitivè, aut negativè, quod illud facit illicitum, aut invalidum jure naturali, aut divino, vel humano*. Dicitur 1. *Præexiſtens*: nam ſi ſuperveniat, non inficit contractum, ſed reddit uſum illicitum, aut vinculum ſolvit, ut profeſſio in religione approbata poſt matrimonium ratum, & non conſummatum. 2. *poſitivè, aut negativè:* nam alia ſunt poſitiva, ut crimen, & votum, alia negativa, ut impotentia. 3. *facit illicitum*, ut impedientia. 4. *vel invalidum*, ut dirimentia. 5. *jure naturali*, ut impotentia, error, &c. quæ juræ naturæ invalidant matrimonium. 6. *vel divino*, ut conſanguinitas in 2. gradu: nam in lege divina irritabat illud. 7. *vel humano*, ſc. eccleſiaſtico, ut raptus, crimen, &c. quæ ex ſola humana lege dirimunt.

Porrò impedimenta *dirimentia* ſunt impedimenta *ſimpliciter*, quæ nec fieri permittunt, nec facta patiuntur ſubſiſtere; alia verò *ſecundum quid*, & *purè impedientia*, per quæ contrahitur illicitè ab his, quæ aliquid tale habent, ſed, cùm facta fuerint, tenent, ſive, ut loquitur Doctor, *impedimentum ſimpliciter, poſt quod ſi fuerit attentatum, nihil fit, non ſimpliciter autem dico prohibitionem quamcumque, præ-*

 pter

pter quam illegitimè fit, si tamen fit, non est irritum.

Dirimentia olim erant 12 per Concilium autem addita sunt duo, & sic hodie sunt 14. & continentur his versibus.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Amens, affinis, si clandestinus, & impos.
Adde duo
Si sponsam rapias, si clandestinus inibis.
Hæ facienda vetant conjugia, facta retractant.

Impedimenta unde prohibentia olim dicebantur 12. vel 14. his versibus latent

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,
Incestus, raptus sponsatæ, mors muliebris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hæc conjugium faciendum.

Quinque priora oriuntur sine culpa, reliqua verò sunt quasi pœnæ aliquot peccatorum in personis nubentibus. Videndum quo jure statuta sint, saltem dirimentia.

CONCLUSIO I.

D*Antur aliqua impedimenta matrimonii ex jure naturæ, aliqua ex jure Divino, & aliqua ex jure humano, seu Ecclesiastico.* Est communis.

Prob.1. ex Scoto, [1] qui enumerat, & explicat illa impedimenta, & distinguit ea, quæ *sunt ex natura contractus*, & per consequens de jure naturæ, & *quæ oriuntur ex statuto Ecclesiæ*, & quædam notat ex jure positivo Divino. Ex statuto Ecclesiæ sunt tantummodò *impedimenta ex parte personarum*. Et de *propinquitate* dicit, quod in omni lege (tam naturæ, quàm positiva divina) *aliqua propinquitas impedivit*; ergo ex Scoto sunt impedimenta matrimonii ex jure naturali, divino, & humano.

Prob.2. de jure naturæ: nam, ut dicit Scotus, certum est aliqua impedimenta oriri ex natura contractus in genere, vel specie; ergo ista veniunt ex jure naturæ. Probat. ant. libertas est essentialis omni contra-

[1] *d.42.M.& N.11.& 12.D.4.*

tractui genericè, & specialiter contractui huic, quo contrahentes sibi mutuo tradunt corpora sua usui ad prolificandum; ergo quod tollit libertatem contrahentibus matrimonium ad sic contrahendum, impedit valorem hujus contractus ex natura ejus. Sed vis, error, metus, & conditio tollunt hanc libertatem, si influant in hunc contractum; ergo impediunt ex jure naturæ.

Probat.2.p. de jure divino: nam, ut dicebamus ex eodem, Deus etiam prohibivit matrimonium inter consanguineos descendentes in linea recta; ergo &c. Prob. ant. Dixit enim Deus, *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ*. Et in Levitico, *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus, scilicet prohibet conjunctionem personarum prohibitarum*, inquit Hugo Cardin. &c.

Probat.3. p. de jure Ecclesiastico: nam certum est, quod impedimenta voti, raptus, & clandestinitatis, &c. non sunt de jure naturali, nec divino, sed de Ecclesiastico, ut videbimus de singulis in particulari.

Igitur Ecclesia illegitimavit plures personas ad matrimonialem statum, vel propter nimiam propinquitatem sanguinis, aut affinitatis inter se, vel propter applicationem specialem ad cultum Divinum, ut sacerdotes, vel propter horrenda quædam crimina, &c. quæ magis patebunt, cùm de singulis agemus. Videamus de potestate Ecclesiæ ad statuenda illa impedimenta.

CONCLUSIO II.

Ecclesia habet legitimam potestatem statuendi aliqua matrimonii impedimenta, etiam dirimentia. Est de fide contra hæreticos negantes hanc potestatem.

Prob. 1. ex Scoto cit. in præcedenti, ubi dicit, quòd *ex statuto Ecclesiæ sunt tantummodo impedimenta ex parte personarum, quia Ecclesia nihil determinavit circa materiam, & formam hujus contractus, sed solum personas aliquas illegitimavit*; &c. ergo censet Ecclesiam habere hanc potestatem, alioqui hoc non attentaret.

Probat.2. ex Concil. Trid. *Si quis dixerit Ecclesiam*

non potuisse statuere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in eis constituendis errasse, anath. sit. Idem definitur in Senonensi.

Probat. 3. ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ ob talia impedimenta irritavit matrimonia plurima, ut contraria legibus suis. Ut Syricus, qui circa an. 385. damnat matrimonia quorumdam monachorum, *quæ publicæ leges, & Ecclesiastica jura damnant*. S. Basilius eadem ratione scribit contra virum, qui sororem uxoris suæ mortuæ duxerat. *Nam*, inquit, *sanctiones istæ nobis à sanctis viris sunt traditæ*. Idem de duobus fratribus sanciebatur in Concilio Neocæsariensi. *Mulier si duobus fratribus nupserit, abjiciatur usque ad mortem. Tamen in exitu, si promiserit, qui si convaluerit, solvet matrimonium, propter humanitatem pænitentiam habebit*; ergo jam ante an.314. impedimentum in 1. gradu affinitatis erat impedimentum dirimens, non autem in lege naturæ, vel Moysi, in quibus Jacob duxit duas sorores, & frater superstes jubebatur ducere viduam mortui, ut illi suscitaret semen.

Similiter votum Religionis ante an.450. impediebat: nam in Hybernia sub S. Patricio irritatur matrimonium Monachæ. Et an.511. in Concil. Aurelian. irritatur matrimonium relictæ presbyteri, aut Diaconi, sc. propter ligamen, quod durabat cum Presbytero, vel Diacono, à quo relicta fuerat propter Sacerdotium. Idem statuebatur in alia Synodo ibidem an.533. Denique pleni sunt libri Decretalium similibus decretis Pontificum, quibus irritantur matrimonia cum variis impedimentis inita; ergo ab initio nascentis Ecclesiæ; & perpetuò statuit impedimenta dirimentia matrimonii, & quidem legitimè.

Confir. ex Principum silentio, vel approbatione; ergo existimarunt jus istud principaliter ad Ecclesiam pertinere, & hoc ipsi confirmarunt legibus suis, ut Canonum Sacrorum executores. Unde legitur in Capitularibus Caroli Magni. *De reliquis verò propinquis, juxta statuta SS. Patrum, & Canonum decreta judicetur*. Et Chilpericus dicebat Episcopo Rotomagensi, qui permiserat Meroveum ducere amitam suam, *O Episcope! An ignarus eras, quæ pro hac causa Canonum statuta sanxissent?* sc. non allegat leges civiles, & tempo-

porales, sed Canonicas pro nullitate talis matrimonii. Hoc autem dicebat coram Synodo Parisiensi an. 577. apud Gregor. Turon. & Pallavicinus narrat in histor. Concil. Trid. quod decretum de impedimento clandestinitatis datum est præcipuè ad instantiam oratorum Regis Christianissimi.

Objic.pro Hæret.ex ipso Conc. Trid. nulla potestas humana potest mutare quidquam circa sacramentorum substantiam; sed si posset Ecclesia statuere impedimenta dirimentia, mutaret substantiam matrimonii sacramenti; ergo id non potest. Prob. min. Nam matrimonium, quod valebat ante illa decreta, irritatur per illa; sed hoc fieri non potest sine mutatione substantiali, sc. mutaretur materia: nam quæ antea valebat, non valeret deinceps; ergo &c.

Resp. neg. 1. & 2. min. & dist. prob. Mutaretur materia in ratione contractus, con. in ratione sacramenti, neg. ant. Nam, ut diximus aliàs, materia matrimonii sacramenti est contractus legitimus civilis, & quandiu contractus ille est validus, tamdiu est materia valida sacramenti. Et quia validitas contractus pendet à legibus humanis, aut canonicis, & istæ requirunt novas solemnitates ad valorem contractus, ita & hoc sacramentum, licèt semper eadem sit ejus materia proxima, sc. contractus validus, qualis exigitur ex Christi D. institutione.

Objic.2. Nullibi constat de hac potestate Ecclesiæ in Scriptura, sed potiùs contrarium; ergo nulla est. Prob. ant. Nam in Levitico Deus determinat personas, inter quas non licebat nubere, & ibi nihil dicitur de gradibus affinitatis, aut aliis impedimentis, quæ asserimus; ergo &c.

Resp. neg. maj. Nam sola Scriptura non est regula fidei nostræ, sed etiam traditiones Apostolicæ, & Ecclesiasticæ, & per istas constat de hac potestate, ut probatum est. Ad prob. ex Levit. neg. conf. tum quia lex Euangelica absolvit nos à jugo legis Mosaicæ, & Christus legem suam commisit directioni Ecclesiæ suæ in iis, quæ noluit per se ipsum determinare. Denique non dubito, quin Deus reliquerit etiam Synagogæ potestatem plura statuendi juxta rerum, & temporum exigentias circa matrimonia, & alias cæremonias legales.

Resp.1. Gretserus, quod fortè Moyses ibi statuit ista authoritate civili, non divina, nec ut promulgator divinæ. Hac inquam statuit ut dux, & princeps illius populi, ad quietem, & incolumitatem ejus.

Resp.2. Moyses impedimenta reduxit ad pauciores gradus, quia temporis necessitas id petebat, ut faciliùs propagaretur populus ille Dei, nunc autem ratio illa cessat.

Objic.3. Matrimonium est contractus purè civilis, & temporalis; sed potestas Ecclesiæ non extenditur ad temporalia, & politica; ergo &c.

Resp. dist. maj. Temporalis materialiter, & remotè, con. formaliter, & proximè, neg. maj. & conf. Nam contractus ille inter fideles ordinatur, & elevandus est ad rationem sacramenti, & quoad hoc cadit sub directionem Ecclesiæ, & est quid sacrum, & spirituale.

Objic.4. Principes nequidem Christiani non recipiunt illa impedimenta ut statuta ab Ecclesia, sed eadem ipsi statuerunt; ergo prætendunt jus illud spectare ad Tribunal civile, & temporale. Prob. conf. Nam si per illas suas leges usurpassent jura Ecclesiæ, hoc illa non dissimulasset: Nam *error, cui non resistitur, approbatur*. Et Ecclesia illis legibus in suis canonibus se conformat. Ideo Leo [1] magnus prohibet servorum matrimonia, invito Domino, *Quia legibus Imperatorum irritantur*. Et Nicolaus I. circa gradus consanguinitatis remittit ad leges. *Quid leges hic sanciunt, jam meminimus*; ergo Ecclesia agnoscit apud principes jus statuendi impedimenta.

Resp. 1. neg. conf. Nam quòd principes statuta Ecclesiæ suis inferant legibus, pietas eorum facit, non æmulatio, sc. ut ad eorum observantiam urgeant subditos, id faciunt, ut canonum protectores, & executores, & huic patrocinio debet Ecclesia blandiri, non resistere, & si aliquando hæ leges illorum allegat in suis decretis, prout statuunt conditiones contractus conjugalis, hunc considerat, non ut sacramentalem, sed ut civilem.

Notandum igitur ex S. Tho. [2] quod *personæ illegitimæ ad contrahendum matrimonium dicuntur ex eo, quòd sint contra legem, qua matrimonium constituitur:*

[1] *Ep.* 82. [2] 4. *d.* 24. *a.* 14.

tur: matrimonium autem, in quantum est officium naturæ, statuitur jure naturæ, in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili, in quantum est sacramentum, statuitur jure divino: ideo ex qualibet dictarum legum naturæ, humanæ, & divinæ, potest persona effici ad matrimonium illegitima. Vides quomodo principes, & Ecclesia concurrunt ad statuendas conditiones, & impedimenta matrimonii secundum diversos respectus, & fines ejus.

Hinc autem colliges, quòd possunt principes sæculares statuere conditiones necessarias ad valorem contractus conjugalis in ratione contractus civilis, non autem directè in ratione sacramenti, quia non se immiscent in rebus sacris, & sacramentalibus. Quod à fortiori verum est de principibus infidelium, & etiam fidelium ante Christum, quia apud eos hic contractus non ordinabatur ad sacramentum, sed erat contractus purè humanus, & naturalis.

Colliges 2. Potestatem statuendi impedimenta hujus sacramenti spectare propriè ad Ecclesiam universalem in Conciliis, vel ad Papam ex cathedra Apostolica loquentem, quia licèt in Synodis particularibus, vel ab Episcopis in suis diœcesibus possint aliqua statui, tamen vigorem firmum non habent, nisi à Papa confirmentur. Unde ex libris decretorum constat, quod ab initio nascentis Ecclesiæ, & undecumque ad illum recurritur in quæstionibus, & causis matrimonialibus, sive pro decisione, sive pro dispensatione impedimentorum.

Certè Concil. Vvormatiense 1. Forojuliense, & Tolet. II. & Parisiense III. statuerunt impedimentum consanguinitatis, quod in Conciliis generalibus, & à Papa fuit confirmatum. Idem est de impedimento affinitatis in Arelat. quod id statuit de noverca, de Arimin. & Parisiensi de privigna, & relicta arunculi, de Vormat. 1. cum filiastra. Et Neocæsar. cum duabus sororibus, & Aurelian. I. de iisdem, ac de uxore fratris,

QUÆSTIO II.

De impedimentis non dirimentibus, an, & quot, & ad quod illa sint.

SUppono dari aliqua impedimenta non dirimentia, quibus stantibus non licet nubere, sed, si fiat, peccatur quidem contra Ecclesiæ præceptum, sed tamen matrimonia facta tenent, qualia sunt ista, *Ecclesiæ vetitum*, seu *interdictum*, *catechismus*, *votum simplex*, *sponsalia*, & *crimen*.

1. *Interdictum*, seu *vetitum*, seu *prohibitum* significat generaliter omnia impedimenta: nam omnia vetant conjugia celebrari, sed specialiter cadit in aliquas personas, quas ob graves causas Ecclesia, vel Episcopus, vel ipse Parochus prohibet nubere in aliquibus circumstantiis, & donec causa examinetur, vel cadit generaliter in personas, etiam habiles, & hoc non ratione sui, sed temporum, in quibus ex Ecclesiæ statuto non decet nuptias celebrare, juxta Concilii Trident. decretum, nempe ab Adventu usque ad diem Epiphaniæ, & à feria 4. Cinerum usque in octavam Paschæ inclusivè, & quidem potiùs prohibentur solemnitates, & circumstantiæ aliquot nuptiarum, quàm ipsæ nuptiæ. Nam anni tempore fieri possunt & sponsalia, & nuptiæ, saltem de licentia Episcopi, ex causa rationabili, modò fiant sine externa sæculari solemnitate, ut sunt convivia, traductio sponsæ cum pompa, &c. Et hoc in versibus significatur per *tempus feriatum*.

2. *Catechismus*, quia Patrinus, qui in baptismo ad januam Ecclesiæ respondet pro baptizando, contrahit cum illo quandam cognationem spiritualem, propter quam prohibetur cum illo nubere. *Per catechismum* (ait Scotus) *qui præcedit baptismum, cognatio spiritualis contrahitur, per quam matrimonium contrahendum impeditur*. Per istam tamen cognationem matrimonium post contractum minimè separatur.

Multi tamen putant, quod hodie post Tridentinum hoc impedimentum non subsistit: nam postquam Concilium determinavit personas, inter quas vult contrahi cognationem spiritualem, isti non reperiuntur.

tur. *Omnibus inter alias personas hujus cognationis spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis*. Agitur quidem de impedimentis dirimentibus, sed idem est de impedientibus à fortiori, quia sunt minoris momenti, & sic declarasse dicitur Sacra Congregatio Interpretum Concilii. Igitur hoc impedimentum non videtur esse ampliùs in usu.

3. *Votum*, sc. simplex, aut *juramentum* castitatis, aut religionis, aut ordinum sacrorum, aut non nubendi: nam isti omnes prohibentur nubere, & si nubant sine dispensatione, peccant mortaliter, & sacrilegè, quia violant votum, aut juramentum.

Quidam distinguunt inter istos, quòd qui vovent Castitatem perpetuam, aut religionem, si nubant, non possunt petere debitum conjugale, benè verò qui voverunt Sacros Ordines suscipere, vel non nubere, quia isti non videntur præcisè vovisse, nisi abstinentiam ab actu contrahendi, vel susceptionem Ordinis Sacri; ideo semel tantùm fregerunt votum, post quod non possunt amplius votum implere: bene verò qui perpetuam voverunt abstinentiam à copula carnali. Sed non video, cur in voto cœlibatus, & Sacerdotis non contineatur abstinentia illa perpetua, quæ continetur in cœlibatu, & Sacerdotio, & Religione.

Saltem id certum videtur, quod mortua conjuge, tenentur vota implere, & ingredi religionem, vel ordines suscipere, aut castè vivere, nisi dispensentur ab illis votis.

4. *Sponsalia*, seu promissio valida nubendi cum determinata persona: nam iste non potest aliam ducere, stantibus primis sponsalibus, & hoc sine peccato mortali contra justitiam, & fidelitatem, imò & contra Religionem, si sponsalia sint cum juramento, nisi adsit causa dissolutionis, ut dictum est.

5. *Crimen*, de quo hìc agitur, non est mors, aut machinatio mortis, aut adulterium unius conjugis sub spe matrimonii cum alio: nam istud est impedimentum dirimens, sed comprehendit multa alia crimina, ut uxoricidium sine animo nubendi cum complici, occisio sacerdotis, incestus cum consanguinea sponsæ usque ad 4. gradum, raptus sponsæ alienæ ad

explendam libidinem, matrimonium cum Monacha sacrilegè attentatum, & alia hujusmodi crimina, propter quæ agenda erat publica pœnitentia: nam hac pœnitentia durante non licebat nubere.

QUÆSTIO III.

De impedimentis dirimentibus, & primò de coactione, seu violentia.

JAm diximus, quòd consensus in matrimonium debet esse utrimque liber, hic quærimus, ex quibus causis cesset esset liber, ita ut sit invalidus.

Suppono autem ex dictis aliàs, quid sit coactio, & quænam requirantur in actu humano, ut dicatur liber. Quid, & quotuplex sit metus, & quomodo impediat, ne actus sit voluntarius, & liber. Hæc faciunt ad decisionem hujus quæstionis, in qua quæritur, an metus illatus per minas graves, & cadens in virum constantem sit impedimentum dirimens matrimonium.

CONCLUSIO I.

COactio ex metu levi non dirimit matrimonium, benè verò ex metu gravi cadente in virum constantem. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto, qui postquam descripsit modos coactionis ex metu, dicit, *quòd cui imminet metus peccati, mortis, vel carceris, secundum rectam rationem, debet dicere verba matrimonialia, quæ exiguntur ab eo, & ex consequenti debet consentire interiùs verbis concorditer, nec tamen per hunc consensum transfert potestatem sui corporis in illum, quia nullus consensus est translativus, nisi merè liber*. Et antè probat ex SS. Canonibus, & ex Scriptura, & ratione, quòd iste contractus debet esse liber à metu cadente in virum constantem; qualis non est metus ex levi causa, sed ex gravi. Lege illum textum.

Prob. 2. ex SS. Decretis: nam cap. *Veniens*, Alex. III. decernit *matrimonium tenere cum fœmina, nisi metu coactus, qui posset in virum constantem cadere, eam desponsaverit*. Et cap. *Consultationi*, Honor. III. in causa mulieris prætendentis se coactam, dicit, *quòd de illato metu est cum diligentia inquirendum, & si talis metus in-*

inveniatur illatus, qui possit cadere in virum constantem, erunt non immerito audiendae; ergo non sufficit metus levis, sed gravis invalidat.

Confir. ex jure civili. Nam l. *Metus* ff. de eo qui metus causa dicitur quod *si quis meticulosus, rem illam frumetuerit, per hoc edictum non restituitur.*

Prob. 3. rationibus Scoti. 1. „ ex causa formali contractus; nam est donatio quaedam, non quidem liberalis, sed essentialiter libera, hoc enim essentiale est omni donationi. 2. ex causa efficiente, nempe Dei, qui talem instituit illam translationem, sc. summè liberam, unde, istud non est ab Ecclesia determinatum, sed tantùm expressum, seu publicatum. Patet enim, quòd etiam in lege naturae istud erat determinatum in contractu matrimonii. Adhaerebit uxori suae, Sed non adhaeret quis illi, quod invitè tenet. Et adducit exemplum de Rebecca, cujus consensum liberum expectarunt parentes ejus, antequam concederent eam pro Isaac. 3. ex parte finis, quae est proles procreanda, ex quo nascitur indissolubilitas vinculi. Sed ad istum requiritur actionem (Corporum) esse simpliciter liberam; quod enim quis non diligit, facile contemnit. cap. praesens; ergo &c.

Objic. 1. Coactio non impedit effectum baptismi; ergo nec matrimonii. prob. ant. nam coactè baptizatus potest cogi ad observantiam praeceptorum; ergo baptismus coactus valet.

Resp. neg. cons. & parit. Nam conditio baptizati fit melior absolutè, & sic quasi passivè se habens adopratur in filium Dei, & mundatur à sorde peccati, sic sufficit, ut se habeat passivè, sine proprio consensu, ut patet in infantibus, qui sunt incapaces omnis consensus: non ita est de matrimonio.

Objic. 2. Per metum non dirimitur matrimonium, nec ut contractus, nec ut sacramentum; ergo nullo modo dirimitur. prob ant. 1. non ut contractus, quia metus non dirimit alios; ergo nec istum. 2. non ut talis contractus, sive, ut sacramentum, quia quoad hoc nihil habet speciale prae aliis: sed alia non irritantur ex metu; ergo si valet, ut contractus, ita & sacramentum.

Resp. neg. ant. nam irritatur in ratione contractus, ob rationes allatas, sc. quia ex ratione sua specifica, con-

consistit in donatione mutua corporum ad prolificandum; donatio autem, & finis ille requirunt plenam libertatem, & necessariò prodire debent ex amore, qui esse non potest sine libertate, & nihil magis nostrum est, quàm corpus nostrum. Hoc etiam speciale est in isto contractu, quòd alii rescindi possunt authoritate principis, si partes in illis lædantur, vel ex mutuo illarum consensu; hic verò est prorsus indissolubilis; ergo plus exigit libertatis, ut fiat validè.

Objic. 3. Metus non magis cogit, quàm promissiones & blanditiæ: sed ista non cogunt, sed tantum inducunt; ergo & minæ non cogunt; ergo non magis irritant per metum, quàm blanditiæ, aut promissiones per spem, aut desiderium.

Resp. neg. maj. nam inductio per minas, & metum plus habet de involuntario: voluntas enim odit objectum, v. g. personam, & media ipsa, seu mala, quorum metu fit inductio: blanditiæ verò placent, & alliciunt, non impellunt. Minæ irritant, & displicent; promissiones, & blanditiæ excitant ad amorem, & sic augent libertatem.

Objicies 4. cap. *Sicut nobis*, Innoc. III. decernit hominem cogendum esse ad observantiam regulæ, quam infirmus, & credens se moriturum, & metu mortis voverat: sed non major requiritur libertas ad matrimonium, quàm ad professionem validam; ergo metus etiam mortis non invalidat matrimonium.

Resp. neg. maj. nec enim talis est casus illius decreti, dicit enim Papa, *si habitum regularem se postulante recepit, ad observationem Religionis Canonicæ sua se professione ligavit. Ad resumendum habitum... iste cogendus*; ergo supponit voluntariam susceptionem, & professionem Regulæ.

Colligis ergo, quòd cùm metus iste debeat esse gravis, ita ut sit cadens in virum constantem, causetque consensum involuntarium, non debet esse pura suspicio, sed metus realis, & ex rationabili existimatione mali gravis imminentis, quod minans possit inferre, & quod timens non possit facilè vitare.

Mala autem, quæ possunt sic timeri, sunt, mors imminens, gravis cruciatus, mutilatio membrorum, ami-

amissio libertatis, captivitas, aut diutinus carcer, ex lium, amissio dignitatis, aut status: infamia juris, aut facti, stuprum, censuræ Ecclesiasticæ, jactura partis notabilis bonorum, &c. Metus, inquam, horum malorum, si ex negatione consensus in matrimonium incutiatur, tollit voluntarietatem necessariam ad valorem matrimonii.

CONCLUSIO II.

M*Etus, seu vis, dirimens matrimonium debet esse ab extrinseco, & in ordine ad extorquendum consensum in matrimonium*. Est communis.

Prob. 1. Quia veniens ab intrinseco, v. g. ex remorsu conscientiæ, aut apprehensione damnationis æternæ, aut mortis ex infirmitate, non infert violentiam, nec coactionem; & quæ fiunt ex tali metu, sunt spontanea; ergo non irritant matrimonia. prob. ant. ex cap. cit. *Sicut nobis*. Nam, ille Papa non vult solvere obligatione ab observantia regulæ virum, qui in extrema infirmitate professus erat Religionem: quia nemine ab extra cogente id fecerat. Item ex cap. *Cùm locum.* Ubi Alex. III. decernit, quòd *locum non habet consensus, ubi metus, vel coactio intercedit*. Sed coactio venit ab extrinseco; ergo quod fit ex metu veniente ab intrinseco, non fit invitè, nec coactè.

Unde si homo in extrema infirmitate timens damnationem proponat ducere concubinam, & eam ducat, validè facit: quia nemo eum ad id cogit. Idem est, si metu mortis imminentis ex morbo, cui non potest mederi nisi per matrimonii usum, statuat nubere, vel nubat cum fœmina, quam aliunde non amabat; tales metus non irritant matrimonia, quia non coactè, nec invitè, sed spontè fiunt.

Confirm. ex dictis de attritione ex metu gehennæ; nam ad opera pœnitentiæ non minor requiritur libertas, & voluntarietas, quàm ad matrimonium.

Probatur 2. p. Nam si judex pronunciet sententiam mortis in nobilem virum propter homicidium, & iste, ut vitet mortem, nubere velit cum judicis filia, validè faciet, quia judex non minatur mortem ex intentione illum inducendi ad nuptias cum filia,

sed

sed ad satisfaciendum obligationi suæ ex justitia.

Confir. Quia metus, ut invalidet consensum, debet influere in illum ex intentione agentis: alioqui non extorquebitur ab extrinseco, sed veniet ab intrinseca voluntate contrahentis, & si vim aliquam patitur, eam patitur à se ipso. Ideo si infirmus ex metu mortis sibi ex morbo imminentis promittat ducere filiam medici, ut sui curam diligentiorem agat, vel quia hic recusat curare illum, validè contrahit, quia metus ille non cadit, nec intenditur in finem extorquendi consensum illum: sed infirmus spontè eligit medium illud ad vitandam mortem.

Objicies 1. cap. *Gonsaldus*, & cap. *Perlatum*. Votum Religionis infirmi non tenet, si iste convalescens non ratificaverit, quia est ex metu mortis, & involuntarius; ergo idem est de matrimonio: sed ille metus non est ex causa extrinseca, neque ex intentione extorquendi consensum in illud; ergo &c. prob. 1. conf. Quia non major libertas requiritur in matrimonio, quàm in professione religiosa.

Respondeo neg. 1. ant. Nam ille defectus non est libertatis, sed considerationis, quatenus ille novitius professus fuerat, non ex sana mente, sed ex fervore doloris, nec annum probationis expleverat, ut præscribunt Regulæ, ideo; nequidem valuit renuntiatio beneficii. Casus 2. Capitis favet potiùs nobis: nam illa mulier intraverat monasterium coacta. Ut patet in textu.

Objicies 2. Metus quicumque inducit ad consensum; ergo vel numquam, vel semper irritat consensum. prob. conf. non enim consentiretur cessante metu; ergo &c.

Resp. neg. conf. Nam, cùm metus venit à causa externa, ut extorqueatur consensus, iste est verè coactus, quia venit contra omnem inclinationem personæ, quando autem venit ab intrinseco, vel causa naturali, vel ex alio motivo, ut causa inferentis metum, ut ex parte judicis, qui agit ex motivo justitiæ, eligitur consensus liberè ad vitandum supplicium justè infligendum.

Inst. 1. Semper malum imminens est causa talis electionis consensus; ergo semper consensus est minùs liber,

ber; prob. ant. nam cessante causa illa, reus non cogitaret, nec vellet illud matrimonium.

Resp. dist. cons. Minùs liberum per accidens, & secundum quid; con. per se, & sufficienter ad coactionem: neg. cons. nam, ut dicebamus, illud medium, & electio ad vitandam mortem, est à reo, non ab intentione judicis.

Instabis 2. Si judex procederet ex intentione extorquendi consensum, non magis, nec minùs extorqueret illum, quàm cùm justè procedit; ergo consensus est æquè, ac utrobique coactus, & irritus, vel numquam.

Resp. dist. ant. Non magis quoad effectum; con. quoad causam: neg. ant. nam in 1. casu metus directè incutitur ex intentione cogendi ad consensum in matrimonium: & est ab ipso judice: in 2. verò, cum judex nihil cogitat de matrimonio, intendit solam punitionem criminis; & electio matrimonii est à solo reo ad vitandam pœnam.

CONCLUSIO. III.

Metus etiam justè illatus à persona privata irritat matrimonium; non autem illatus à judice, aut principe.

Suppono, quod metus dicitur justè incuti, vel ex parte objecti; quando id, quod timetur, est verè in se malum grave, & prudenter creditur imminere, nisi fiat id, quod proponitur faciendum, nec possit aliter vitari malum illud, quam faciendo id, quod proponitur; v. g. quàm consentiendo in matrimonium. Vel 2. ex parte objecti simul, & personæ; quando sc. ille, qui minatur illud malum, habet jus, & potestatem inferendi illud, ut princeps, & judex: & è contra dicitur injustus ex parte personæ, quando ille, qui minatur, non habet jus, aut potestatem illam, nisi per injuriam: ut si homo privatus minatur mortem viro, quem reperit stuprantem cum puella, nisi eam ducat in uxorem.

Rursus, metus est justus ex parte agentis ex causa, quando præcessit legitima causa minarum; ut si judex minetur mortem, aut carceres, nisi stuprator ducat puellam, quam sub spe matrimonii defloravit. Vel est injustus ex defectu causæ, quando judex intentat,

&

& minatur pœnas illas, & mala gravia ex propriæ voluntatis arbitrio, ut hominem cogat ad nubendum: & tunc metus est injustus. Hic suppositis.

Probatur 1. Nam cap. *veniens*, Alex. III. audiens, quod pater cujusdam puellæ, cum invenisset eam in lecto cum quodam viro pernoctasse, coegit illum nubere per verba de præsenti, Papa jubet, ut vir ille maneat cum ipsa, *nisi metu coactus, qui posset cadere in virum constantem, eam desponsaverit*; ergo censet talem metum, quantumvis justum, & à persona privata incussum, irritare matrimonium. Nam ille metus erat justè incussus, sed pater erat persona privata.

Confir. ex cap. *Abbas*, ubi Glossa dicit, quòd *qualiscumque metus interveniat in casu matrimonii, sive culpa sua, sive sine culpa, matrimonium contractum per metum non tenet*. Quia matrimonia debent esse libera; & ubi metus, vel coactio intercedit, consensus non potest esse liber. Item cap. *Gemma mulier*. Gregor. IX. non patitur in matrimonio, nequidem metum pœnæ ex parte conveniæ, & impositæ à parentibus contra sponsos resilientes *cùm matrimonia debeant esse libera, ideo talis stipulatio propter pœnæ impositionem merito improbanda est*. Et Glossa addit, quòd, *matrimonia, sive sponsalia libera debent esse ab omni coactione personæ; vel pecuniæ*, ergo quicumque metus, etiam justus, influens in matrimonium irritat illud.

Prob. 3. Nam quoad libertatem, perinde est, quòd metus justè, vel injustè inferatur, hoc ipso, quod causatur ab illegitima potentia ad extorquendum consensum.

Prob. 2. p. ex Script. dicente, *si quis seduxerit virginem nec dum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam in uxorem*. Et alibi, *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehensam concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit, dabit, qui dormivit cum illa, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam uxorem*; ergo metus ex causa, & à judice illatus ex lege divina non irritat matrimonium.

Prob. 2. Nam tunc non tam ab homine, quam à lege

[1] *de spons.*

lege, & ex propria culpa imminet illud malum; ergò non tam ab extrinseco, quàm ab ipso timente venit metus; ergo non est propria coactio.

Objic. con. 1. p. Metus non aliter extorquet consensum illatus à judice, quàm à persona privata, & justè, vel injustè; ergo vel utrobique dirimit, vel nullibi. Prob. ant. utrobique est idem objectum, sc. idem malum; & eadem causa extrinseca; ergo

Resp. neg. utrumque ant. nam, cùm justè infertur, & à judice lex, seu ratio, & justitia, & culpa, urget ab intrinseco ex parte conscientiæ, ad vitandum peccatum grave, & hæc non adsunt in metu injusto, & & illato à privata persona: tunc tota vis est ab objecto, & à minante malum.

Inst. ratio, & conscientia potiùs urgent stupratorem ad nubendum, & augent vim, & minuunt libertatem; ergo magis debent invalidare consensum. Prob. ant. nam licet nullus minaretur mortem, aut aliud malum, adhuc stuprator teneretur ducere puellam ex conscientia, & lege, & ratione; ergo hæc augent vim.

Resp. neg. 1. ant. & 2. conf. nam licet ex parte causæ moralis sit eadem obligatio in utroque casu; non tamen ex parte causæ extrinsecæ metus; non enim tenetur stuprator obedire personæ privatæ, sicut legitimo judici, & ideo causa illa metus est magis propriè cogens, & ab extrinseco.

CONCLUSIO IV.

M*Etus purè reverentialis, & sine minis, non dirimit matrimonium*. Est communior.

Prob. 1. nam *puella* non dicitur consensisse invita, nisi parentes minas adhibuerint. Et cap. *Ex literis*, dicitur, *nolens, & invita minis parentum impulsa*. Ideo dicitur, quòd *si nolit expectare, & de novo consentire, liceat alteri viro nubere*. Et cap. Puellæ, Martinus decernit, quod *puellæ, quæ non coactæ parentum imperio, sed spontaneo judicio virginitatis propositum, & habitum susceperunt, si postea nuptias eligunt, prævaricantur*; ergo timor purè filialis, seu reverentialis non dirimit matrimonium se solo, benè verò, si adsint minæ, quia inducunt coactionem.

Prob.

Prob. 2. nam metus purè reverentialis non tollit libertatem sufficientem ad validam professionem; ergo nec ad validum matrimonium, non enim ad istud requiritur major libertas, quàm ad illam. ant. patet ex can. cit. nam cap. *Quamvis* Bonifac. VIII. decernit, quòd peccatum filiæ in favorem patris ex solo metu reverentiali factum cum juramento valere debet, ergo &c.

Confir. Nam ex iisdem decretis, ut metus irritet matrimonium, debet esse gravis & cadens in virum constantem, & venire ab extra: sed metus purè reverentialis non est talis, non habet malum grave pro objecto, nec imminens, & venit ab amore, & reverentia interna filiorum in parentes, aut subditorum in superiores, potiùs quàm à causa externa; ergo &c.

Confir. 2. Nam plures Theologi, & Canonistæ, vix putant metum illum, etiam cum minis paternis sufficere ad dirimendum, quia ex effectu patris præsumitur non sæviturus, nec verberaturus: id. non inferet mala, quæ minatur; ergo minæ paternæ non extrahunt metum extra ordinem reverentiæ.

QUÆSTIO IV.

De impedimento conditionis.

PLures sub hoc titulo agunt de conditionibus, non in proprio sunsu, quatenus reddant contractum *conditionalem*, oppositum *absoluto*; sed prout significat conditionem, seu qualitatem personæ, quæ sit libera, aut serva, nobilis, aut ignobilis, quod displicet Scoto. Nam, inquit, per impedimentum *conditionis*, Canonistæ intelligunt illud, quod oritur ex consensu dato sub conditionibus oppositis bono matrimonii. De hoc jam pauca diximus ab initio; sc. consensum debere esse absolutum.

Conditio est suspensio actus, seu contractus ex eventu futuro. Alia est *necessaria*, quæ licet non apponeretur contractui, adhuc subintelligeretur, & implicitè continetur in omni contractu, ut si vir dicat, *accipio te*, *si tu es fœmina*. Licet enim hæc non adjiceret, adhuc subintelligeretur, quasi apposita. *Alia est contingens*, quæ potest abesse, vel adesse, ut

si ditas, *accipio te, si tu es Virgo*, vel, *si habes tantam dotem*. Et istæ sunt, vel *de futuro*: Ut ista, *si dederis tantam dotem*; vel de præsenti, ut illa, *si tu es Virgo*, vel *de præterito*: ut *accipio te, si non peccasti*, &c.

Rursus, *contingentes*, aliæ sunt turpes, ut, *accipio te, si velis adulterare cum amicis meis*; Aliæ, *honestæ*, ut si velis identidem abstinere à copula, ut vacemus orationi. Inter *Turpes*, aliæ sunt contra bonum matrimonii, ut *accipio te, si velis impedire conceptionem*: alia non ita, ut, *si velis furari*. Denique aliæ sunt *possibiles*, ut prædictæ, aliæ *impossibiles*, ut *accipio te, si tangas digito solem*, &c. Quærimus quænam harum conditionum dirimant matrimonia, si apponantur contractui conjugali.

CONCLUSIO I.

Conditio apposita contractui dirimit matrimonium si sit contraria substantiæ, seu bonis ejus; non verò si sit impossibilis, vel turpis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Contrahentes sub aliqua conditione repugnante alicui istorum trium bonorum nihil faciunt, puta contra* 1. *si dicas accipio te, donec occurrat magis placens* (sc. apponitur insolubilitati matrimonii) *vel accipio te, ita ut non tenear servare tibi fidem*, &c.

Prob. 2. Qui apponit conditiones contrarias substantiæ, vel bonis, ac finibus matrimonii, non vult verum matrimonium: seu non consentit in illud: sed sine consensu illud non valet; ergo illæ conditiones dirimunt.

Prob. 3. Nam cap. si conditiones, Gregor. IX. dicit, *si conditiones contra substantiam conjugii inseruntur, puta, si alter dicat, contraho tecum, si generationem prolis evites... matrimonialis contractus, quantumcumque sit favorabilis, caret effectu*. Et pro 1. p. pro 2. autem. *Licet aliæ conditiones appositæ in matrimonio, si turpes, aut impossibiles fuerint, debeant pro non adjectis haberi*. Idem quoad 1. p. statuerat Innoc. III. C. *Tua nos*; ubi

[1] *d.31. E.7.*

ubi decernit nullum esse matrimonium, *cùm in eo, nec substantia conjugalis contractus; nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri*; sc. cum falso nomine, & cum sola voluntate fornicandi, nubere finxerant: sed in contractibus sic conditionatis non apparet substantia contractus conjugalis; ergo &c.

Prob. 2. p. tum ex Can. cit. Gregorii IX. tum ex regula, quam ibi ponit; sc. Ecclesia tales conditiones, (sc. impossibiles, aut turpes) vult haberi pro non appositis; ergo &c.

Objic. con. 1. p. Conditiones turpes non dirimunt; sed quæ sunt contra substantiam conjugii, sunt turpes; ergo &c.

Resp. dist. min. Turpitudine apposita honestati virtutis, con. apposita honestati pudoris, neg. min. v. g. conditio excludens generationem est peccaminosa, & irrationabilis, sed non contra pudorem; sicut nec illa, qua contrahit ea conditione, ut non teneatur reddere debitum conjugale.

Objic. 2. Possunt conjuges validè contrahere cum pacto mutuo intrandi Religionem, aut continentiæ perpetuæ; sed illæ conditiones opponuntur substantiæ, & bonis matrimonii; ergo istæ non invalidant.

Resp. dist. min. Opponuntur, secluso privilegio, con. supposito privilegio divino, neg. min. nam, quòd post contractum matrimonium possit unus, vel uterque conjux intrare Religionem, aut vovere castitatem perpetuam, privilegium est Divinum. Si verò unus tantum intraret, aut voveret, fateor non subsistere matrimonium, de quo diximus, ubi de insolubilitate.

Præterea, conditio illa non esset contra primariam essentiam conjugii, quæ consistit in mutua traditione dominii corporum; nam dominii jus separari potest ab usu, ut diximus de matrimonio Deiparæ Virginis cum S. Joseph; nam illud fuit verum, quamvis ambo vovissent virginitatem perpetuam.

CON-

CONCLUSIO II.

A*Ppositio conditionis de præterito, vel præsenti, si hæc non existat, dirimit matrimonium: non autem, si sit impleta.*

Prob. 1. quia si non sit posita, nullus est consensus, & si sit posita, consensus est verus, & nihil deest ad valorem conjugii: v. g. si quis dicat, *Accipio te in meam, si fuisti baptizata*, vel *si es virgo*. Validitas hujus cotractus pendet ab existentia hujus conditionis; sc. baptismi, aut virginitatis. Si non fuit baptizata, aut si non est virgo, non vult eam. Hoc per se patet satis.

Objic. 1. Formæ Sacramentorum non sunt conditionatæ; ergo nec intentiones ministrorum.

Resp. neg. conf. quidquid sit de ant. Nam si baptizans diceret, *si non es baptizatus, ego te baptizo*, vere baptizaret infantem non baptizatum, aut nihil faceret, si jam esset baptizatus. Imo, forma illa licet prolata absolute, æquivaleret; ergo appositio talium conditionum non nocet valori sacramenti, maximè si conditiones sunt necessariæ. Sed aliud esset, si diceret, *si es fœmina, ego te baptizo*. Nam hæc conditionalis non subintelligitur in forma absoluta, & prolata super puerum masculum, nihil faceret, & ita est de virginitate in casu objectionis.

Inst. effectus sacramenti non pendet nisi à materia, forma, & intentione ministri; ergo non pendet à conditione.

Resp. neg. conf. Nam conditio continetur in intentione ministri, qui non vult facere sacramentum, nisi sub conditione posita, modò hæc non sit contraria substantiæ illius.

Objic. 2. si possent apponi tales conditiones, sponsi non possent ab invicem petere, & reddere debitum; ergo non valeret matrimonium. Prob. ant. non possent petere, nec reddere, donec certi essent de existentia conditionis: sed hæc certitudo non citò, nec facile haberi posset; ergo &c.

Resp. neg. conf. nam licet non possent petere, nec reddere debitum, donec certi essent de existentia conditionis, non minùs tamen à parte rei matrimonium valeret, si à parte rei conditio existeret. Ita est de nullitate.

CON-

CONCLUSIO III.

Conditio de re possibili, & non turpi, non dirimit matrimonium.

Prob. 1. nam cap. *Super eo*, Urbanus III. decernit circa virum, qui consensit in mulierem, si pater ejus daret assensum. *Quod cùm consensus liber dici non possit, qui in alieno arbitrio reservatur, ac conditionem ipsam canonica non improbent statuta: nisi voluntas patris postmodum intercedat, nequaquam* (ille vir) *cogendus est ad consummandum matrimonium*; ergo Ecclesia non improbat conditiones honestas de re futura, in matrimonio, & illæ suspendunt consummationem, donec conditiones sint impletæ, tunc autem matrimonium tenet.

Confir. ex glossa ejusdem. Nam, inquit, *Matrimonium contrahitur sub conditione, sicut emptio, & alii contractus... Matrimonium contrahi potest sub conditione: non tamen tenet, nisi conditio extiterit, vel nisi recessum sit à conditione per contrarium effectum*: v. g. si non expectato consensu patris consummassent matrimonium, quia tunc censebantur recessisse à conditione.

Prob. 2. nam idem est de hoc contractu, ac de aliis: sed alii possunt fieri sub talibus conditionibus, nec ligant ante positionem conditionis in esse; ergo &c.

Objic. 1. non dantur sacramenta sub conditionibus de futuro; sed matrimonia catholicorum sunt sacramenta; ergo non possunt fieri sub conditione de futuro; prob. maj. sacramenta agunt, ut causæ naturales; ergo non expectant futurum, sed agunt statim, ac existunt, & operantur statim independenter à conditione de futuro.

Resp. dist. conf. sub conditione de futuro in ratione sacramenti: con. in ratione contractus, neg. conf. Nam in ratione contractus eadem est ratio de isto, ac de aliis: in ratione autem Sacramenti non existit ante impletam conditionem, qua impleta, transit in absolutum.

Inst. non potest fieri sacramentum, nisi adsint materia, & forma ejus. Sed hæc non adsunt realiter pro instanti, quo ponitur conditio; ergo tunc non fit sacramentum; prob. min. tunc non adsunt verba, aut signa exprimentia consensum; ergo &c.

Resp.

Resp. dist.maj. nisi adsint physicè, aut moraliter; seu virtualiter, con. nisi adsint physicè. neg. maj. & min. nam signa consensus durant moraliter, & virtualiter, donec tempus complendæ conditionis transierit, aut de facto impleta fuerit, & hoc sufficit pro hoc Sacramento, cujus tota essentia consistit in aliquo ente morali.

Objic. 2. Si fiat matrimonium sub conditione de futuro, possunt sponsi ante illam impletam recedere vel à conditione, vel à consensu, sed conf. est falsum; ergo &c. prob.maj. nam alii contractus sic possunt dissolvi; ergo & iste.

Resp. 1. neg. min. nihil enim vetat sponsos sic posse recedere, sicut possunt in sponsalibus. Nam illud matrimonium habet tantùm vim sponsaliorum, donec impleta sit conditio. Ideo potest eodem modo resolvi.

Resp. 2. neg. maj. nam si tempus præfigatur, intra quod debet impleri conditio, non possunt recedere intra illud tempus; saltem licitè, sed peccaret, qui recederet sine justa causa, & quidem contra fidelitatem.

Quæres, *an quando impletur conditio, & ut fiat Sacramentũ, requiratur novus consensus, qui sit absolutus.*

Resp. non requiri; modò tempore consensus conditionati non adesset aliud impedimentum, & ante eandem impletam non retractaverint.

Ratio est, tum quia nisi sufficeret prior consensus, ille superfluus fuisset, nec dici posset, quod matrimonium suscipiat cõditionem, & consensus deberet semper esse absolutus. Tum quia Urbanus 3. cit. non diceret, quod *conditionem nõ improbans canonica instituta.*

Dices: ex hoc canone colligitur contrarium. Nam Papa dicit, quòd *nisi voluntas patris postmodùm intercedat, vir ille non est cogendus ad contrahendum*; ergo supponit, quòd de novo debet consentire, seu contrahere posita conditione.

Resp. neg. 1. ant. & 2. conf. nam ly *contrahendum* ibi significat consummationem matrimonii, non autem novum contractum. Nam, inquit glossa; *hoc facit conditio apposita, quæ suspendit contractum usque ad tempus conditionis extantis*; ergo conditio non invalidat primum consensum, sed solum suspendit; sed quod suspenditur, non eget iteratione; ergo &c.

Inst. Prior consensus erat de præsenti, sed non valuit de præsenti, propter conditionem; ergo Papa meritò requirit novum consensum, qui sit de præsenti.

Resp. dist. maj. erat de præsenti quoad verba, & grammaticaliter, con. quoad sensum, & effectum vinculi, neg. maj. erat ergo de præsenti, non pro præsenti, sed pro tempore impletæ conditionis; sc. quando pater consenserit.

Quæres 2. *Cur voluerit Ecclesia conditiones impossibiles, & turpes haberi, ut non positas.*

Resp. quia non præsumpsit fideles velle Sacramentum pendere à talibus conditionibus, & illud exponere tam evidenti nullitati, & sic deterret eos ab illarum usu; declarando, quòd non favebunt eorum fraudibus, qui eis se vellent tegere. Ideo consensus dati sub illis conditionibus habendi sunt, ut absoluti.

QUÆSTIO V.

De impedimento servitutis, seu conditionis personæ.

QUia, ut dicebamus, multi sub impedimento conditionis agunt de conditione, & qualitate personarum nubentium, non incongruè hic immediatè agimus de illo sub hoc eodem nomine. Potest etiam examinari sub impedimento erroris; an sc. error circa conditionem personæ dirimat matrimonium.

Porrò servitus est triplex. 1. *vera*, & *rigorosa*, qua homo sic subjicitur alteri, ut iste, sc. dominus, *possit vendere servum, ut pecudem* (ait Scotus [1]) & tales, dicuntur *mancipia*. 2. *adscriptitia*, qua quidam sunt addicti certis operibus, v. g. culturæ agrorum, ea conditione, ut fructus eorum pertineant ad dominum deductis victu, & expensis, ideo dicuntur *adscriptitii*. 3. *Originis*, & est eorum, qui nascuntur ex præcedentibus, seu ex *adscriptitiis*. Et dicuntur servi *originarii*. Non agimus de his duobus ultimis, sed de solis primis, & quærimus, an illa servitus sit impedimentum dirimens.

Agitur de servitute absolutè, & secundum se, non de ignorata ab altero sponsorum; certum enim est, quod

[1] d.36.A.B.2.3.

quod si liber nubat cum servo, quem credit liberum sic error dirimit matrimonium, ut dicemus infra de impedimento erroris.

CONCLUSIO I.

Hodie servitus illa non est impedimentum dirimens: sed tales servi possunt nubere, etiam invito domino.

„ Prob. 1. ex Scoto, servus contrahere potest „ matrimonium de voluntate domini, & si onus „ matrimonii sit in aliquo repugnans consuetis ser- „ vitiis, dominus concedens sibi contrahere, rela- „ xat sibi implicitè illa servitia.... potest etiam con- „ trahere invito domino, pro quanto habet aliquid „ juris in corpore suo, non enim privavit se quacum- „ que libertate ad quoscumque actus. Et pro quan- „ to corpus ejus est suum, potest illud commutare „ cum alio, quia si alius, sive servus, sive liber „ velit esse contentus illa modica potestate; sive ad „ modicum usum, quem scit eum posse dare, bene „ potest sibi ipsi præjudicare, & tenet commutatio. Habes hic totam conclusionem, sed breviter infra di- „ cit, quod servitus non impedit, si non sit ignota.

„ Prob. 2. ex SS. decretis. Nam cap. Omnibus, Ju- „ lius 1. dicit, quod omnibus nobis unus est pater in „ cœlis, & unusquisque dives, & pauper, liber, & „ servus æqualiter pro se, & animabus eorum ratio- „ nem est redditurus. Quapropter omnes cujus- „ cumque conditionis sint, unam legem (quantum ad „ Deum) habere non dubitamus... ergo sicut inge- „ nuus dimitti non potest, sic nec servus semel conju- „ gio copulatus, ulteriùs dimitti poterit. Et in Con- cil. apud Vermeriam coram Pepino dicitur, quod, qui ancillam duxit putans eam esse liberam, si postea dete- „ gat servitutem, eam redimat, si potest; si non potest, „ &, si voluerit, aliam accipiat; si autem ancillam „ eam sciebat, & collaudaverat, prout legitimam „ eam habeat, similiter ingenua de servo alterius „ facere debet; ergo servitus non est impedimentum dirimens nisi in casu erroris. Idem patet ex cap. „ Si fœmina; ubi idem Concil. Si fœmina ingenua „ acceperit servum, sciens, quòd servus esset, habeat „ eum. Et cap. Dictum est, Concil. Cabilon. prohi-

„ bet, ne conjugia servorum dirimantur, etiam si di-
„ versos dominos habeant. Et cap. Dignum est, A-
„ drianus ait, nec inter servos debet matrimonium
„ prohiberi, &, si contradicentibus dominis, & invitis,
„ contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc
„ dissolvenda.

Prob. 3. ratione Scoti, nam servi non privant se omni jure corporis sui, ita ut non possint eo uti ad actus naturales, quales sunt matrimoniales; ergo possunt ad illos actus corpora sua commutare per legitimos contractus matrimonii.

Dixi, *hodie præcipuè*, à 5. aut 6. sæculis. Nam videtur, quod tempore D. Basilii Magni, non valebant; scribit enim ad Amphilochium, *Quæ propter domini sententiam se viro tradidit, fornicata est.. quæ sine iis, qui habent potestatem, fiunt matrimonia, sunt fornicationes*. Et id videtur colligi ex verbis cit. Concil. Cabil. II. an. 813. nam postquam dixit, *non debere dirimi servorum conjugia*, addit, *ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem dominorum*; ergo videtur, quod nisi adesset consensus dominorum, servitus erat impedimentum dirimens. Notat tamen Magister, quòd hoc non obstante, multi putant valida fuisse illa, quæ fiebant insciis dominis.

Objic. 1. Nemo dat, quod non habet, sed servus non habet dominium sui corporis; ergo non potest illud dare conjugi. Prob. min. Dominus uti potest ad libitum corpore servi sui; ergo iste non habet dominium ejus: matrimonium autem consistit in mutua traditione corporum inter conjuges.

Resp. cum Scoto dist. min. non habet quoad omnem usum, con. quoad aliquos actus, & usus, neg. min. nam quoad actus naturales edendi, bibendi, dormiendi, & similes, quibus non minuuntur domini obsequia, & qualis est actus conjugalis, servi habent potestatem corporum suorum.

Objic. 2. Servi jubentur obedire dominis suis in omnibus, sed non possent ita obedire in conjugio, nam inquit idem Apost. *Qui cum uxore est, ne quidem cogitat, quæ Domini sunt, sed quomodo placeat uxori, & divisus est*; ergo multò minùs poterit uxoratus cogitare, quæ sunt domini temporalis.

Resp. dist. maj. In omnibus, quæ nō sunt juris natu-

ræ,

ræ, & Dei: con. in omnibus absolutè, & simpliciter: neg.maj. nec enim hoc intendit Apostolus. Idem respondetur ad alios textus. Nam habens uxorem impendit ei officia, quæ non spectant ad dominum, & sic non facit huic injuriam.

Inst. Servus non potest satisfacere legibus matrimonii; ergo &c. prob.ant.1. non potest cohabitare, sc. si dominus mittat eum in longinqua, & ibi vendat eum: sed hoc contra bonum, & leges Sacramenti; ergo &c. 2. cum alter peteret debitum, ille cogeretur adstare domino: quod est contra bonum fidei. 3. Non posse vacare educationi filiorum, quod est contra bonum prolis; ergo matrimonium servorum est contra leges matrimonii, & bona ejus.

Resp. neg.ant. & 2.conf. Nam in 1. casu deberet uxor sequi virum; 2. casus est purè metaphysicus, & illo urgente deberet satisfacere debito conjugii, quod est strictius. 3. posset educari proles ex charitate propinquorum, aut reipub. ut solet.

Objic.3. Servus invito domino profiteri non potest Religionem; ergo nec nubere. Patet conf. nam causa Religionis est favorabilior. Ant. prob. ex cap. *Generalis*, & cap. *dimittuntur*, ubi Gelasius, & Leo prohibent admitti servos ad Religionem invitis dominis, & multò minùs ad ordines Sacros; ergo &c.

Resp.neg. conf. Nam, inquit Doctor, per Religiosam professionem, totus homo totaliter subtrahitur domino temporali, & subjicitur prælato, non ita est de matrimonio, per quod non subtrahitur nisi quoad pauca, quæ non impediunt principalia obsequi debita illi domino.

Dixi, *etiam invito domino*. Nam ille non habet jus hoc prohibendi, quia, quoad hoc servi non subduntur illis, sed utuntur jure naturæ, & ut loquuntur SS. Canones cit.[1] *In Christo, neque liber, neque servus est à Sacramentis Ecclesiæ removendus, ita nec inter servos debent matrimonia ullatenus prohiberi. Et, si contradicentibus dominis, & invitis contracta fuerint, nulla ratione propter hoc dissolvi debent*. Tota ergo conclusio fundatur in Doctrina Ecclesiæ.

Quæres, *An dominus possit distrahere servum ab usu matrimonii contracti ipso invito?* nam si consenserat

 sal-

[1] *Adri.3.de conju.serv.a,1.*

ſaltem negativè, cenſetur quoad hoc ceſſiſſe juri ſuo, ſi aliquod habebat.

Reſp. Non debere, nec poſſe rationabiliter, nam hoc ipſo, quod matrimonia ſervorum, etiam invitis dominis, ſunt valida, & juſta, ita & conſequentia cum eis naturaliter connexa, qualis eſt uſus matrimonii. Denique ſi dominus non poteſt prohibere, ne nubant, multò minùs impedire poteſt, ne utantur matrimonio, & ejus officia faciant.

Quæres 2. *An in concurſu obligationum matrimonii, & ſervitutis, prævaleat conjugalis.*

Reſp. Prævalere conjugalem, maximè ſi in uno conjugum adſit periculum peccati.

Ratio eſt, quia ſicut jus nubendi prævalet alteri, ita & jus præſtandi connexa cum matrimonio prævalet aliis obligationibus.

Dixi, *maximè ſi adſit periculum peccati ex una parte*, quia tunc ſalus animæ, & ubi agitur de offenſa Dei vitanda, nihil huic obligationi prævalere poteſt.

Confir. ex Apoſt. *Propter fornicationem unuſquiſque ſuam uxorem habeat; uxori vir debitum reddat*, &c.

Confir. ex cap. *Dignum eſt*, ubi gloſſa notat, [1] *Dicunt quidam, quòd potiùs obediendum domino, niſi periculum fornicationis timeatur, vel magnum præjudicium fiat uxori, ſed potiùs videtur, quod debitum reddat uxori ... Quia ſic nullum, aut modicum præjudicium fit domino*. Denique altiori jure debetur obedientia in matrimonio, quàm in ſervitute.

Dices: Adrianus dicit, quod *ſervi uxorati tenentur præſtare dominis debita, & conſueta ſervitia*; ergo hæc obligatio prævalet conjugali.

Reſp. diſt ant. conſueta ſervitia, quæ non præjudicant juri naturali, & divino, con. ſi præjudicant uni, vel utrique illi juri; neg. ant. obligatio conjugalis venit ex jure naturali, & divino.

[1] *de conju ſer. 1.*

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De impedimento erroris.

SUppono ex dictis de voluntario, quod ignorantia est privatio cognitionis: & dicitur *simplicis negationis*. Error verò est judicium perversum intellectus, & dicitur ignorantia *perversæ dispositionis*. Et utraque impedit voluntarium. Ideo error ponitur inter impedimenta dirimentia matrimonium, quia cùm debeat esse maximè voluntarium, seu liberum, omnis defectus libertatis illi repugnat.

Rursus duplex est error. 1. circa *substantiam* personæ, ut si pro Rachele supponatur Lya. 2. circa *qualitatem* personæ, ut si pro libera substituatur serva, aut pro virgine, vidua, aut pro divite, pauper.

3. Error alius est *antecedens*, qui est causa contractus, ita ut vir ille non contraheret, nisi erraret. Alius est tantùm *concomitans*, qui quidem inest, dum contrahitur, sed non est causa contractus, quia hic fieret, etiam si abesset error: v. g. si Jacob sic fuisset dispositus, ut non minus duxisset Lyam, si eam scivisset sibi apponi pro Rachele; quod notandum valde in hac materia.

CONCLUSIO I.

ERror circa substantiam personæ est impedimentum dirimens. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Error, sive apprehensio erronea quantum ad omnem conditionem requisitam per se ad contractum facit contractum nullum esse. Sunt autem in genere tres tales conditiones; duæ ex parte personarum, una, quod hæc persona putetur esse illa, alia, quod persona serva, putetur esse libera. 3. ex parte contractus*, &c. *De primo errore patet, quod impedit omnem venditionem.* Idem est de 2. *Quia servus non potest dare potestatem sui corporis liberę, sicut illa è converso*, &c.sc. non potest adeo liberè, nec plenè commutare servus, sicut liber; licet possit aliqualiter.

Prob. 2. Nam matrimonium essentialiter fit ex con-

[1] *d. 30. q. 1. A. 2.*

sensu duorum: sed in errore personæ non est consensus duorum; ergo &c. prob. min. nam qui errat, non sentit; ergo nec consentit; & ut loquitur Innoc. III. cap. *Tua nos*, in tali errore, *deest omnino consensus, sine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.*

Confirmatur ex eodem Scoto post Gratianum. Si quis venderet mihi aurichalcum pro vero auro, non teneret venditio; *ergo sicut error materiæ excludit consensum, ita in matrimonio error personæ*, excludit enim consensum.

Dices, id quidem esse verum de errore antecedente, non de concomitante.

Contra. Nam licet error concomitans non involvat dissensum positivum, non habet tamen consensum nisi negativum: sed ad matrimonium requiritur consensus positivus, & hunc impedit error concomitans; ergo hic error dirimit. Prob. maj. Sponsus non cogitat positivè nisi de Anna, & nihil de Berta, quæ substituitur pro Anna, & quam ducit putans eam esse Annam; ergo non consentit verè, nec positivè in Bertam; ergo nec verè nubit cum illa, licet fortè in eam consensisset, si de illa cogitasset.

Obj c. 1. Matrimonium Jacob tenuit cum Lya, sed hoc fuit cum errore, saltem comitante; ergo hic non dirimit. prob. min. nam constat, quod Jacob non cogitaverat nisi de Rachel, pro qua servierat 7. annis; ergo &c.

Resp. dist. maj. tenuit ex consensu sequenti: con. ex consensu antecedenti, vel comitanti: neg. maj. & cons. Jacob, detecto errore, & fraude, consensit in Lyam, quam noluit dimittere audita ratione Labani dicentis debuisse prius collocari primogenitam, sed retenta Lya, voluit adhuc Rachelem, pro qua servivit aliis 7. annis; sed ante ratificationem illam non erat matrimonium cum Lya.

Inst. 9. Copula illa fuit fornicaria etiam in Jacob, cujus error non fuit invincibilis: sed hoc dici non potest de sanctissimo Patriarcha; ergo dicendum potiùs, quod valuit matrimonium.

Resp. dist. cons. fornicaria materialiter, con. formaliter, ita, ut Jacob peccaverit, neg. cons. quia ignorans fecit nequidem suspicans de errore, vel fraude, donec *facto mane, vidit Lyam, & conquestus est ad socerum*

rum Jacob , & Lyam non fecit conjuges consensus præcedens, sed subsequens , ait Gratianus.

Objic. 2. Multa alia facta ex errore tenent ; ergo & matrimonium maximè consummatum.

Prob. ant. Jacob ipse subripuerat benedictionem primogenituræ fingens se esse Esau , & tenuit benedictio non obstante errore Isaaci ; ergo &c.

Resp. neg. 1. ant. & dist. 2. Tenuit ex ratificatione sequenti, con. ex actu antecedenti, neg. ant. nam, inquit Doctor , Isaac sentiens se deceptum , *admirans expavit*, id. in extasim raptus, in qua novit à Spiritu S. eam benedictionem approbari à Deo . Unde & ab extasi rediens dixit , *Benedixi , eritque benedictus*.

Objicies 3. Si quis erret circa mores personæ , v. g. putans eam esse piam , castam , cùm sit impia , & luxuriosa , error ille non dirimit ; ergo nec si putet esse Annam, cùm sit Berta. Prob. conf. nam defectus illi sunt graviores, quàm differentia individualis duarum fœminarum , & plus nocent bonis matrimonii ; ergo &c.

Resp. neg. 1. conf. & 2. ant. nam in hac materia error circa individualem differentiam est substantialis , & circa mores est accidentalis reparabilis per correctionem, & pœnitentiam . Fortè tamen in foro conscientiæ non teneret contractus iste ex errore gravi in moribus , sed non admitteretur in foro externo , alioqui nullum matrimonium esset certum ; omnes prætenderent se deceptos.

Objic. 4. Saltem error concomitans non debet dirimere; ergo &c. prob. ant. nubens, & sic errans, non est determinatus ad certam personam , sed est indifferens ad hanc, vel aliam, ut sacerdos baptizans unum, quem putat alium ; ergo &c.

Resp. neg. 1. ant. & dist. 2. conf. si sit ita dispositus, ut consentiat in personam præsentem, sicut sacerdos baptizans , con. si positivè , & explicitè intendat ducere unam, neg. conf. Nam ad matrimonium requiritur consensus utrimque positivus , nec sufficit negativus ex una parte , ut in baptismo: consensus autem in Bertam , quæ putatur esse Anna , non est positivus ex parte errantis.

CONCLUSIO II.

E*Rror conditionis , seu circa qualitatem servitutis , dirimit matrimonium.* Est communis.

Probatur 1. ex Scoto cit. nam matrimonium *est permutatio potestatis corporis pro potestate corporis, servus autem non potest dare potestatem sui corporis liberę sicut illa; & è converso...* & per consequens, qui nescit eam qualitatem, *non consentit scienter in servam.*

Prob. 2. nam cap. *ad nostram.* Innoc. III. decernit, quatenus *si constiterit, quod miles ignoranter contraxit cum ancilla , ita quod , postquam intellexit conditionem ipsius, nec verbo, nec facto consenserit in eandem... contrahendi cum alia, liberam ipsi concedas facultatem.* Idem dixit Alex. III. cap. *proposuit*, & Glossa ibidem : & ut notat Gratianus cit. *Error personæ consensum non admittit.* Et in Concil. apud Vermeriam , ut legitur cap. *Si quis ingenuus* dicitur, quod si ingenuus ancillam acceperit putans eam esse liberam , servitute detecta , *si eam à servitute redimere potest , faciat ; si non potest , si voluerit , aliam accipiat* , & vicissim mulier , &c. ergo Ecclesia censet errorem conditionis personæ quoad servitutem esse impedimentum dirimens.

Prob. 3. nam lumine naturæ patet non tenere pactum de commutatione rei liberè tractabilis cum re non sic tractabili : sed inter liberum , & servam talis esset permutatio , nam corpus liberi est liberè tractabile ; non autem corpus servæ, quia servus non potest plenè disponere de se ipso , sed in multis pendet à dispositione domini sui, ut patet ; ergo &c. prob. maj. nam matrimonium exigit, ut conjuges possint liberè uti corporibus ad invicem ad fines talis contractus.

Confir. nam in omni jure error invalidat contractum, in quo conditio unius fit notabiliter deterior : nam huic fit notabilis injuria , nec censetur consentire : sed in tali conjugio fit notabilis injuria personæ liberæ , & conditio ejus fit notabiliter deterior , tum ratione vilitatis , tum ex aliis incommodis gravibus ; ergo &c.

Dico, error, nam si sciens, aut dubitans de illa conditio-

ditione, adhuc nubat; censetur consentire, & velle: volenti autem non fit injuria.

Objicies 1. Servitus, ex se, non impedit matrimonium; ergo neque impedit ex errore. patet ant. ex dictis. prob. conf. nam ignorantia servitutis non mutat naturam ejus.

Resp. neg. utramque conf. nam licet utrobique servitus sit eadem, non ita est de consensu: quia ignorans eam non vult eam, nec consentit in eam, ut ille, qui sciens ducit servam. Voluntas non fertur in incognitum.

Objic. 2. Error ille non dirimit jure naturæ, nec positivo; ergo nullo jure. prob. ant. 1. non jure naturæ, alioqui matrimonium non valeret cum serva cognita. 2. non positivo, nam istud non solet prohibere, nisi quæ repugnant rationi; ergo &c.

Resp. neg. ant. nam ex utroque repugnat. 1. juri naturæ, quod in hoc contractu exigit liberum consensum, & 2. indidem prohibetur jure positivo, sc. quia alter decipitur, & admittitur, si reclamare velit contra talem contractum, ut patet ex decretis citatis, & ipso jure civili.

Objic. 3. Error circa alios defectus non dirimit; ergo nec circa hanc conditionem. Non est enim major ratio de isto, quàm de aliis. prob. ant. error circa virginitatem, aut munditiam corporis, v. g. circa lepram non dirimit; ergo &c.

Resp. neg. conf. nam si tales errores non dirimunt, fortè erit, quia non impediunt consensum eorum, qui censetur deesse in errante circa servitutem. Posset etiam negari ant. nam qui sic exigeret virginitatem, aut munditiam, ut essent conditiones, sine quibus non consentiret, verè illi defectus dirimerent, saltem in foro interno, ut dicebamus; imo & in externo, si publicè de illis protestaretur.

CONCLUSIO III.

Error circa alias qualitates magis accidentales non dirimit matrimonium.

Probatur 1. ex Scoto cit. [1] nam *error conditionis melioris non dirimit, nec servitus, si non sit ignota*. Et

 solum

[1] *ibid.*

solum errorem circa servitutem putat dirimere.

Prob.2. ex Gratiano dicente [1] quod *error fortunæ, & qualitatis, non excludit consensum. Quæ nubit pauperi, putans esse divitem, non potest renuntiare priori conditioni, quamvis erraverit,* sicut *qui emit agrum, aut vineam, quam putabat esse uberrimam, quamvis erraret in qualitate rerum, rem minùs fertilem emendo, non potest venditionem rescindere: similiter, qui ducit uxorem meretricem, vel corruptam, quam putabat esse castam, vel virginem, non potest eam dimittere, & aliam ducere;* ergo error circa tales qualitates non dirimit.

Prob.3. nam si tales errores irritarent matrimonia, vix unquam ullum valeret: sed conf. est falsum, & absurdum; ergo &c. prob.maj. vix ullum est, in quo nubentes non putent, ac desiderent meliores qualitates, & conditiones in sponsis, quam quæ adsunt: sic perturbarentur omnes familiæ, & societates fidelium, quilibet posset dicere se deceptum; ergo &c.

Prob. denique. Nam error circa illas qualitates non impedit veritatem matrimonii quoad substantiam, sed solùm quoad circumstantias accidentales: sed quamdiu valet consensus circa substantialia, manet contractus, & tenet; ergo & valet matrimonium.

Objic. 1. Error circa servitutem dirimit; ergo & circa alias qualitates. Prob. conf. aliæ plurimæ non sunt minoris momenti: v. g. si vir crederet, & intenderet non ducere nisi virginem, aut divitem, & inveniret corruptam, aut pauperem; ergo &c.

Resp. neg. 1. conf. & 2. ant. nam, ut diximus, servitus magis opponitur finibus matrimonii, ex defectu virginitatis, aut divitiarum mulier non fit minus apta ad reddendum debitum, & ad alia substantialia, sicut ex servitute, qua fit, ut non possit liberè adesse viro, sed sæpiùs cogitur abesse, &c.

Inst. Tam potest quis nolle consentire nisi in virginem, quàm nisi in liberam: sed nisi mulier inveniatur libera, consensus erit nullus; ergo & nisi sit virgo.

Respondeo neg. maj. nam si exprimeret vir talem conditionem, non admitteretur ad contrahendum; quia illæ conditiones turbarent pacem societatis inter fami-

[1] 29. q. 1.

familias, & in societatibus. Et cùm Ecclesia nolit errorem circa illas irritare matrimonia, ita non debet eas conditiones admittere. Si autem explicitè apponantur, & deficiant, fateor irritari contractum, cum reperientur deficere, ut patet ex dictis de consensu conditionato. Sed, ut dicebam, imprudenter omninò permitterentur apponi, ob innumera gravia inconvenientia.

Objic. 2. ex philos. Error cujusque circumstantiæ tollit voluntarium, sed matrimonium debet maximè esse voluntarium, ut valeat; ergo ex quocumque errore circa notabiles qualitates dirimitur.

Resp. dist. maj. Tollit voluntarium secundum quid: con. maj. & neg. min. voluntarium simpliciter; neg. maj. & cons. Nam involuntarium leve, & secundum quid non dirimit matrimonium.

Objic. 3. ex Scoto, [1] in donatione non est justitia, si donans non merè liberaliter donat... *Non autem merè liberaliter donat, qui vel deceptus, vel quasi necessitate coactus donat, quia ignorantia, & aliqualis coactio, excludunt voluntarium simpliciter*: sed minor libertas requiritur ad validum matrimonium, quàm ad donationem validam; ergo error de qualitate personæ sumendę tollit libertatem necessariam, & irritat matrimonium. prob. maj. nam inquit, *ex hoc sequitur, quod deceptus de eo, cui donat, quantum ad illam rationem, propter quam donat, non simpliciter donat.....* Si alicui, ut egeno, donat, qui non est *egenus, hic injustè recipit, quia non est in donante voluntarium, propter conditionis ignorantiam, quam respicit in donando*; ergo ex Scoto, error circa qualitates, etiam accidentales personæ, irritat donationem, seu contractum istum.

Resp. dist. maj. & ant. In puris donationibus, con. in donationibus conjugalibus, sicut & in aliis multis contractibus; neg. maj. & ant. nam in puris donationibus respicitur unica conditio accipientis; v. g. in eleemosyna respicitur sola paupertas accipientis, quæ conditio, si desit, cessat totaliter voluntas, & intentio donantis: at in matrimonio sunt plura motiva, & fines concurrentes ad illud, & una ex illis conditionibus deficiente, non deficiunt aliæ, quę suffi-

[1] d. 15. q. 2. X. 24.

sufficiunt ad valorem actus, v.g. deficiente in fœmina virginitate, aut divitiis, quas potest intendere sponsus, adsunt aliæ conditiones substantiales, in quibus subsistit matrimonium in contrahentis voluntate. Ecclesia enim non præsumit, quod vir ex defectu talium qualitatum accidentalium noluerit consentire in matrimonium, nisi de hoc expresse, & publicè protestatus fuisset: & tunc Ecclesia non permisisset contractum ob rationes datas.

QUÆSTIO VI.

De impedimento clandestinitatis.

DE hoc impedimento nihil ferè dicendum restat suppositis dictis de publicitate matrimonii, ubi probavimus matrimonia clandestina semper fuisse illicita, quamvis tolerata, seu non irrita, ante decretum Concilii Tridentini, per quod irritantur absolutè. Diximus etiam, quod in regnis, quæ non observant Concilium illud, clandestinitas non est impedimentum dirimens. Restant conditiones requisitæ ad hanc solemnitatem, & ad vitandum hoc impedimentum.

CONCLUSIO I.

SAcerdos, ut validè assistat matrimonio, debet esse parochus loci, in quo contrahentes habent domicilium, pro vagis autem, & extraneis, non debet assistere, nisi sibi constet de contrahentium libertate. Denique regulariter debet esse Sacerdos, non tamen necessariò.

Prob. 1. p. Parochus, cujus præsentia requiritur ex Concilii decreto, est ille, qui curam habet animarum existentium in loco determinato, sed Sacerdos non habet curam nisi degentium, seu domiciliatorum in illa sua parochia; ergo ille specialiter debet assistere matrimoniis in eadem. Maj. patet; nam ideo dicitur *Curatus*, quia curam gerit talium animarum cum potestate, & onere illis administrandi Sacramenta, & eas pascendi pane doctrinæ salutis. Prob. min. nam huic soli competit potestas, & onus mi-

ministrandi Sacramenta in suo districtu, ut patet c. *Ecclesias*, ubi Dionysius statuit unumquemque presbyterum in sua Parochia *jus proprium habere, ita ut nullus alterius parochiæ terminos, aut jus invadat.... & taliter, & plebem sibi commissam custodiat, ut de illis coram Deo rationem reddat*; ergo ad hunc solum Sacerdotem ex officio spectat hoc Sacramentum ministrare suis parochianis, seu domiciliatis in sua parochia.

Confir. ex quadam Cardinalium Concilii declaratione, quam refert Juvenin, dicente parochi nomine intelligi parochum loci, quem nubens actu incolit.

Confr. 2. Quia non licet alteri curam gerere habitantium in aliqua parochia, præter parochum ejus, ut patet ex praxi; ergo hoc ipso, quòd quis habet domicilium alicubi, subest illi parocho quoad spiritualia, & Sacramenta.

Prob. 2.p. ex Concilio Trident. Nam qui vagantur, & incertas habent sedes, raro probi sunt ingenii, & *prima uxore relicta, plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt.... cui malo cupiens S. Synodus occurrere, monet, ne hoc genus hominum vagantium facile ad matrimonium admittant..... parochi autem, ne illorum matrimoniis intersint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint, & re ad ordinarium delata, ab eo id faciendi licentiam obtineant*. Hoc autem posito, ille erit eorum parochus, cujus parochiam elegerint ad celebrandum matrimonium.

Id patet ex declaratione S. Congregat. Cardin. 28. August. 1621. apud Barbosam. *Parochus vagabundi potest esse omnis, ubi reperitur, licet adsit certus parochus mulieris*. Aliam refert Cardin. Brancatus, qua declaratur, quod *vagus, ducens uxorem in aliquo loco, ubi est domicilium mulieris, potest contrahere in alio loco, ubi voluerit, quamvis adsit parochus mulieris. Quia tunc ille alius in loco alio, ubi vagus reperitur*, est etiam verè parochus vagi.

Prob. 3.p. ex decreto cit. ejusdem Concilii, quo dicitur parochum non debere assistere, *nisi priùs diligentem fecerit inquisitionem*, & intentionem Episcopi audierit. Certè, nisi sic se gereret, inutilis esset

ſet cautio Eccleſiæ contra polygamiam talium hominum.

Prob.4. p. de Sacerdotio, nam Concilium loquitur *de parocho, vel alio Sacerdote de ejuſdem parochi, vel ordinarii licentia*; ergo ſicut parochus eſt regulariter Sacerdos; ſic regulariter aſſiſtens debet eſſe Sacerdos: & ſicut aliquis nondum Sacerdos poteſt inſtitui parochus: ita & poterit aſſiſtere matrimonio, nondum Sacerdos, quia tunc parochus poteſt exercere ea, quæ ſunt juriſdictionis parochialis.

Confir. ex cap. *Tranſmiſſa*, ex Cœleſtino III. nam hæc aſſiſtentia non eſt actus conſecrationis, ſed meræ juriſdictionis, ut notat Brancatus cit.

Confir. ex declaratione dictæ congregat. quam refert Juvenin. Et ubi dicit, *non eſſe irritum matrimonium, cui adfuerit parochus nondum ordine Sacerdotali donatus*. Poſſet tamen, Sacerdotem deputare ad hoc miniſterium, & id ſatius eſſet. Non puto tamen eum poſſe delegare alium non Sacerdotem.

Objic. contra 4. p. Concilium dicit, *qui aliter, quàm præſente parocho, vel alio ſacerdote de parochi licentia*, &c. ergo ſupponit parochum, ut aſſiſtat, debere eſſe Sacerdotem, nam *alio*, eſignat ſimilitudinem in illo ordine.

Reſp. neg. conſ. nam licet parochus ſit ordinariè Sacerdos, & id ſupponat Concilium, non ſequitur, quin poſſit quis inſtitui parochus ante adeptum Sacerdotium, & in illo ſtatu aſſiſtere matrimonio, aut committere alium Sacerdotem non parochum.

Inſt. ante Concilium, aſſiſtens debebat eſſe Sacerdos; ergo & poſt illud, nec enim quoad hoc quidquam innovavit. prob. ant. nam Concil. Lateran. ſub Innoc. III. ſemper, & ubique requirit præſentiam Sacerdotis: idem eſt de aliis pontificibus; ergo ante Concilium Trid. aſſiſtens matrimonio debebat eſſe Sacerdos.

Reſp. diſt. ant. Sacerdos ad benedicendas nuptias, con. ad aſſiſtendum, neg. ant. & 2. conſ. nam ante Concilium non aderat Sacerdos niſi ad benedicendas nuptias: non autem ut aſſiſteret ad publicitatem, ut nunc aſſiſtit.

Inſt. 2.

Inst. 2. etiam nunc parochus benedicit sponsos, & anulum, & dicit Missam super ipsos; ergo etiam nunc debet esse Sacerdos. ant. patet ex praxi, & ex Rituali, imò, & id innuit Concilium; ergo &c.

Resp. dist. ant. benedicit per se, aut per alium, & non ex necessitate Sacramenti, sed ex devotione, & congruentia: con. per se omnino, & ex necessitate Sacramenti: neg. ant. nam prȩterquam quod potest fieri matrimonium sine illis benedictionibus, quæ non sunt de ejus essentia, hæc omnia parochus potest committere aliis, sicut & missam.

CONCLUSIO II.

PRobabile est *Parochum excommunicatum, irregularem, interdictum, aut suspensum, modo non sit privatus, aut suspensus ab officio Parochi, posse validè assistere matrimonio, non tamen licitè.* Est communior.

Prob. 1. ex declarationibus prædictorum Cardinalium apud dictum Juenin, & Cardinal. Brancatum. Dicunt enim *Matrimonii validitati non obstare, quod parochus sit suspensus, aut irregularis.* Imò id colligi videtur ex ipso Concilio, quod non exigit nisi præsentiam parochi absque ullo ministerio; ergo quandiu est parochus, semper potest id præstare, sed per excommunicationem, irregularitatem, suspensionem, præcisè non cessat esse parochus; ergo semper potest validè assistere.

Prob. 2. nam censuræ illæ non invalidant administrationem, vel confectionem aliorum Sacramentorum, sed reddunt illicitam; ergo nec assistentiam matrimonii, quamvis Sacerdos hic se haberet ut minister, de quo non conveniunt omnes.

Confir. nam in ipsis nubentibus, qui dicuntur ministri, non irritatur, si nubant in statu talium censurarum; ergo nec in parocho. Et ita tenent illustres Canonistȩ, & Theologi, ut Barbosa de potest. Episc. & Parochi, & Cardin. Brancatus cit. licet probabilius putet eum posse delegare, quia delegatio est actus jurisdictionis.

Dixi, non tamen licitè, quia per censuras illas prohibentur illi actus omnes sacri, & circa divina.

Objic.

parochus, & testes possent invalidare matrimonia, nec possent cogi ad assistendum, aut testificandum; sed conf. est falsum, & con.2. p. ergo &c. prob. maj. nam licet possent cogi ad præsentiam corporalem, non tamen ad interiorem advertentiam, possent nolle attendere, & sic matrimonia coram invitis non valerent; ergo &c.

Resp. neg. maj. & ant. Nam hoc ipso, quòd oculos averterent, vel clauderent, vel aures obturarent, contra ipsos præsumeretur advertentia.

Objic. 1. con.2. p. Præsentia inviti non est moralis, nec humana, sed Concilium exigit præsentiam humanam, & moralem; ergo &c. prob. maj. actus moralis debet esse voluntarius, & cum cognitione; ergo &c.

Resp. dist. maj. non est moralis ad meritum, vel demeritum, con. ad testificandum, neg. maj. & con. nam ad testimonium veritatis non requiritur voluntarietas, nec consensus in ea, quæ videntur.

Objic. 2. In ministro Sacramenti requiritur intentio, sed parochus invitus, & dissentiens non intendit; ergo nec facit Sacramentum; ergo nec matrimonium.

Resp. dist. maj. in vero ministro, qui conficit Sacramenta, con. in ministro assistente Sacramento ab aliis confecto, neg. maj. & conf. nam parochus, & testes non conficiunt matrimonium, sed sunt ministri purè assistentes, ut testes, vel arbitri.

Dico, ut testes, nam idem est de testibus, ac de Parocho, ut jam monuimus, debent, & sufficit eos adesse ita, ut videant, & intelligant, quæ fiunt, & de iis possint testificari. Unde pueri ante usum rationis, amentes, dormientes, &c. non sufficiunt, benè verò alii, quamvis aliunde in judiciis fidem non facerent, ut excommunicati, & fœminæ. vide Brancatum cit.

Quæres, *quis sit ille Ordinarius, qui præter parochum potest adesse?*

Resp. esse omnes illos, qui Episcopalem, aut similem habent jurisdictionem in locis, ubi celebrantur matrimonia; & hi possunt assistere per se, vel per delegatos.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De impedimento impotentiæ.

IMpotentia hic significat negationem facultatis ad copulam conjugalem, per quam ex commixtione seminum intra vas fœminæ, ambo fiant una caro. Alia est *perpetua*, quæ tolli non potest sine miraculo, vel peccato, vel periculo mortis evidenti. Alia *temporalis*, quę per remedia licita tolli potest. Rursus, alia est *absoluta*, quæ est respectu omnium: alia *respectiva*, quæ est respectu unius, non alterius.

Potest etiam venire ex variis causis. 1. Est *naturalis*, *& interna*, ut nimia frigiditas in viro, quæ reddit copulam impossibilem, vel ætas puerilis, vel senilis, vel nimius ardor, quo fit, ut statim ante copulam semen effundatur, nec possit illa perfici, maximè ex parte viri: vel nimia arctatio in fœmina, quæ non possit à viro penetrari naturaliter. 2. *Est externa artificialis*, v.g. ex amputatione testiculorum, aut membri genitalis. 3. est *præternaturalis*; v.g. ex maleficio dæmonum, quo impediuntur, maximè viri, ne possint coire, & consummare matrimonium. 4. est defectu potentiæ rationalis, ut in furiosis, vel amentibus. Quæritur autem de his impotentiis, an dirimant matrimonia, si eę præcedunt in alterutro conjuge.

Dico, quando præcedunt, nam si superveniant contractui, certum est, quod non dirimant, nam inquit Doctor, jam potestas in corpora fuit tradita, & capta possessio.

CONCLUSIO I.

I*Mpotentia simpliciter, ac perpetua præcedens matrimonium, impedit contrahendum, & dirimit contractum, sive sit cognita impotenti, sive non.* Est communis contra paucos, qui volunt aliquos cum tali impotentia posse velle nubere cum intentione castè vivendi, ut frater, & soror. *Isti magis fortè desponsant divitias, quàm personas*, inquit Doctor.

Prob.

Prob. ex Scoto triplici ratione. 1. Quia iste *contractus est datio potestatis in corpora ad talem actum, si petatur, sed iste non habet potestatem ad talem actum; ergo nihil tale dare potest; ergo nec contrahere. 2. in contractu isto, conjux obligat se ad talem actum, si petatur; sed talis actus est sibi impossibilis; ergo se obligat ad impossibile, obligatio autem ad impossibile nulla est, ex lege Divina; ergo lex Divina non approbat talem obligationem; ergo hæc nulla est. 3. Alia persona intendit commutare potestatem sui corporis pro potestate corporis alterius; ergo credit è converso alium posse commutare, sed non potest; ergo hic est error pertinens ad aliquid, quod est per se requisitum ad contractum: talis autem error facit contractum nullum, ut dictum est supra;* ergo habes conclusionem solidè probatam.

Prob. 2. ex SS. Canon. nam cap. *Quod sedem*, Alex. III. decernit, quod *qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahendum matrimonium reputantur*. Idem colligunt Doctores ex cap. *Consultationi*, ubi videtur Lucius III. consentire, *ut si viri non possint eas habere ut uxores, habeant ut sorores*, scil. abstinentes ab omni carnali commercio. Sed Cœlest. III. c. *Laudabilem*, positivè statuit, *ut si mulier per justum judicium de viro probare potuerit, quòd cum ea coire non possit, accipiat alium*. Et cap. *literæ vestræ* idem dicit de viro, qui probatus fuerat non potuisse per octo annos cognoscere carnaliter uxorem, jubet eos separari.

Confir. ex communi Ecclesiæ praxi, quæ prohibet talia conjugia fieri, & facta rescindit.

Prob. 2. p. nam cognitio impedimenti intrinsecè oppositi naturæ, & fini hujus contractus non potest reddere illum validum; sed talis impotentia est intrinsecè opposita naturæ, & fini contractus conjugalis; ergo ejus cognitio non potest facere, ut valeat matrimonium cum illa. maj. patet, nam cognitio aliorum impedimentorum non facit, ut valeat matrimonium cum illis contractum. prob. min. nam essentia matrimonii consistit in mutua commutatione potestatis corporum ad prolificandum; sed impotentia ista opponitur illi commutationi, & fini; ergo opponitur intrinsecè naturæ, & fini matrimonii.

Confir.

Confir. ex SS. Decretis cit. nam absolutè, & indistinctè statuunt impotentiam absolutam, & perpetuam esse impedimentum dirimens, nec distinguunt de potentia cognita, vel non cognita. Quod maximè constat ex Bulla Sixti V. *Cum frequenter*. Nam inquit Pontifex hoc repugnat *secundum canonicas sanctiones, & naturæ rationem. Qui frigidæ naturæ sunt, & impotentes, iidem minimè apti ad matrimonium reputantur*; ergo cognitio impotentiæ non reddit eos potentes, nec aptos ad validè contrahendum.

Prob. 2. rationibus allatis ex Scoto, nam concludunt talem impotentiam ex natura sua opponi essentiæ hujus contractus; ut legenti patebit. Nam finis intrinsecus ejus est prolificatio, & remedium concupiscentiæ, sed neuter finis potest intendi à cognoscente se sic impotentem; ergo cognitio impotentiæ non juvat.

Objic. 1. con. 1. p. non repugnat matrimonium sine copula; ergo nec cum impotentia copulæ. Ant. patet ex matrimonio B. V. Deiparæ cum S. Joseph, & de similibus, qui in matrimonio virginitatem servarunt, & de aliis, qui contrahere possunt validè cum voto mutuæ continentiæ. prob. conf. nam sive ex impotentia physica, sive morali, & spontanea, semper excluduntur illi fines matrimonii; sed hoc non obstante valent ista; ergo & illa matrimonia.

Resp. dist. ant. Sine copula actuali, aut intenta explicitè, con. sine copula aptitudinali, & intenta saltem implicitè, & virtualiter, neg. 1. ant. & pariter dist. 2. matrimonium Deiparæ supposita dispensatione divina (idem esset de aliis) con. seclusa dispensatione divina, neg. ant. & conf. nam inquit S. Bonaventura; *Ordinabilitas ad copulam est essentialis, quia est necesse, ut consentiant sponsi in mutuam corporum potestatem.* Matrimonium verò Mariæ fuit cum submissione ad Dei voluntatem. Nam inquit Doctor, in contractu matrimoniali, est mutua datio corporum ad copulam carnalem, sub conditione implicita, si petatur. Et B. V. sic contraxerat cum S. Joseph, sciens ex revelatione divina non fore petendam.

Objic. 2. Senes possunt nubere validè, sed senes sunt impotentes; ergo impotentes possunt validè nubere.

solum errorem circa servitutem putat dirimere.

Prob. 2. ex Gratiano dicente [1] quod *error fortunæ, & qualitatis, non excludit consensum. Quæ nubit pauperi, putans esse divitem, non potest renuntiare priori conditioni, quamvis erraverit,* sicut *qui emit agrum, aut vineam, quam putabat esse uberrimam, quamvis errares in qualitate rerum, rem minùs fertilem emendo, non potest venditionem rescindere: similiter, qui ducit uxorem meretricem, vel corruptam, quam putabat esse castam, vel virginem, non potest eam dimittere, & aliam ducere;* ergo error circa tales qualitates non dirimit.

Prob. 3. nam si tales errores irritarent matrimonia, vix unquam ullum valeret: sed conf. est falsum, & absurdum; ergo &c. prob. maj. vix ullum est, in quo nubentes non putent, ac desiderent meliores qualitates, & conditiones in sponsis, quam quæ adsunt: sic perturbarentur omnes familiæ, & societates fidelium, quilibet posset dicere se deceptum; ergo &c.

Prob. denique. Nam error circa illas qualitates non impedit veritatem matrimonii quoad substantiam, sed solùm quoad circumstantias accidentales: sed quamdiu valet consensus circa substantialia, manet contractus, & tenet; ergo & valet matrimonium.

Objic. 1. Error circa servitutem dirimit; ergo & circa alias qualitates. Prob. conf. aliæ plurimæ non sunt minoris momenti: v. g. si vir crederet, & intenderet non ducere nisi virginem, aut divitem, & inveniret corruptam, aut pauperem; ergo &c.

Resp. neg. 1. conf. & 2. ant. nam, ut diximus, servitus magis opponitur finibus matrimonii, ex defectu virginitatis, aut divitiarum mulier non fit minus apta ad reddendum debitum; & ad alia substantialia, sicut ex servitute, qua fit, ut non possit liberè adesse viro, sed sæpiùs cogitur abesse, &c.

Inst. Tam potest quis nolle consentire nisi in virginem, quàm nisi in liberam; sed nisi mulier inveniatur libera, consensus erit nullus; ergo & nisi sit virgo.

Respondeo neg. maj. nam si exprimeret vir talem conditionem, non admitteretur ad contrahendum; quia illæ conditiones turbarent pacem societatis inter fami-

[1] 29. q. 1.

familias, & in societatibus. Et cùm Ecclesia nolit errorem circa illas irritare matrimonia, ita non debet eas conditiones admittere. Si autem explicitè apponantur, & deficiant, fateor irritari contractum, cum reperientur deficere, ut patet ex dictis de consensu conditionato. Sed, ut dicebam, imprudenter omninò permitterentur apponi, ob innumera gravia inconvenientia.

Objic. 2. ex philos. Error cujusque circumstantiæ tollit voluntarium, sed matrimonium debet maximè esse voluntarium, ut valeat; ergo ex quocumque errore circa notabiles qualitates dirimitur.

Resp. dist. maj. Tollit voluntarium secundum quid: con. maj. & neg. min. voluntarium simpliciter; neg. maj. & cons. Nam involuntarium leve, & secundum quid non dirimit matrimonium.

Objic. 3. ex Scoto, [1] in donatione non est justitia, si donans non merè liberaliter donat... *Non autem merè liberaliter donat, qui vel deceptus, vel quasi necessitate coactus donat, quia ignorantia, & aliqualis coactio, excludunt voluntarium simpliciter*: sed minor libertas requiritur ad validum matrimonium, quàm ad donationem validam; ergo error de qualitate personæ sumendę tollit libertatem necessariam, & irritat matrimonium. prob. maj. nam inquit, *ex hoc sequitur, quod deceptus de eo, cui donat, quantum ad illam rationem, propter quam donat, non simpliciter donat*..... Si alicui, ut egeno, donat, qui non est *egenus, hic injustè recipit, quia non est in donante voluntarium, propter conditionis ignorantiam, quam respicit in donando*; ergo ex Scoto, error circa qualitates, etiam accidentales personæ, irritat donationem, seu contractum istum.

Resp. dist. maj. & ant. In puris donationibus, con. in donationibus conjugalibus, sicut & in aliis multis contractibus; neg. maj. & ant. nam in puris donationibus respicitur unica conditio accipientis; v. g. in eleemosyna respicitur sola paupertas accipientis, quæ conditio, si desit, cessat totaliter voluntas, & intentio donantis: at in matrimonio sunt plura motiva, & fines concurrentes ad illud, & una ex illis conditionibus deficiente, non deficiunt aliæ, quę suffi-

[1] *d.* 15. *q.* 2. X. 24.

sufficiunt ad valorem actus, v.g. deficiente in fœmina virginitate, aut divitiis, quas potest intendere sponsus, adsunt aliæ conditiones substantiales, in quibus subsistit matrimonium in contrahentis voluntate. Ecclesia enim non præsumit, quod vir ex defectu talium qualitatum accidentalium noluerit consentire in matrimonium, nisi de hoc expresse, & publicè protestatus fuisset: & tunc Ecclesia non permisisset contractum ob rationes datas.

QUÆSTIO VI.

De impedimento clandestinitatis.

DE hoc impedimento nihil ferè dicendum restat suppositis dictis de publicitate matrimonii, ubi probavimus matrimonia clandestina semper fuisse illicita, quamvis tolerata, seu non irrita, ante decretum Concilii Tridentini, per quod irritantur absolutè. Diximus etiam, quod in regnis, quæ non observant Concilium illud, clandestinitas non est impedimentum dirimens. Restant conditiones requisitæ ad hanc solemnitatem, & ad vitandum hoc impedimentum.

CONCLUSIO I.

S*Acerdos, ut validè assistat matrimonio, debet esse parochus loci, in quo contrahentes habent domicilium, pro vagis autem, & extraneis, non debet assistere, nisi sibi constet de contrahentium libertate. Denique regulariter debet esse Sacerdos, non tamen necessariò.*

Prob. 1. p. Parochus, cujus præsentia requiritur ex Concilii decreto, est ille, qui curam habet animarum existentium in loco determinato, sed Sacerdos non habet curam nisi degentium, seu domiciliatorum in illa sua parochia; ergo ille specialiter debet assistere matrimoniis in eadem. Maj. patet; nam ideo dicitur *Curatus*, quia curam gerit talium animarum cum potestate, & onere illis administrandi Sacramenta, & eas pascendi pane doctrinæ salutis. Prob. min. nam huic soli competit potestas, & onus

mi-

ministrandi Sacramenta in suo districtu, ut patet c. *Ecclesias*, ubi Dionysius statuit unumquemque presbyterum in sua Parochia *jus proprium habere, ita ut nullus alterius parochiæ terminos, aut jus invadat.... & taliter, & plebem sibi commissam custodiat, ut de illis coram Deo rationem reddat*; ergo ad hunc solum Sacerdotem ex officio spectat hoc Sacramentum ministrare suis parochianis, seu domiciliatis in sua parochia.

Confir. ex quadam Cardinalium Concilii declaratione, quam refert Juvenin, dicente parochi nomine intelligi parochum loci, quem nubens actu incolit.

Confr. 2. Quia non licet alteri curam gerere habitantium in aliqua parochia, præter parochum ejus, ut patet ex praxi; ergo hoc ipso, quòd quis habet domicilium alicubi, subest illi parocho quoad spiritualia, & Sacramenta.

Prob. 2.p. ex Concilio Trident. Nam qui vagantur, & incertas habent sedes, raro probi sunt ingenii, & *prima uxore relicta, plerumque plures, illa vivente, diversis in locis ducunt.... cui malo cupiens S. Synodus occurrere, monet, ne hoc genus hominum vagantium facile ad matrimonium admittant..... parochi autem, ne illorum matrimoniis intersint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint, & re ad ordinarium delata, ab eo id faciendi licentiam obtineant*. Hoc autem posito, ille erit eorum parochus, cujus parochiam elegerint ad celebrandum matrimonium.

Id patet ex declaratione S. Congregat. Cardin. 28. August. 1621. apud Barbosam. *Parochus vagabundi potest esse omnis, ubi reperitur, licet adsit certus parochus mulieris*. Aliam refert Cardin. Brancatus, qua declaratur, quod *vagus, ducens uxorem in aliquo loco, ubi est domicilium mulieris, potest contrahere in alio loco, ubi voluerit, quamvis adsit parochus mulieris. Quia tunc ille alius in loco alio, ubi vagus reperitur*, est etiam verè parochus vagi.

Prob. 3.p. ex decreto cit. ejusdem Concilii, quo dicitur parochum non debere assistere, *nisi priùs diligentem fecerit inquisitionem*, & intentionem Episcopi audierit. Certè, nisi sic se gereret, inutilis es-

set

set cautio Ecclesiæ contra polygamiam talium hominum.

Prob. 4. p. de Sacerdotio, nam Concilium loquitur *de parocho, vel alio Sacerdote de ejusdem parochi, vel ordinarii licentia*; ergo sicut parochus est regulariter Sacerdos; sic regulariter assistens debet esse Sacerdos: & sicut aliquis nondum Sacerdos potest institui parochus: ita & poterit assistere matrimonio, nondum Sacerdos, quia tunc parochus potest exercere ea, quæ sunt jurisdictionis parochialis.

Confir. ex cap. *Transmissa*, ex Cœlestino III. nam hæc assistentia non est actus consecrationis, sed meræ jurisdictionis, ut notat Brancatus cit.

Confir. ex declaratione dictæ congregat. quam refert Juvenin. Et ubi dicit, *non esse irritum matrimonium, cui adfuerit parochus nondum ordine Sacerdotali donatus*. Posset tamen, Sacerdotem deputare ad hoc ministerium, & id satius esset. Non puto tamen eum posse delegare alium non Sacerdotem.

Objic. contra 4. p. Concilium dicit, *qui aliter, quàm præsente parocho, vel alio sacerdote de parochi licentia*, &c. ergo supponit parochum, ut assistat, debere esse Sacerdotem, nam *alio*, designat similitudinem in illo ordine.

Resp. neg. cons. nam licet parochus sit ordinariè Sacerdos, & id supponat Concilium, non sequitur, quin possit quis institui parochus ante adeptum Sacerdotium, & in illo statu assistere matrimonio, aut committere alium Sacerdotem non parochum.

Inst. ante Concilium, assistens debebat esse Sacerdos; ergo & post illud, nec enim quoad hoc quidquam innovavit. prob. ant. nam Concil. Lateran. sub Innoc. III. semper, & ubique requirit præsentiam Sacerdotis: idem est de aliis pontificibus; ergo ante Concilium Trid. assistens matrimonio debebat esse Sacerdos.

Resp. dist. ant. Sacerdos ad benedicendas nuptias, con. ad assistendum, neg. ant. & 2. conf. nam ante Concilium non aderat Sacerdos nisi ad benedicendas nuptias: non autem ut assisteret ad publicitatem, ut nunc assistit.

Inst. 2.

Inst. 2. etiam nunc parochus benedicit sponsos, & anulum, & dicit Missam super ipsos; ergo etiam nunc debet esse Sacerdos. 'ant. patet ex praxi, & ex Rituali, imò, & id innuit Concilium; ergo &c.

Resp. dist. ant. benedicit per se, aut per alium, & non ex necessitate Sacramenti, sed ex devotione, & congruentia: con. per se omnino, & ex necessitate Sacramenti: neg. ant. nam preterquam quod potest fieri matrimonium sine illis benedictionibus, quæ non sunt de ejus essentia, hæc omnia parochus potest committere aliis, sicut & missam.

CONCLUSIO II.

PRobabile est Parochum excommunicatum, irregularem, interdictum, aut suspensum, modo non sit privatus, aut suspensus ab officio Parochi, posse validè assistere matrimonio, non tamen licitè. Est communior.

Prob. 1. ex declarationibus prædictorum Cardinalium apud dictum Juenin, & Cardinal. Brancatum. Dicunt enim *Matrimonii validitati non obstare, quod parochus sit suspensus, aut irregularis.* Imò id colligi videtur ex ipso Concilio, quod non exigit nisi præsentiam parochi absque ullo ministerio; ergo quandiu est parochus, semper potest id præstare, sed per excommunicationem, irregularitatem, suspensionem, præcisè non cessat esse parochus; ergo semper potest validè assistere.

Prob. 2. nam censuræ illæ non invalidant administrationem, vel confectionem aliorum Sacramentorum, sed reddunt illicitam; ergo nec assistentiam matrimonii, quamvis Sacerdos hic se haberet ut minister, de quo non conveniunt omnes.

Confir. nam in ipsis nubentibus, qui dicuntur ministri, non irritatur, si nubant in statu talium censurarum; ergo nec in parocho. Et ita tenent illustres Canonistę, & Theologi, ut Barbosa de potest. Episc. & Parochi, & Cardin. Brancatus cit. licet probabilius putet eum posse delegare, quia delegatio est actus jurisdictionis.

Dixi, non tamen licitè, quia per censuras illas prohibentur illi actus omnes sacri, & circa divina.

Objic.

Objic. 1. Iste actus in parocho est jurisdictionis, sine qua tales actus sunt nulli; sed excommunicatus &c. caret omni jurisdictione; ergo talis actus in tali parocho est nullus.

Resp. dist. maj. est jurisdictionis impropriæ, con. strictæ, & propriæ, neg. maj. & conf. est enim nudus actus officii parochialis, ex decreto Concilii, unde sicut non est privatus officio, ut suppono; ita nec tali functione. Quod inde potest confirmari, quia ipso præsente, & non consentiente in matrimonium, adhuc valere potest.

Objic. 2. Parochus assistit ut testis, vel ut minister, sed neutrum dici potest de excommunicato, ut valeat actus; ergo &c. prob. min. 1. non ut testis, nam homo per excommunicationē fit inhabilis ad testificandum, sicut & ad accusandum, cap. *testes*, & cap. *cum inter*, & cap. *significasti*, de except. ergo &c. 2. non ut minister, nam ministratio esset actus ordinis, vel jurisdictionis, sed neutrum dici potest, ergo &c. prob. min. 1. non ordinis: alioqui hoc competeret omni, & soli Sacerdoti, quod est falsum, & contra nos. 2. non jurisdictionis, quia hæc tollitur per excommunicationem, ut patet, cap. *excommunicati*, & cap. *ad probandum*; ergo &c.

Resp. neg. 1. min. nam assistit ut testis, & dist. ant. ad testificandum, si debeat deponere, con. si non debeat deponere, neg. ant. requiritur ergo nuda præsentia, ut præveniatur vitium clandestinitatis, seu, ut loquitur S. Congregat. Cardin. *præstat solam præsentiam ad effectum tollendi clandestinitatem*.

CONCLUSIO III.

Non sufficit præsentia physica parochi, sed debet etiam esse moralis, ita ut advertat ad ea, quæ fiunt: non tamen necesse est, ut consentiat, sed sufficit præsentia coacta. Est etiam communis.

Prob. 1. p. ex Concil. quod exigit hanc præsentiam, ut sponsos interroget de mutuo consensu ad invicem, & illo audito, dicat, *Ego vos conjungo*. Sed hęc præstare non posset, si adesset dormiens, aut alio modo distractus, ita ut non adverteret ad ea, quæ fiunt; ergo &c.

Confir.

Confir. nam ideo requiritur hæc præsentia, ut vitetur clandestinitas, & polygamia, & se habet saltem ut testis, sed ad hæc non sufficeret sola præsentia Physica, & corporea, sine scil. morali attentione ad ea, quæ fiunt: ergo &c. prob. min. nam dormiens testis adhiberetur, ut olim milites à Judæis contra Christi Resurrectionem.

Prob. 2. p. ex decreto S. Congr. apud Farinacium, & Brancatum cit. ubi quæritur, *An, si invitus, & compulsus per vim parochus adsit, & contrahatur matrimonium, præcedente prohibitione Ordinarii, tale matrimonium subsistat? S. Congregatio respondit subsistere.* Habes duplicem violentiam. 1. contra prohibitionem Episcopi, & 2. contra voluntatem parochi, & tamen validè contrahitur coram isto; ergo non est necesse, ut iste volens adsit, modò adsit videns, & intelligens, quid agatur. Idem docet Barbosa, de offic. & potest. Episcopi, & de officio parochi.

Idem dicunt de testibus, modò similiter videant, audiant, & intelligant, quid agatur.

Objic. 1. con. 1. p. Concilium non requirit nisi nudam præsentiam, sed ad hoc non est necesse, ut videat, nec intelligat, quid agatur; ergo &c. prob. min. nam advertentia, & inadvertentia sunt actus merè interni, qui nequeunt percipi ab Ecclesia; ergo.

Resp. neg. min. & 2. conf. nam moraliter loquendo advertentia convertitur cum præsentia, alioqui dormiens, aut amens posset dici præsens, aut testis. Ideo advertentia interior præcipitur indirectè, ut connexa cum præsentia externa.

Inst. Si advertentia interior esset necessaria, semper dubitaretur de valore matrimoniorum, quia litigaretur de advertentia, imò & ipse parochus posset eam negare, sed hoc est maximum inconveniens, ergo &c.

Resp. neg. maj. nam ex præsentia externa, & modo, quo adest, colligitur interna, nec ipsi crederetur dicenti contra se de distractione, & inadvertentia in re talis momenti, sive ex negligentia, sive ex malitia.

Objic. 2. Si advertentia interior esset necessaria, paro-

parochus, & testes possent invalidare matrimonia, nec possent cogi ad assistendum, aut testificandum: sed cons. est falsum, & con.2. p. ergo &c. prob. maj. nam licet possent cogi ad præsentiam corporalem, non tamen ad interiorem advertentiam, possent nolle attendere, & sic matrimonia coram invitis non valerent; ergo &c.

Resp. neg. maj. & ant. Nam hoc ipso, quòd oculos averterent, vel clauderent, vel aures obturarent, contra ipsos præsumeretur advertentia.

Objic. 1. con.2. p. Præsentia inviti non est moralis, nec humana, sed Concilium exigit præsentiam humanam, & moralem; ergo &c. prob.maj. actus moralis debet esse voluntarius, & cum cognitione; ergo &c.

Resp. dist. maj. non est moralis ad meritum, vel demeritum, con. ad testificandum, neg. maj. & con. nam ad testimonium veritatis non requiritur voluntarietas, nec consensus in ea, quæ videntur.

Objic. 2. In ministro Sacramenti requiritur intentio, sed parochus invitus, & dissentiens non intendit; ergo nec facit Sacramentum; ergo nec matrimonium.

Resp.dist.maj. in vero ministro, qui conficit Sacramenta, con. in ministro assistente Sacramento ab aliis confecto, neg. maj.& cons. nam parochus, & testes non conficiunt matrimonium, sed sunt ministri purè assistentes, ut testes, vel arbitri.

Dico, ut testes, nam idem est de testibus, ac de Parocho, ut jam monuimus, debent, & sufficit eos adesse ita, ut videant, & intelligant, quæ fiunt, & de iis possint testificari. Unde pueri ante usum rationis, amentes, dormientes, &c. non sufficiunt, benè verò alii, quamvis aliunde in judiciis fidem non facerent, ut excommunicati, & fœminæ. vide Brancatum cit.

Quæres, *quis sit ille Ordinarius, qui præter parochum potest adesse?*

Resp. esse omnes illos, qui Episcopalem, aut similem habent jurisdictionem in locis, ubi celebrantur matrimonia; & hi possunt assistere per se, vel per delegatos.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De impedimento impotentiæ.

IMpotentia hic significat negationem facultatis ad copulam conjugalem, per quam ex commixtione seminum intra vas fœminæ, ambo fiant una caro. Alia est *perpetua*, quæ tolli non potest sine miraculo, vel peccato, vel periculo mortis evidenti. Alia *temporalis*, quę per remedia licita tolli potest. Rursus, alia est *absoluta*, quæ est respectu omnium: alia *respectiva*, quæ est respectu unius, non alterius.

Potest etiam venire ex variis causis. 1. Est *naturalis, & interna*, ut nimia frigiditas in viro, quæ reddit copulam impossibilem, vel ætas puerilis, vel senilis, vel nimius ardor, quo fit, ut statim ante copulam semen effundatur, nec possit illa perfici, maximè ex parte viri: vel nimia arctatio in fœmina, quæ non possit à viro penetrari naturaliter. 2. *Est externa artificialis*, v.g. ex amputatione testiculorum, aut membri genitalis. 3. est *præternaturalis*; v.g. ex maleficio dæmonum, quo impediuntur, maximè viri, ne possint coire, & consummare matrimonium. 4. est defectu potentiæ rationalis, ut in furiosis, vel amentibus. Quæritur autem de his impotentiis, an dirimant matrimonia, si eę præcedunt in alterutro conjuge.

Dico, quando præcedunt, nam si superveniant contractui, certum est, quod non dirimant, nam inquit Doctor, jam potestas in corpora fuit tradita, & capta possessio.

CONCLUSIO I.

I*Mpotentia simpliciter, ac perpetua præcedens matrimonium, impedit contrahendum, & dirimit contractum, sive sit cognita impotenti, sive non.* Est communis contra paucos, qui volunt aliquos cum tali impotentia posse velle nubere cum intentione castè vivendi, ut frater, & soror. *Isti magis fortè desponsant divitias, quàm personas*, inquit Doctor.

Prob.

Prob. ex Scoto triplici ratione. 1. Quia iste *contractus est datio potestatis in corpora ad talem actum, si petatur, sed iste non habet potestatem ad talem actum; ergo nihil tale dare potest; ergo nec contrahere. 2. in contractu isto, conjux obligat se ad talem actum, si petatur; sed talis actus est sibi impossibilis; ergo se obligat ad impossibile, obligatio autem ad impossibile nulla est, ex lege Divina; ergo lex Divina non approbat talem obligationem; ergo hæc nulla est. 3. Alia persona intendit commutare potestatem sui corporis pro potestate corporis alterius; ergo credit è converso alium posse commutare, sed non potest; ergo hic est error pertinens ad aliquid, quod est per se requisitum ad contractum: talis autem error facit contractum nullum, ut dictum est supra;* ergo habes conclusionem solidè probatam.

Prob. 2. ex SS. Canon. nam cap. *Quod sedem*, Alex. III. decernit, quod *qui impotentes sunt, minimè apti ad contrahendum matrimonium reputantur*. Idem colligunt Doctores ex cap. *Consultationi*, ubi videtur Lucius III. consentire, *ut si viri non possint eas habere ut uxores, habeant ut sorores*, scil. abstinentes ab omni carnali commercio. Sed Cœlest. III. c. *Laudabilem*, positivè statuit, *ut si mulier per justum judicium de viro probare potuerit, quòd cum ea coire non possit, accipiat alium*. Et cap. *literæ vestræ* idem dicit de viro, qui probatus fuerat non potuisse per octo annos cognoscere carnaliter uxorem, jubet eos separari.

Confir. ex communi Ecclesiæ praxi, quæ prohibet talia conjugia fieri, & facta rescindit.

Prob. 2. p. nam cognitio impedimenti intrinsecè oppositi naturæ, & fini hujus contractus non potest reddere illum validum; sed talis impotentia est intrinsecè opposita naturæ, & fini contractus conjugalis; ergo ejus cognitio non potest facere, ut valeat matrimonium cum illa. maj. patet, nam cognitio aliorum impedimentorum non facit, ut valeat matrimonium cum illis contractum. prob. min. nam essentia matrimonii consistit in mutua commutatione potestatis corporum ad prolificandum; sed impotentia ista opponitur illi commutationi, & fini; ergo opponitur intrinsecè naturæ, & fini matrimonii.

Confir.

Confir. ex SS. Decretis cit. nam absolutè, & indistinctè statuunt impotentiam absolutam, & perpetuam esse impedimentum dirimens, nec distinguunt de potentia cognita, vel non cognita. Quod maximè constat ex Bulla Sixti V. *Cum frequenter*. Nam inquit Pontifex hoc repugnat *secundum canonicas sanctiones, & naturæ rationem. Qui frigidæ naturæ sunt, & impotentes, iidem minime apti ad matrimonium reputantur*; ergo cognitio impotentiæ non reddit eos potentes, nec aptos ad validè contrahendum.

Prob. 2. rationibus allatis ex Scoto, nam concludunt talem impotentiam ex natura sua opponi essentiæ hujus contractus; ut legenti patebit. Nam finis intrinsecus ejus est prolificatio, & remedium concupiscentiæ, sed neuter finis potest intendi à cognoscente se sic impotentem; ergo cognitio impotentiæ non juvat.

Objic. 1. con. 1. p. non repugnat matrimonium sine copula; ergo nec cum impotentia copulæ. Ant. patet ex matrimonio B. V. Deiparæ cum S. Joseph, & de similibus, qui in matrimonio virginitatem servarunt, & de aliis, qui contrahere possunt validè cum voto mutuæ continentiæ. prob. cons. nam sive ex impotentia physica, sive morali, & spontanea, semper excluduntur illi fines matrimonii; sed hoc non obstante valent ista; ergo & illa matrimonia.

Resp. dist. ant. Sine copula actuali, aut intenta explicitè, con. sine copula aptitudinali, & intenta saltem implicitè, & virtualiter, neg. 1. ant. & pariter dist. 2. matrimonium Deiparæ supposita dispensatione divina (idem esset de aliis) con. seclusa dispensatione divina, neg. ant. & cons. nam inquit S. Bonaventura; *Ordinabilitas ad copulam est essentialis, quia est necesse, ut consentiant sponsi in mutuam corporum potestatem.* Matrimonium verò Mariæ fuit cum submissione ad Dei voluntatem. Nam inquit Doctor, in contractu matrimoniali, est mutua datio corporum ad copulam carnalem, sub conditione implicita, si petatur. Et B. V. sic contraxerat cum S. Joseph, sciens ex revelatione divina non fore petendam.

Objic. 2. Senes possunt nubere validè, sed senes sunt impotentes; ergo impotentes possunt validè nubere.

bere. maj. patet ex praxi, & ex facto Davidis cum Sunamitide.

Resp.neg.maj. Supposito,quod non possint consummare, non possunt nubere. Nam inquit Doctor, *Licet aliqua posset consentire in eum ad cohabitandum, sicut frater, & soror, & ita fortè plures magis desponsant divitias, quàm personas*. Ex facto autem Davidis nihil concluditur,quia licet dicatur,quod *non cognovit eam*,non sequitur, quin potuerit cognoscere.

Inst. Copula non est de essentia matrimonii, ergo impotentia ad illam non est impedimentum dirimens illud,quia ejus essentia subsistit cum illa.

Resp.dist.ant. Copula actualis, con. aptitudinalis, seu possibilis, neg. ant. sicut ratiocinatio actualis non est de essentia hominis, sed rationabilitas, sic copulatio non est de essentia matrimonii, bene verò copulabilitas, seu copulativitas.

Objic. 1. con. 1.p. Qui cognoscit se impotentem, potest accipere fœminam, ut ea utatur tamquam sorore, & tenet hoc matrimonium; ergo impotentia cognita non dirimit.

Prob. ant. ex cap. *Requisisti*, ubi Gregor. 1. dicit, quod si frigidus *non potest uti fæmina pro uxore, habeat eam ut sororem, aut maneant utrique innupti*. Et cap. *Consultationi* Lucius III. dicit, quod *Ecclesia Romana consuevit in consimilibus* judicare, ut quas uxores habere non possunt, habeant sorores; ergo impotentia non solvit vinculum, & tale matrimonium cum illa intentione valet.

Resp. neg. ant. & 2. cons. non enim rectè infertur ex illis textibus. Nam Gregor. de impotentibus, & frigidis jubet, ut maneant innupti, & quòd mulieres aptæ nubant aliis,si velint. Non etiam dicit,quod potuerint nubere cum ea intentione, sed solùm quod possunt sic manere, cùm post contractum reperiunt se impotentes. Lucii verò decretũ *non est præceptum, sed consilium*, ait Glossa: nec dicit valuisse illud matrimonium scienter contractum, nec quod verè illi sint conjuges.

Inst. Lucius dicit impossibile esse,quod cum fœminis impotentibus velint contrahere viri ergo supponit, quod si tamen velint,valet contractus.

Resp.neg. cons. nam aliud est, quod vir sciens eam

impotentem velit contrahere, & contrahat, & aliud, quod contrahat validum, & verum matrimonium; illud geri potest, non istud; erit contractus cohabitationis, & societatis fraternæ, sed non matrimonii veri. Nam inquit Glossa, *Nota, quòd cum arcta matrimonium contrahi non potest, poterunt simul manere, si consentiant ambo, non ex vi conjugii, sed amicitiæ quasi fraternæ.*

Inst. 2. Veri conjuges possunt cohabitare, ut frater, & soror, sc. cum perfecta continentia; ergo cùm canones dicunt, ut simul habitent impotentes, ut frater, & soror, non excludunt verum matrimonium.

Resp. dist. conf. Si loquuntur ex suppositione conjugii facti legitimè, & sine impedimento, con. si supponunt contractum cum impedimento, neg. conf. Nam de his non possunt loqui, ut de veris conjugibus.

Objic. ubi sunt aliqua bona conjugii, ibi potest esse verum conjugium: sed inter impotentes possunt esse aliqua bona conjugii, v. g. solatia societatis, humanitatis, & alia; ergo & verum conjugium. prob. min. ex cap. *Nuptiarum*, ubi Augustinus docet, quod nuptiarum bonum *fuit aliquando legi obsequium; nunc est infirmitatis remedium, in aliquibus, humanitatis solatium*; ergo istud bonum est sufficiens ad matrimonium inter impotentes.

Resp. dist. min. aliqua bona minùs principalia, con. principalia, neg. min. & 2. conf. nam canon ille non cogitat de præsenti quæstione: sed solùm probare vult, malas non esse nuptias, ut volebant Manichæi, & ideo memorat illarum bona, & utilitates.

Colligis ergo, quod undecumque proveniat impotentia, sive ex natura, ut in frigidis, vel fœminis arctis, sive *ex arte*, & *ab extrinseco*, ut in Eunuchis, quibus amputata sunt genitalia; sive *absoluta*, sive *respectiva*, propter aliquam improportionem inter duos, sive *ex maleficio*, semper impedit fieri, & dirimit factum ex parte impotentis; ita ut alter possit, si velit, alteri nubere: imo, si sit respectiva tantùm, poterit uterque nubere, quia improportio cum uno, potest non esse cum alio.

CONCLUSIO II.

Impotentia non perpetua, nec *illa*, *quæ subsequitur matrimonium validum*, *non est impedimentum dirimens*. Est etiam communis.

Prob. 1.p. ex Scoto [1] *Habens impedimentum perpetuum, & hoc respectu cujuslibet, debet manere sine spe conjugii, & tutum esset sibi intrare Religionem, quia si post contrahat de facto, & carnaliter copuletur, cogetur redire ad priorem, quia apparet sententiam divortii processisse ex errore... quia impedimentum, quod putabatur perpetuum, non erat;* ergo impotentia temporanea non dirimit.

Prob. 1. ex SS. Decretis Ecclesiæ, quæ semper, & ubique supponit impotentiam simpliciter, & perpetuam esse dirimentem, & quoties non constat de incurabilitate ejus expectandum esse, donec id certò sciatur. Ut cap. *Laudabilem* cit. ubi Lucius III. non permittit mulierem accipere alium, *nisi per justum judicium probare potuerit de viro, quòd eum illa coire non possit*. Et Glossa. c. *Frigiditas*, dicit, quòd tam frigidus, quàm maleficiatus expectare debet, usque ad triennium. Et Honor. III. dicit, quod si constiterit virum, & mulierem infra octo annos per continuum triennium simul habitasse, & se commiscere carnaliter non potuisse, proferatur divortii sententia inter illos. Quod à fortiori verum est de maleficiatis, quia de istis, *magis sperandum est impedimentum removeri posse, quod non processit à naturalibus*, ait Glossa. Idem patet cap. *si per sortiarias;* ergo quandiu speratur, quòd impotentia curari possit, non dirimit matrimonium.

Confir. ex cap. *fraternitatis*, ubi mulier, quæ licet fuisset reperta arcta incurabiliter, ideoque matrimonium fuisset irritatum, tamen cùm alteri nupsisset, & vas fuisset dilatatum, nescio quo medio, Innoc. III. decrevit secundum matrimonium esse nullum, & eam reddendam esse priori viro, quia *impedimentum non erat perpetuum, quod præter divinum miraculum, per opus humanum, absque corporali periculo potuit removeri, sententiam divortii per errorem,*

[1] d. 34. E. 6.

rem, licet probabilem, novimus esse prolatam, &c. ergo impotentia temporanea etiam absoluta non dirimit. Nam de essentia matrimonii non est, ut statim, vel intra tempus determinatum consummetur, vel possit consummari, quando impotentia non est perpetua: sufficit, quod possit aliquando consummari. Quia lex conjugii est affirmativa, & non obligat ad semper; ergo &c.

Prob. 2. p. Nam si post matrimonium validècontractum, superveniat impedimentum, seu impotentia; non potest retroagere ad illud dirimendum; ergo impotentia superveniens matrimonio non dirimit illud.

Quæres, *quomodo cognosci possit, an impotentia sit ex maleficio, & perpetua.*

Resp. hanc regulam tradi solere, sc. ut exorcismi Ecclesiæ adhibeantur, & orationes, jejunia, & alia pia opera celebrentur, & tandem per triennium cohabitent illi conjuges, &, si post illa media, & illud tempus constet maleficium non esse sublatum, censetur perpetuum, & dirimens. Nam, inquit Scotus, maleficium præsumitur perpetuum, si per triennium perseverat. Et decret. cit. assignant illud tempus, maximè, cap. *Laudabilem*, &c.

Quæres 2. *Quid dicendum de Eunuchis.*

Resp. integrè castratos inhabiles esse ad matrimonium; non autem si imperfectè solùm, ita ut non careant utroque testiculo.

Ratio. 1. p. est, quia isti carent vero semine, & sic inepti sunt ad finem principalem, & primarium matrimonii, licet fortè non sint inepti ad coitum, & ad sedandam propriam, vel alienam libidinem, & ita statuit Xyxtus V. an. 1581. B. *cum frequenter.*

Ratio 2. p. est à contrario, quia isti habent verum semen, & possunt consummare matrimonium ob finem primarium ejus.

Quæres 3. *Quid de hermaphroditis, qui habent utrumque sexum.*

Resp. Eos contrahere posse in sexu, qui prævalet, vel si in utroque sint æquales, poterunt eligere alterum, & in eo contrahere, jurando se non usuros alio sexu durante illo matrimonio.

Ratio est, quia in sexu prævalente potest consummari matrimonium ob finem ejus primarium, & ex

illo sexu dicuntur viri, aut fœminæ. Ut patet ex L. *Quæritur*.

Idem est de illis, qui æquales sunt in utroque. Nam possunt uti eo sexu, quem elegerint.

Quæres 4. *Quid dicendum, si impotentia naturalis, quæ judicata fuit perpetua, re vera non sit talis.* Dico, *naturalis*, nam de causali dicemus infra.

Resp. Quod si vir declaretur naturaliter impotens, & postea reperiatur potens, cum alia simili fœmina, cum qua contraxit; debet redire ad primam, non verò si contraxerit cum dissimili.

Ratio 1. p. patet ex cap. *Fraternitatis*, cit. quia declaratio fuit erronea; ideo, inquit Papa, primum conjugium fuit verum, & ideo 2. est invalidum.

Ratio 2. p. Quia tunc impotentia censetur respectiva, & perpetua respectu prioris fœminæ, aut viri, ideoque potuit aliam ducere.

Quæres 5. *Quid si impotentia erat ex maleficio, & judicata fuerat perpetua.*

Resp. Valere declarationem, & separationem, quia impotentia ex maleficio præsumitur respectiva, & pro una, vel uno, non pro omnibus; ergo licet declarata sit perpetua inter conjuges illos, non censetur perpetua respectu aliorum. Ideo, data sententia divortii, potest cessare in eis maleficium quoad alios, & sic poterunt aliis nubere.

Confir. ex cap. cit. *Si per sortiarias*; ubi de maleficiatis dicitur, quod *si forte sanari non poterunt, separari valebunt. Sed postquam alias nuptias expetierint, illis in carne viventibus, quibus juncti fuerant, prioribus, quos reliquerant, etiam si possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, nequaquam quibunt.* Cur autem aliud statuatur in casu impotentiæ naturalis? Ratio est, quia, ut dicebam, naturalis præsumitur perpetua, & ad omnes extendi, &, si aliter id esse comperiatur, sententia divortii præsumitur erronea, ideo prius conjugium subsistit. At, è contra, impotentia ex maleficio præsumitur respectiva, & ideo sententia divortii censetur justa inter primos, & sic nova matrimonia subsistunt. Sic conciliantur Canones *Laudabilem*, & *si per sortiarias.* Qui videntur pugnare.

Notat autem Juenin, quod non admittitur ista di-

stin-

stinctio in praxi. Qui enim per quamcumque impotentiam à priori uxore per sententiam judicis discesserit, numquam ad eam redire sinitur, & judex Ecclesiasticus, qui reditum illum decerneret, daret locum appellationi, quam *ab abusu* vocant.

Quæres 6. *An senectus decrepita censeatur impotentia dirimens.*

Resp. ex Scoto, [1] quod *si senex est omnino impotens, dicerem, quod non contraheret matrimonium*. Et Brancatus addit, quod nec Ecclesia id eis permittit; sed solùm in senibus potentibus copulari, & addit Scotus, quod *licet aliqua posset consentire in eum ad cohabitandum, sicut frater, & soror, & ita forte plures magis desponsant divitias, quam personas*; ergo non est verum matrimonium, sed pura societas humana.

Igitur, senectus non est impedimentum impotentiæ, quandiu senes possunt perficere copulam seminando, ait Brancatus, sed si non possunt eam perficere, ita nec nubere; non enim possunt dare potestatem sui corporis, quam ipsi non habent.

Reliqua ad hanc materiam habes apud Casuistas. Hæc studentibus nostris pro nunc sufficiant.

QUÆSTIO IX.

De impedimento ligaminis, seu polygamiæ.

PAuca de isto dicenda restant, suppositis, quæ diximus supra de unitate matrimonii. Ligamen istud nihil aliud est, quàm vinculum indissolubile, quod per verum matrimonium contrahitur inter virum, & mulierem, ita ut quamdiu ambo vivunt, neuter possit alium ducere, seu, quamdiu subsistit illud matrimonium, non possit valide aliud contrahi, sic nec vir potest eodem tempore habere plures uxores; nec mulier duos viros, ut diximus de polygamia simultanea, quam probavimus prorsus illicitam, & invalidare matrimonium.

[1] *d.23.n.4.*

CONCLUSIO I.

Ligamen *est impedimentum absolutè, & simpliciter dirimens, matrimonium*. Est communis, & patet ex dictis de polygamia.

Prob. ex Scoto, [1] quia Deus *instituit, & pro statu innocentiæ, & pro statu naturæ lapsæ regulariter istam commutationem* (corporum viri, & fœminæ, in qua consistit essentia matrimonii) *debere fieri unius cum uno. In hoc ergo est completa justitia*.

Prob. 2. ex Concil. Trid. [2] *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anath. sit.* Sed qui post contractum matrimonium cum una, &, ea vivente, duceret aliam, haberet duas uxores, (idem est de fœmina, quæ vivente priore viro, duceret alium) ergo &c.

Prob. 3. Nam essentia matrimonii consistit in mutua traditione corporum inter marem, & fœminam; ergo ut validè contrahant, debent habere plenum dominium suorum corporum; nemo enim dare potest, quod suum non est: sed stante conjugio unius viri, cum una fœmina, ille non est amplius dominus sui corporis; ergo &c. Prob. subs. nam, *mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir, nec vir habet potestatem sui corporis, sed mulier*; ergo &c.

Dixi, *stante matrimonio*; nam sicut per mortem unius, dissolvitur matrimonium, ita & ligamen. Ideo asserimus licitam esse polygamiam successivam, non simultaneam.

Objic. Ligamen non dirimit lege ulla divina, vel humana; ergo &c. Prob. ant. 1. Non lege divina, nam constat ex Script. SS. Patriarchas habuisse plures uxores, ut Abraham, Jacob, &c. 2. Non lege humana; alioqui Ecclesia, vel Princeps posset in hoc dispensare, quod dici non potest.

Resp. neg. 1. ant. & dist. 2. habuisse ex dispensatione divina, con. sine dispensatione, neg. ant. Nam ut diximus, cum Patriarchis Deus dispensabat ob rationes prædictas.

CON-

[1] *d. 33. b. 3.* [2] *sess. 24. ca. 2.*

CONCLUSIO II.

I*Mpedimentum hoc nascitur ex matrimonio rato, licet non consummato.*

Prob.1. ex Scoto, [1] qui non putat probabile, quod *insolubilitas matrimonii veniat ex actu carnali superaddito, sed simpliciter ex contractu, qui est datio mutua, & quòd actus iste* (carnalis) *non est aliquid novi contractus, nec aliquam novam indissolubilitatem inducit*; ergo tam ligamen nascitur ex matrimonio rato, quàm consummato, quia in utroque est tota essentia matrimonii.

Prob.2. In ipso contractu, & ante consummationem conjuges sibi mutuò dant corpora sua; ergo in ipso contractu, præcisè, contrahunt ligamen, quo amittunt potestatem suorum corporum ad invicem; ergo & potestatem nubendi aliis.

Confir. Ante copulam, matrimonium est verum Sacramentum, & habet totam ejus essentiam; ergo & totum vinculum impediens, ne possint ulterius contrahere, quia nihil eis restat donandum ulterius.

Prob.3. ex Concil. Later. III. ubi definitur, quòd si matrimonium sit ratum cum una, & contrahatur cum alia, iste 2. contractus est nullus. Et cap. *licet*, ubi Alex. III. dicit, quod postquam duo consenserunt per verba de præsenti, *non licet mulieri alteri nubere, &, si nupserit, etiam si carnalis copula secuta sit, ab eo separari debet, ut ad primum redeat.* Et cap. fin. idem Innoc. 3. in pari casu decernit, *id, quod prius factum fuerat de jure, non potuit irritari.* Idem statuit Gregor. IX. cap. *Si inter.*

Objic. Alex. 3. cit. can. dicit aliter aliquando fuisse judicatum ab aliis; ergo istud ligamen non necessariò nascitur ex matrimonio rato: alioqui illi alii Pontifices errassent, quod nemo dixerit.

Resp. dist. ant. Aliter ab aliis judicatum doctrinaliter, & opinativè, con. definitivè, & decretoriè, seu ex cathedra, neg. ant. Nam ut docent Canonistæ, illi prædecessores Alexandri, sic opiniati sunt ut doctores privati, non ex cathedra, nec ut doctores universales Ecclesiæ. Ideo nullibi habentur eorum decreta sicut habentur contraria. Imò gravissimi Doctores

docent Papa facere non posse, quod matrimonium ratum per verba de præsenti dissolvatur per subsequens consummatum, quia per 1. translatum est dominium corporum inter sponsos, lege divina, & naturali insolubile.

Inst. Glossa dicit, quod in Ecclesia Mutinensi mos erat, ut per 2. matrimonium consummatum dissolveretur 1. quod non erat nisi ratum; ergo &c.

Resp. dist. ant. ex errore, vel ignorantia, aut corruptela, con. ex usu legitimo, neg. ant. ideo mos ille *correctus fuit*, inquit Glossa ipsa.

Objic. 2. Ideo matrimonium inducit ligamen dirimens alia, quia per illud conjuges duo fiunt una caro, sed non fiunt una caro per matrimonium ratum, & ante copulam; ergo matrimonium ratum non facit ligamen dirimens.

Resp. neg. maj. nam ligamen dirimens nascitur ex natura hujus contractus, quo conjuges sibi mutuo donant corpora sua, quæ ampliùs sua non sunt, ut ea donent aliis, & quia Deus sancivit, quod *relinquet homo patrem... & adhærebit uxori suæ*, & Christus dixit, *Quæ Deus conjunxit, homo non separet*. Et hæc non dependent ex copula carnali, sed nascuntur ex contractu cum sacramento.

Inst. Insolubilitas vinculi venit ex repræsentatione unionis Christi cum Ecclesia: sed hoc non repræsentat nisi per copulam, & consummationem; ergo &c.

Resp. neg. ant. nam potiùs insolubilitas matrimonii est causa talis repręsentationis. Nisi enim esset insolubile, non repręsentaret illam unionem inviolabilem Christi cum Ecclesia, quæ est sponsa ejus unica, *sicut Christus est unicus sponsus unius Ecclesiæ, & Ecclesia est unica sponsa unici sponsi Christi*, ait Scotus. [1]

Objicies 5. Vir post matrimonium ratum nondum possidet Annam, benè verò possidet Bertam, si ducit eam, & consummet cum ea; ergo hoc 2. matrimonium prævalet 1. & tenet, ergo ligamen cum Anna non dirimit matrimonium 2. cum Berta. prob. conf. *Nam melior est conditio possidentis.*

Resp. neg. ant. nam per consensum mutuum, vir, & Anna sese mutuò possident, & in his, *prior tempore potior est in jure*.

Inst.

[1] *d. 33. q. 2. B, 3.*

Inst. Vir consentiens in Annam potuit retinere voluntatem ducendi Bertam; ergo per illum priorem consensum non contraxit ligamen dirimens 2.

Resp. dist. ant. Potuit retinere per contractum invalidum, & fictum con. per contractum validum, & verum, neg. ant. nam cum tali intentione contractus ille primus esset invalidus.

CONCLUSIO III.

Impedimentum ligaminis est de jure Divino, & Ecclesiastico, & aliquo modo de jure secundario naturæ. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] nam inquit, *Deus constituit pro statu naturæ lapsæ, & innocentiæ regulariter istam commutationem* (corporum in matrimonio) *deberet fieri unius cum una.* Et alibi docet *monogamiam esse de lege naturæ*, secundariò, sc. quatenus regulariter est consonum legi naturæ primo *modo dictæ.* Et infra, *pro lege Euangelica non habet locum polygamia, nec licet dimittere uxorem; ergo nullo modo, ipso vivente, sive dimissa, de facto, sive non dimissa, licet cum alia contrahere;* ergo ex Scoto, impedimentum hoc est de jure Divino, naturali, & humano. v.d.26.q.1.H.

Prob. 2. ex dictis, nam Concil. Trid. cit. dicit anath. asserentibus polygamiam *nulla lege divina esse prohibitam;* ergo impedimentum ligaminis venit ex lege divina, qua prohibetur contractus cum uno, vel una 2. fœmina vivente prima.

Prob. 3. ex Script. nam Deus per os Adæ dixit, *Erunt duo in carne una*: non tres, nec quatuor. Et Christus. *Qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam creavit eos.* Et ut notat Chrysost. *Non dixit, quia virum, & mulierem unam solummodo fecit: verùm etiam, quia jussit, ut unus uni conjungatur; nam si voluisset alteram etiam conduci uxorem uni viro creato, multas formasset mulieres* ergo Deus voluit hoc impedimentum, quo ligaretur unus vir uni soli fœminæ, & vicissim.

Prob. 2. p. de jure Ecclesiastico, tum ex Concil. cit. tum ex can. 48. Apostol. *si quis laicus, sua uxore reje-*

[1] *d.3.q.1.G.3.*

rejecta, aliam acceperit, vel ab alio solutam, segregetur, & id constat etiam ex Concil. Florent. cit. de polygamia.

Prob. 3. p. nam congruit legi, ac rationi naturali, ut proles benè educetur, & pax in familia servetur, & æquitas: sed hæc fieri non possunt, si vir ligatus cum una ducat simul alias uxores, non poterit æqualiter curare omnes earum filios, nec æqualiter amare, non servabit justitiam inter illas, nec per consequens pacem, nec fidem, sorores erant Lya, & Rebecca; nec tamen concordabant; ergo &c.

Objic. 1. Script. Nullibi prohibet pluralitatem uxorum; ergo istud impedimentum non est de jure Divino.

Resp. dist. ant. nullibi prohibet explicitè, & formaliter, con. implicitè, & virtualiter, neg. ant. ut patet ex locis citatis, juxta mentem SS. Patrum.

Inst. Si Deus id prohibuisset; peccassent Patriarchæ, qui plures duxerunt, ut Abraham, qui Saram, & Agar, Jacob, qui Lyam, & Rachel, & Lamech, qui septem habuisse legitur, &c.

Respondeo dist. ant. Peccassent, nisi Deo inspirante, & dispensante id fecissent, con. absolutè, & simpliciter supposita dispensatione, neg. ant. Illi SS. Patriarchæ plures ita duxerunt Deo inspirante, & dispensante, ita ut ligamen non fuerit pro illis impedimentum dirimens.

Objic. con. 3. p. Si esset impedimentum de jure naturæ, non posset in eo dispensari; sed conf. est contra nos, ergo hoc impedimentum non est de lege naturæ.

Respondeo dist. maj. Si esset de jure primario naturæ, con. si de secundario, neg. maj. Non enim dicimus id esse de jure primario naturæ, sed solùm de secundario.

CONCLUSIO IV.

Impedimentum ligaminis cessat in superstite conjugum, altero mortuo, sed debet haberi certitudo de morte istius. Est de fide quoad 1. p. & patet ex dictis de polygamia successiva.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] de perpetuitate, & insolubilitate

[1] d. 26. E.

litate matrimonii, nam hæc non poteſt extendi ultra vitam amborum ſimul.

Prob. 2. ex Script. dicente Apoſt. [1] *Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit vir ejus, ſoluta eſt lege viri.* Et alibi, *mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod ſi dormierit vir ejus, liberata eſt: cui vult, nubat.* Idem eſt de viro mortua uxore: ergo &c.

Confir. ex dictis de inſolubilitate. Nam ibi probatum eſt non prohiberi polygamiam ſucceſſivam, ita ut vir mortua una uxore poſſit ducere aliam, & ſimiliter de uxore mortuo viro.

Prob. 2. p. etiam ex dictis. Nam in re tanti momenti non debet procedi ex levibus conjecturis, aut teſtimoniis, vel ſignis incertis.

Colliges 1. Quod ad licitè, & validè nubendum non ſufficit abſentia ſeptem, aut plurium annorum, ſed nequidem 20. aut plurium, ut patet ex cap. *in præſentia*, ubi Clem. III. dicit *de mulieribus, quæ viros ſuos cauſa captivitatis, vel peregrinationis abſentes ultra ſeptennium præſtolatæ fuerint, nec certificari poſſunt de vita, vel morte ipſorum, licet ad hoc ſollicitudinem adhibuerint diligentem, & juvenili ætate, ſeu fragilitate carnis nequeunt continere... Reſpondemus, quòd quantocumque annorum numero, ita remaneant, viventibus viris ſuis, non poſſunt aliis nubere.* Quid clarius? *In matrimonio non currit præſcriptio* (inquit Gloſſa) *licet omnia jura præſcriptione tollantur.... Alter conjugum debet expectare, quouſque ſit certus de morte alterius.* Item notat, quod, *per hanc decretalem abrogantur leges, quæ dicunt mulierem per quinquennium tantùm debere expectare virum.*

Colliges 2. non ſufficere ſolam famam de morte. 1. Quia hæc fama ſæpiſſimè fallit. 2. Quia Eccleſia prohibet fœminas illas contrahere, *donec certum nuntium accipiunt de morte virorum.* 3. Quia in criminalibus *ſola fama non probat*, cap. *tua nos*; ergo neque in nuptiis.

3. A fortiori non ſufficit moralis exiſtimatio, ut patet ex eodem canone, qui exigit *certum nuntium*, & cap. *Dominus*, ubi Lucius III. prohibet ſecundas nuptias, *donec mulieri conſtet, quòd ab hac vita migra-*

verit conjux ejus. Unde S. Congregatio Concilii an. 1658. præscribit tres, ut si dixerint, quod contrahens habuit uxorem, aut maritum, qui sit mortuus, debent illi interrogari de loco, & tempore mortis, & quomodo id sciant, & si dixerint fuisse in aliquo hospitali, & vidisse sepeliri, &c. decernit non debere permitti, ut contrahant, nisi recepto testimonio authentico à Rectore illius hospitalis.

4. Nec sufficere veri similitudinem, quia hæc non est veritas, sed sæpe fallit; ergo qui sub illa veri similitudine nuberet, exponeret Sacramentum.

5. Requiruntur ergo saltem duo testes idonei de usu, aut saltem unus, non quidem solus, sed cum aliis adminiculis, v.g. cum fama, aut liber parochi, in quo describuntur nomina mortuorum, cognomina, patria, & dies mortis, aut sepulturæ.

Sed de his satis. v. Cardinal. nostrum Brancatum, & alios.

QUÆSTIO X.

De impedimento consanguinitatis.

CONsanguinitas est *vinculum personarum ab eodem stipite proximo descendentium carnali propagatione contractum*. Stipes autem est persona illa, in qua uniuntur consanguinei, seu cujus sanguinem participant. *Linea* est ordo, seu collectio personarum sanguine conjunctarum, & triplex est. *Ascendentium*, qua progreditur à propagatis ad propagantes, ut à filio ad patrem, matrem, &c. 2. *Descendentium*, qua progreditur à propagantibus, seu, progenitoribus ad propagatos, seu progenitos, ut à patre, vel matre ad filium, aut filiam, ad nepotem, vel neptem, &c. 3. *collateralis*, seu *transversa*, in qua ordinantur personæ ab illo stipite descendentes, sed inter se independentes, seu à se invicem non descendentes, ut frater, & soror, qui sunt immediatè ab eodem patre, & consobrinus, & consobrina, qui sunt ab illis fratre, & sorore.

Rursus, quædam linea dicitur *Recta*, in qua ordinantur personæ sic descendentes à stipite, ut etiam una ab alia directè procedat per carnalem propagationem, ut filius à patre, & nepos à filio, & pronepos

à nepote. 2. alia *transversa*, quam mox descripsimus in laterali. 3. alia *æqualis*, in qua sunt, qui æqualiter distant à stipite, ut frater, & soror. 4. alia inæqualis, in qua sunt, qui inæqualiter distant à stipite, ut frater, & filius sororis: nam frater est in 1. gradu, & filius sororis est in 2. *Æqualis* dicitur etiam *recta*, quia in ea nulla pars est altior, vel inferior alia, ut patet de fratribus, & sororibus.

Nomine *graduum*, quibus constant lineæ, intelligitur determinata propinquitas, vel distantia unius personæ ab alia secundum sanguinem, quia per illos cognoscimus, quantum ad se invicem pertineant, aut distent per singulas personas, ascendendo, vel descendendo quasi per gradus scalæ.

Notandum, quòd in jure civili gradus lineæ transversæ computantur absolutè secundum numerum personarum à stipite descendentium, sic duo fratres faciunt duos gradus, tres fratres faciunt tres gradus, sed in jure Canonico centum fratres non faciunt nisi unum gradum, quia uno tantùm gradu distant ab eodem patre.

His præmissis pro intelligentia terminorum, ponuntur tres regulæ pro computandis his gradibus. 1. in linea recta ascendentium, & descendentium tot sunt gradus, quot personæ ex uno stipite descendentes, dempto stipite. Sic Pater, & filius sunt quidem duæ personæ, sed unicus gradus, quia pater, qui est stipes, non numeratur, sic filius est in 1. gradu, nepos in 2. pronepos in 3. & abnepos in 4. Idem est de fratre, & sorore, seu de pluribus fratribus, sunt enim omnes in 1. gradu, quia non plus distant à stipite, seu patre.

2. Regula est pro *linea tranversa æquali*. Personæ tot gradibus inter se distant, quot singulæ distant à communi stipite: sic filii fratrum, seu consobrini sunt in 2. gradu, & istorum filii sunt in 3. quia tribus gradibus distant à stipite, seu à patre fratrum.

3. Est pro linea *transversa* æquali. Personæ tot gradibus inter se distant, quot gradibus remotior illarum distat à stipite. Sic Japhet, & Arphaxat filius Sem sunt in 2. gradu, quia Arphaxat distat duobus gradibus à Noe, licèt Japhet sit in 1. respectu Noe, & patris sui Japhet. Ratio harum duarum regularum

est:

eſt: Nam inquit Doctor, *qui ſunt in linea tranſverſali, non habent inter ſe propinquitatem, niſi ratione ſtipitis, & ideo non poſſunt inter ſe propinquiùs conjungi, quàm remotior eorum conjungatur ſtipiti.*

Conveniunt autem omnes, quod in linea aſcendentium, & deſcendentium nullus datur gradus, in quo valeat matrimonium. Ideo ſi Adam adhuc viveret, non poſſet in toto genere ſuo nubere, & licèt ab initio creationis fieret matrimonium in 1. gradu tranſverſo, numquam tamen fiebat in linea deſcendente. Quod videtur innuere Scriptura, dicens, [1] *relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ*, Id *Relinquet quoad copulam conjugalem, quod non intelligitur tantùm de patre proximo, ſed de quocumque in linea recta.*

CONCLUSIO I.

IN omni lege aliqua propinquitas ſanguinis impedivit matrimonium. In lege Euangelica impediebat aliquando uſque ad 7. gradum; ſed poſt Concilium Lateran. ſub Innoc. III. impedit ſolum uſque ad 4. incluſivè. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. *Dico, quod in omni lege aliqua propinquitas impedivit. In lege naturæ illa ſola, ut dictum eſt, in 1. gradu in linea deſcendente .... fortè etiam poſt multiplicationem humani generis, ſi ſtetiſſet in innocentia, fuiſſet prohibitio in quibuſdam gradibus ultra primum. Sed in principio non potuit fieri. In tranſverſa ne quidem prohibebatur in 1. quia tunc non erant aliæ fæminæ, quàm ſorores. In Lege Moyſi erat prohibitio quantum ad quoſdam gradus ulteriores, ut patet Levit. 18. In lege autem Euangelica fuit aliquando prohibitio uſque ad 7. gradum .... ſed ſub Innoc. III. reſtricta eſt uſque ad 4. gradum incluſivè.* Habes ergo hic totam concluſionem in Doctore Subtili.

Prob. 1. p. Certum eſt, quod filii Adæ duxerunt ſorores ſuas defectu aliarum fœminarum, & iſtorum filii nupſerunt tantùm conſobrinis; ſed nuſquam legitùr matrimonium inter aſcendentes in linea recta.

Dico, *in linea recta:* nam quoad tranſverſam, & lateralem, patrui, & avunculi duxerunt neptes, Abraham duxit Saram filiam fratris ſui Aran; ideo

di-

dicebat eam sororem, *Soror mea est filia fratris mei, & non filia matris meæ*. Quod significat tunc non licuisse amplius nuptias inter fratres, & sorores, alioqui non se ab hoc excusaret Abraham. Idem est de nepotibus cum amitis, seu sororibus patrum; ideo Amram pater Moysis duxit Jocabelem filiam Levi, qui erat avus Amram.

Confir. ex Lege Moysis. Nam in linea recta inter descendentes, & ascendentes in quantumcunque distanti gradu prohibita sunt semper conjugia, juxta illud, *Turpitudinem matris tuæ non discooperies .... Turpitudinem filiæ filii tui, vel neptis ex filia, non revelabis, quia turpitudo tua est*. Similiter in linea laterali inter fratres, & sorores, *Turpitudinem sororis tuæ ex patre, sive ex matre .... non revelabis*. Item in 2. gradu inter nepotem & avunculam, *Turpitudinem sororis patris tui non discooperies, quia turpitudo est patris tui*. Idem est de sorore matris. Non ita est de linea laterali descendentium: nam avunculus poterat ducere neptem, nec enim tanta est incongruentia naturalis, ut quæ est natura inferior, ut neptis respectu avunculi, fiat etiam inferior ex conjugio, quàm, ut qui natura est superior, qualis est avuncula respectu nepotis, fiat inferior conjugio.

Prob. 2. p. Nam licèt Christus non dederit expressè de hoc præceptum, *nec inveniatur alia prohibitio ultra prohibitionem Legis naturæ* (ait Doctor) *nec etiam explicitè confirmavit prohibitionem super hoc factam in lege Mosayca, sed Ecclesia illegitimavit personas aliquando in gradu remotiori, postea in 4. gradu*. Hæc abhorruit matrimonia in 1. gradu lineæ rectæ transversalis, sc. inter fratres, & sorores, licèt aliquando permiserit in 2. inter consobrinos, & consobrinas. Id colligitur ex l. *Celebrando*, in qua rescinditur lex Theodosii senioris prohibentis matrimonium inter consobrinos, & dicitur, *matrimonium inter consobrinos habeatur legitimum*. Legimus tamen, quod Greg. Magnus scribens ad Augustinum Anglorum Episcopum improbat hanc legem. Et Concil. Agathense an. 506. & Turon. II. an. 567. damnant matrimonia inter consobrinos. Et sic de aliis.

Prob. ex SS. Canonibus, & historiis Ecclesiasticis: nam cap. *de affinitate*, in Concilio Meldensi dicitur, de

de affinitate consanguinitatis per gradus cognationis placuit usque ad 7. generationem observare, & cap. *Nullum*, quod tribuitur eidem Gregorio, vel Concil. Aurelian. & cap. *de sanguinitate*, idem habetur. Et cap. *Nulli*, ex Concil. Lugdun. & cap. *Contradicimus*, ex Concil. Cabilon.

Prob. 3. p. ex Concil. Lateran. IV. & cap. *Non debet*, ubi dicitur, quod *prohibitio copulæ conjugalis 4. consanguinitatis, & affinitatis gradum de cætero non excedat*. Et è contra, qui contrahunt intra 4. gradum, consanguinitas est impedimentum dirimens, & non ultra. Et talis est hodie praxis Ecclesiæ.

CONCLUSIO II.

Matrimonium jure naturæ prohibetur in 1. gradu lineæ rectæ ascendentium, imò & probabiliter in aliis ejusdem lineæ, atque etiam inter fratres, & sorores, sed in aliis lineis, & gradibus prohibetur jure positivo. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. *In lege naturæ illa sola, ut dictum est, in 1. gradu in linea descendente* (sc. propinquitas impedivit) *id non intelligitur tantùm de patre proximo, sed de quocumque in linea recta*, &c. ergo ex Scoto lex naturę prohibet matrimonium inter consanguineos in omnibus gradibus lineæ rectæ descendentium, & in aliis lineis id prohibetur ab Ecclesia.

Prob. 2. 1. p. Nam ipse Scotus, & S. Bonaventura, & alii ad hoc probandum utuntur his verbis Script. *Relinquet homo patrem, & matrem*, sc. quantum ad copulam carnalem; ergo lex naturæ horret tale conjugium, & ab eo excipit duas illas personas; vinculum sc. consanguinitatis, quod est stipitis ad prolem, impedit propter dictamen naturæ, ait Seraph. Doctor, & Scotus dixit ex Philosopho, quod ipsa bruta abhorrent à copula cum matribus suis, afferens exemplum de equo, & elephante.

Prob. 3. ex horrore omnium gentium, quantumvis barbararum: non enim venit ab ulla lege positiva, sed purè ex naturali. Unde legitur de filio Semiramidis, qui sollicitatus à matre impudicissima ad concubitum, ex horrore eam occidit.

Prob. 2. De gradibus inferioribus in illa linea iisdem ra-

rationibus, & maximè ex omnium nationum sensu, id enim venire non potest, nisi à natura, quæ vel à cogitatione talis conjunctionis abhorret. Certè reverentia nepotum in avos, & atavos facit, ut ratio naturalis horrescat concubitum inter illos, nec alius amor vigere potest inter illos, quàm reverentialis, quæ reverentia tanto major est, quanto remotiores sunt.

Prob.3.p. de 1. gradu lineæ transversæ, seu de fratribus, & sororibus: nam filii Adæ cum sororibus suis nupserunt ex necessitate, & propter inopiam aliarum fœminarum; sed extra hunc casum non legitur fratres nupsisse cum sororibus, nequidem apud barbaros; ergo id non habuerunt nisi ex lege naturæ, seu ex lumine rationis naturalis.

Confir. ex facto Abrahæ: nam cùm ingrediens Ægyptum timeret se occidendum ab Ægyptiis propter Saræ pulchritudinem, rogavit, ut se diceret non uxorem, sed sororem. *Dic, obsecro, quod soror mea sis*, ne sc. suspicentur te esse meam uxorem; ergo sciebat Abraham Ægyptios, licèt barbaros, horrescere naturaliter conjugium in 1. gradu lineæ transversæ, seu inter fratres, & sorores.

Prob.4.p. tum ex Script. cit. pro lege Mosayca; nam ibi legitur, [1] *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus*, & declarat gradus prohibitos, ut dictum est. Et pro lege Euangelica adduximus plurima decreta Sanctorum Pontificum, & Conciliorum, maximè Lateran.IV.

Confir. ex Trident.[2] quatenus definit alios consanguinitatis, & affinitatis gradus dirimere, aut impedire, *præter illos, qui in Levitico exprimuntur*, & Ecclesiam illa impedimenta statuere potuisse; ergo de facto Ecclesia statuit impedimenta inter consanguineos in pluribus gradibus consanguinitatis.

Objic.1. con.1.&2. Si natura prohiberet matrimonium in 1. gradu, magis prohiberet, ubi est major conjunctio, & unitas carnis; sed non prohibuit, ubi est major conjunctio carnis, quam in 1. gradu; ergo &c. Probat. ant. In Adam, & Eva fuit major conjunctio carnis, quam inter patrem, & filiam; Eva

[1] *Lev.18.* [2] *Sess.24.can.3. & 4.*

Eva erat *os de ossibus*, *& caro de carne Adæ*, scilicet unitate materiali, & formali; sed in patre, & filia unitas illa est longè minor, est enim solum virtualis.

Resp. dist. maj. major per viam generationis carnalis, conc. maj. & neg. min. alio modo, neg. maj. & 2. conf. quia unitas carnis Adæ, & Evæ non fuit per viam generationis carnalis, sed miraculosæ conversionis, qua Deus ædificavit *costam in mulierem*. Talis autem unitas non pertinet ad naturam.

Objic. cont. 2. Nulla ratio naturalis vetat conjugia in gradibus remotissimis in linea recta descendentium; ergo gratis asseritur hoc impedimentum in hac linea. Prob. ant. Nam multi infideles, ac barbari sic nupserunt, & si venirent ad fidem sic nupti, tales manerent; ergo &c.

Resp. neg. 1. ant. & 2. conf. Nam reverentia, quam debent nepotes avis, & atavis suis, non patitur æqualitatem, & familiaritatem, quam exigit societas conjugalis, sed facit, ut abhorreant à maritali concubitu, & certè monstruosum est in natura, quod generatio retrocedat, & ex tali barbarie nihil bonum inferri debet, nec tolerarentur illa conjugia, si venirent ad fidem.

Inst. ex cap. *Gaudemus*, Innoc. III. dicit, *Infideles conversos, & conjunctos in gradibus prohibitis non debere separari, quia per sacramentum baptismi conjugia non solvuntur, sed peccata dimittuntur*; alioqui ab amplectenda fide averterentur, ne cogerentur separari dimittendo uxores; ergo manerent nupti.

Resp. dist. 1. ant. & 2. conf. in gradibus ab Ecclesia prohibitis, conc. in prohibitis à natura: neg. ant. & conf. nec enim de istis loquitur Papa, sed de gradibus ab Ecclesia prohibitis, sc. in lineis laterali, & transversa.

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

De impedimento affinitatis.

Affinitas dicitur à finium vicinitate Agri dicuntur affines, quia uno quasi limite, & termino finiuntur ad invicem. Est ergo *affinitas*, de qua hìc agitur, *vinculum personæ ad personam ex coitu proveniens, carens omni parentela*. Nam hoc ipso, quòd Petrus nubit, & coit cum Berta, omnes consanguinei Petri accedunt ad fines ejusdem Bertæ. Idem est de consanguineis Bertæ cum Petro. Et isti dicuntur affines Petri; & illi affines Bertæ. Petrus autem, & Berta non dicuntur affines, sed causæ affinitatis.

Dixi, *consanguinei Petri cum Berta*, non verò cum consanguineis Bertæ. Nam inter consanguineos eorum non exurgit affinitas. Ideo frater Petri potest ducere sororem Bertæ, & filius Bertæ ex alio viro potest ducere filiam Petri ex alia uxore; & sic de aliis.

Porrò, *affinitas*, alia est ex copula *conjugali*, & *legitima*; alia ex copula illicita, fornicaria: & ex illis non nascitur idem impedimentum. Agimus de utraque,

CONCLUSIO I.

Affinitas est impedimentum dirimens matrimonium intra 4. gradum, si est ex copula conjugali: & usque ad 2. gradum inclusivè, si est ex copula fornicaria. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. Dico, *Affinitas simpliciter dirimit matrimonium... Et in eodem gradu... In quo consanguinitas. Et hoc de affinitate propriè dicta*, Et quoad aliam. *Non solum cum uxore; sed cum concubina, vel meretrice contrahitur affinitas consanguineorum ipsius viri*; ergo &c.

Prob. 1. p. ex Canonibus cit. pro consanguinitate; nam de utraque loquuntur eodem modo. Et cap. *De propinquis*, ubi Fabianus dicit, quòd, *qui ad affinitatem veniunt per virum, & uxorem defuncta uxore, vel*

vel viro in quinta generatione conjunguntur? In quarta si inventi fuerint, non separentur, sc. tunc dirimebat in 3. gradu. Sed alii Pontifices extenderunt hoc impedimentum ad 4. gradum, ut constat ex cap. *Si qua mulier*, ex Hygino, & cap. *Æqualiter*, ubi Julius 1. decernit, quòd, *æqualiter vir conjungatur consanguineis propriis, & consanguineis uxoris suæ*. Tunc consanguinitas impediebat usque ad 7. gradum, ut patet cap. *Nullum*. Idem statuit Gregor. 1. cap. *progeniem*, sed Concil. Lateranen. IV. decernit, quod *prohibitio copulæ conjugalis 4. consanguinitatis, & affinitatis gradum de cetero non excedat*. Idem dixit Alex. III. cap. *ex litteris*, & Innocen. III. cap. *non debet*.

Prob. 3. ex praxi Ecclesiæ, quę affines in 4. gradu ex copula conjugali ad nuptias non admittit; ergo &c.

Prob. 2. p. de copula illicita 1. ex Concil. Trid. [1] dicente, *impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantùm, qui in 1. & 2. gradu conjunguntur, restringi*; in ulterioribus verò gradibus non dirimere. Idem statuit Pius V. c. ad *Romanum*, dicens, *declaramus, & Apostolica auctoritate decernimus, nullum hodie impedimentnm remanere, quominus in ulterioribus gradibus hujusmodi* (post 1. & 2.) *liberè, & licitè matrimonium contrahi possit*; ergo ex copula fornicaria nascitur impedimentum affinitatis, usque ad 1. & 2. gradum dirimens matrimonium, si in eis contrahatur.

Quæres, *An etiam contrahatur ex copula contra naturam*.

Resp. negativè; nam licet actus sint horrendi, tamen per illos non miscentur propriè sanguines, nec contrahitur unitas carnis. Ita decernit Urbanus II. cap. *Extraordinaria*. Nam, inquit glossa, *pollutio illa non facit sanguinis conjunctionem, nec carnis unitatem*.

Quæres 2. *An contrahatur ex copula violenta, v. g. cum dormiente*.

Resp. affirmativè; nam per eam fit unitas carnis, & sanguinis. Sic statuit Innocen. III. cap. *discretionem*.

Quæ-

[1] *ss.24. c.4.*

Quæres 3. *An si semen immittatur per Dæmonem in vas fœminæ, contrahatur affinitas inter consanguineos viri, à quo excipitur semen, & fœminæ recipientis?*

Resp negativè, 1. Quia tunc vir non adhæret mulieri. 2. quia non posset sciri, à quo decisum sit, & hic conscientiæ vexarentur mille scrupulis, & dubiis.

Quæres 4. *An nascatur etiam ex copula imperfecta, v. g. si solus vir seminet; vel si non seminet intra vas mulieris.*

Respond. negativè, quia tunc per talem copulam, non fiunt una caro; non miscentur sanguines; ad hoc enim requiritur perfecta utrinque copula, qualis requiritur ad generationem.

CONCLUSIO II.

IMpedimentum *affinitatis non venit ex lege naturæ; nequidem in 1. gradu ascendentium, sed ex lege positiva, maximè ex Ecclesiastica.* Est communior contra nonnullos, qui volunt, quòd in linea recta descendentium, & in 1. gradu lineæ transversæ nascatur.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] *Dico, affinitas simpliciter impedit matrimonium, & ratio non est nisi statutum Ecclesiæ illegitimantis affines;* ergo hoc impedimentum dirimit ex sola lege positiva, maximè Ecclesiastica inter Christianos.

Prob. 2. quoad 1. gradum lineæ rectæ, ex quo à fortiori concludetur de aliis; nam præcipua ratio, cur in linea recta consanguinitatis non possit valere; est superioritas, & jus reverentiæ in ascendentibus, quod impedit usum matrimonii: sed hæc ratio non valet in affinitate: non enim tanta debetur reverentia novercæ, quanta matri; ergo hoc impedimentum non venit ex juræ naturæ. Prob. min. Illa superioritas in ascendentibus, & reverentia in descendentibus petitur ex ratione dependentiæ quoad esse, quod ibi accipiunt ab illis per generationem; in affinitate autem venit solùm ex unitate carnis, quam noverca contraxit cum patre per copulam, sed hæc unitas non val-

[1] *Ibid, c. 3.*

valdè indirectè, & leviter, & quasi moraliter attingit filios patris per affinitatem; ergo non est eadem ratio de affinitate in hac linea, quæ est de consanguinitate.

Confir. Nam si vivente patre, quis accederet ad uxorem ejus, summa ei fieret injuria propter adulterium, & violationem tori; quod esset impium in filio; sed si mortuo patre, filius, aut nepos ducat novercam viduam, non facit tantam injuriam patri, vel avo defuncto, ergo, &c.

Prob. 3. Quia sine fundamento asseritur hoc impedimentum esse de jure naturæ, ut patebit solutione objectionum.

Prob. 2. p. Nam ex dictis patent in Scriptura prohibitiones nubendi cum noverca, sub nomine uxoris paternæ, aut cum filia uxoris, seu novercæ, &c. ergo istud impedimentum affinitatis hujus est de jure positivo.

Prob. 3. p. ex Canonibus cit. & Concil. Trid. quibus prohibentur matrimonia inter affines intra 4. gradum; nec ullibi in novo Testamento, vel alibi legitur ea prohiberi à Deo, saltē immediatè, & nisi per Ecclesiam; ergo inter Catholicos impedimentum affinitatis non venit nisi à jure positivo Ecclesiastico.

Objic. 1. contr. 1. p. Impedimentum in linea recta descendentium per consanguinitatem est de jure naturali, ergo & per affinitatem in eadem linea. Prob. cons. nam Canones eodem modo prohibent conjugia cum affinibus, & consanguineis, ergo, &c.

Resp. n. 1. cons. & d st. 2. ant. Eodem modo ex jure positivo, conc. ex omni jure, neg. ant. nam inter affines ascendentes, & descendentes per affinitatem non viget eadem dependentia in descendentibus, nec superioritas in ascendentibus, quæ est per consanguinitatem: in ista, descendentes habent esse naturale ab ascendentibus, non autem per affinitatem: filius enim nihil habet à noverca, &c.

Inst. Eodem modo Scriptura prohibet cum matre, & cum noverca; ergo eodem jure utrinque inerit impedimentum. Prob. ant. Nam Scriptura pro matre dicit; [1] *Turpitudinem matris tuæ non discooperies*. Et pro noverca; *Turpitudinem uxoris patris tui*, &c.

&c. sed per 1. importatur impedimentum consanguinitatis, & per 2. impedimentum affinitatis; ergo eodem modo prohibentur hæc conjugia.

Resp. neg. conf. & dist. min. importatur quoad jus positivum Divinum, con. quoad naturale, neg. min. Nam quod pater, dum viveret, factus sit una caro cum noverca, non facit, quod filius, qui jam natus erat ex 1. uxore, accipiat aliquid à 2. & sic non est eadem ratio prohibendi conjugium filii cum ista; licet utrumque Deus prohibeat.

Inst. 2. Ratio prohibendi *revelare turpitudinem matris* venit ex unitate sanguinis cum illa, & cum patre, sed eadẽ est ratio pro noverca in affinitate; ergo &c. Prob. min. nam sanguis novercæ unitur sanguini patris, cui etiam unitur sanguis filii, & à quo iste habet esse; ergo sanguis filii, & novercæ etiam uniuntur in patre.

Respond. neg. min. & 2. conf. Nam hæc unio filii cum noverca est moralis, & non physica, quia filius existit, antequam illa cum patre istius uniatur in sanguine. Idem est de marito matris respectu filii istius.

Objic. 2. Apostolus tam horrescit concubitum novercæ, quàm matris, & vocat illum fornicationem inauditam. [1] *Qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui quis habeat.* Et Jacob maledixit Ruben, quia [2] *ascenderat cubile patris sui, & maculaverat stratum ejus.* Et S. Joannes B. graviter arguit Herodem, quia *tulerat uxorem fratris sui*, quæ erat in 1. gradu lineæ transversæ; ergo &c.

Resp. neg. conf. nam licèt horrendæ sint fornicationes illæ, ac repugnent rationi; non tamen infertur, quod repugnent primario juri naturali, de quo loquimur: habent indecentiam quandam naturalem, sed non talem, qualem in illo gradu consanguinitatis. Ruben autem id fecerat vivente patre cum aliqua ex uxoribus ejus, & idem forte diceremus de illo, quem arguit Paulus, & ibi erat adulterium cum incestu, sicut & in Herode. Denique tunc illa prohibebantur jure Divino; maxime pro Herode.

Porrò in arbore affinitatis ponuntur octo præcipua nomina, quæ debent intelligi. 1. *Socer*, qui est Pa-

[1] 1. *cor.* 5. [2] *Gen.* 49.

Pater viri, vel uxoris. 2. *Socrus*, quæ est mater viri, aut uxoris. 3. *Gener*, qui est vir filiæ. 4. *Nurus*, quæ est uxor filii. 5. *Noverca*, quæ est 2. uxor Patris respectu filiorum prioris conjugii. 6. *Vitricus*, qui est maritus matris respectu filiorum prioris conjugii ejusdem matris. 7. *Privignus*, & *Privigna*, qui sunt filii, & filiæ respectu vitrici, & novercæ. 8. *Levir*, qui est frater viri respectu uxoris istius, & *Glos*, quæ est soror ejusdem viri respectu ejusdem uxoris.

Denique pro affinitate dantur istæ Regulę. 1. Consanguinei conjugum non fiunt affines inter se, v.g. consanguinei viri non sunt affines consanguineis uxoris; nec vicissim. Unde duo fratres possunt ducere duas sorores. 2. Sicut inter consanguineos dirimitur matrimonium intra quatuor primos gradus, ita & inter affines. 3. Affinitas non habet propriè gradus, sed eos mutuat, & numerat ex gradibus consanguitatis. v. Canonistas.

QUÆSTIO XII.

De impedimento publicæ honestatis.

Publica honestas est quędam propinquitas jure Ecclesiastico stabilita, quæ oritur ex sponsalibus inter sponsum, & consanguineos sponsæ, & vicissim inter sponsam, & consanguineos sponsi, ut dicebamus de affinitate. Eadem à fortiori venit ex matrimonio rato, & non consummato. Et hæc impedit, aut dirimit matrimonium inter sponsum, & consanguineos sponsæ, & vicissim, inter consanguineos sponsi, & sponsam. Differt autem ab affinitate, quia hæc contrahitur per carnalem copulam: honestas verò illam excludit, sed oritur purè ex vinculo, seu contractu sponsalium, aut matrimonii per verba de præsenti ante copulam. Quæritur ergo, an, & quo jure, & quoto gradu publica honestas impediat, aut dirimat Matrimonium. Vocatur autem à juristis justitia publicæ honestatis.

CONCLUSIO I.

Ex sponsalibus veris, & validis, & ex matrimonio rato, nascitur vinculum publicæ honestatis, quod est impedimentum simpliciter, seu dirimens. Est comm,

Prob.

Prob. ex Scoto. *Extendendo affinitatem, dicitur contrahi non solùm cum uxore carnaliter cognita, sed etiam cum non cognita.* Ecce pro matrimonio rato, & non consummato, *& quod plus est cum illa, cum qua præcisè contrahuntur sponsalia .... & dicitur communiter publicæ honestatis justitia*; ergo ex Scoto contractus sponsaliorum, & matrimonii ante copulam causat hoc impedimentum inter conjuges, & consanguineos eorum respectivè.

Prob.2. ex Concil. Lateran.III. prohibente matrimonia inter sponsam desponsatam per verba de futuro, & consanguineos sponsi, & inter eos non adesse consanguinitatem, nec affinitatem, sed publicam honestatem, ut patet in Appendice de sponsalibus, & matrimonio, ubi Papa decernit, *sponsam alterius, si ætati nubili est proxima, nullus consanguineorum aliquando sibi potest matrimonio copulare*. Et qui filiam per verba de futuro desponsaverat, licèt hæc postea resilierit, *Inhonestum tamen videtur, ut matrem ejus habeat, cujus filia fuerat sibi desponsata .... Nec fas est eidem sponso de consanguinitate puellæ sibi aliquam copulare*. Denique *sponsam alterius, si est nubili ætati proxima: nullus consanguineorum aliquando potest sibi matrimonio copulare*. Et cap. *Sponsam*. Et cap. ad *Audientiam*. Et cap. *Duo pueri*. Denique ex Concil. Trid. [1] *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ex causa invalida fuerint, Synodus prorsus tollit. Ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant*. Idem decernit Pius V. cap. *ad Romanum, constit.62.* ergo intra primum gradum hæc honestas impedit, vel dirimit.

Confir. ex praxi totius Ecclesiæ Romanæ, quæ reprobat matrimonia facta in primo gradu inter sponsum, & sororem, aut matrem sponsæ, & vicissim.

Prob.2.p. de matrimonio rato: nam vinculum, quod contrahitur ex sponsalibus per verba de præsenti, est longè strictius, quàm per verba de futuro; ergo si istud impedit, aut dirimit, multo magis illud; quod est indissolubile.

Prob.2. ex SS. Decretis: nam cap. *Si quis*, dicitur quòd *si quis desponsaverit sibi aliquam, & præveniente mortis articulo, eam cognoscere non potuerit, frater e-*

[1] *Sess.24.c.3.*

jus non potest eam ducere in uxorem. Hoc intelligitur de sponsa per verba de præsenti, inquit Glossa: nam per verba de futuro non fieret uxor. Idem statuit Julius II. cap. *Si quis desponsaverit*, & Gregor. I, cap. *Si quis uxorem*, & Pius V. cap. cit.

CONCLUSIO II.

P*Ublicæ honestatis impedimentum ex sponsalibus de futuro non dirimit ultra primum gradum, sed ex matrimonio rato dirimit usque ad quartum*. Est communis, & patet ex Scoto cit. qui hanc dicit *affinitatem non propriè, & strictè, sed extensivè, quia ad propriam requiritur carnalis conjunctio*.

Prob. 1. p. ex Concil. Trid. & Constit. cit. Pii V. ubi decernitur hoc impedimentum ex nudis sponsalibus *non excedere primum gradum*.

Probat. 2. p. ex eadem Constit. Pii V. qui declarans mentem Concilii dicit, *Decretum hujusmodi Concilii omninò intelligendum esse, & procedere de sponsalibus de futuro dumtaxat* (sc. quoad 1. gradum) *non autem in matrimonio contracto* (per verba de præsenti) *sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus, & gradibus, quibus de jure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat*, &c. Sed introductum erat usque ad 4. gradum; ergo &c.

Prob. 2. Nam istud matrimonium est verum sacramentum matrimonii, licèt desit consummatio per copulam; ideo non dicitur parere affinitatem propriam, quæ oritur ex copula carnali, per quam vir, & uxor fiunt una caro; ergo &c.

Confir. ex praxi Ecclesiæ, quæ sic se gerit erga eos, qui sic conjuncti sunt.

CONCLUSIO III.

E*X sponsalibus invalidis, aut fictis non oritur hoc impedimentum*. Est etiam communis.

Prob. 1. ex Concil. Trident. cit. *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacumque ratione valida non erunt, S. Synodus prorsus tollit*. Nota (*quacumque ratione*, &c.) quia olim oriebatur ex spon-

ſponſalibus etiam invalidis, excepto defectu conſenſus: & ita docere videtur Scotus, [1] qui longè ante hoc Concilium ſcribebat, dicens, *De iſta etiam publicæ honeſtatis juſtitia multa haberentur, extr. de conſanguin. l.6. quod ex ſponſalibus, quæ ipſo jure ſunt nulla, vel qualitercumque, dummodo non ſint nulla ex defectu conſenſus, oritur iſtud impedimentum*, &c. ergo poſt Concil. Trident. ex ſponſalibus invalidis, undecumque petatur invaliditas, non venit hoc impedimentum. Si tamen cauſa invaliditatis ſit occulta, non valebit pro foro externo, in quo non judicatur de occultis, & præſumitur validitas, & bona fides. Sed in foro interno non adeſſet, ſicut nec verus conſenſus, cujus defectu non fiunt ſponſalia.

Certum eſt autem, quòd naſcitur hoc impedimentum ex ſponſalibus validis, licèt ex mutuo ſponſorum conſenſu fuerint ſoluta: nam hæc ſolutio non impedit, quin fuerint valida, ſicut nec ſi alter moriatur ante contractum matrimonii.

Quæres 1. *Quid ſi Petrus poſt ſponſalia cum Berta, ineat cum Anna, utrum ex his ſecundis ſponſalibus oriatur hoc impedimentum.*

Reſpond. negativè. Quia hæc ſecunda non invalidant priora, ſed ipſa ſunt invalida, ideo non inducunt impedimentum. Id patet ex capit. *Ex ſponſalibus.*

Quæres 2. *An oriatur ex ſponſalibus conditionatis.*

Reſp. Non oriri pendente conditione, benè verò impleta conditione: nam pendente conditione non ligantur ſponſi, benè verò poſtea; unde ſi ante impletam conditionem ſeparentur, ut poſſunt, non incurrent impedimentum hoc, quia talia ſponſalia numquam valuerunt.

[1] *ibid. c.4.*

QUÆSTIO XIII.

De impedimento cognationis spiritualis.

SCotus describit hanc cognationem, *vinculum quoddam contractum ex dispensatione sacramentorum, specialiter baptismi, & confirmationis*, quia per illa sacramenta homo spiritualiter generatur ad vitam gratiæ primam, aut secundam. Hæc cognatio est multiplex. 1. qua quis generatur ad fidem per conversionem, & prædicationem, sic Paulus scribit Corinthiis, *per Euangelium ego vos genui*. 2. Cùm ex peccato originali venit infans ad gratiam per baptismum. *Quasi modò geniti infantes, lac concupiscite*. 3. cùm quis à peccato mortali resuscitat ad gratiam justificantem per absolutionem. Tales vocat Apostolus *filios, quos iterum parturio*. Dicuntur enim *filii spirituales*. 4. cùm quis alicui datur erudiendus in fide, & scientia morum, ut in catechismo; hic enim *generat nos verbo veritatis*. De cognatione legali dicemus infra. Tamen principales cognationes sunt, quæ oriuntur ex baptismo, confirmatione, & catechismo.

Rursus hæc cognatio dicitur, 1. *Compaternitas*, quæ est inter patrem carnalem, & spiritualem baptizati. 2. *Paternitas*, quæ est inter baptizatum, & patrinum, seu inter suscipientem, & susceptum. 3. *Fraternitas*, quæ est inter filium carnalem, & spiritualem.

Quæritur ergo, an, & quæ cognatio spiritualis, aut legalis impediat, vel dirimat matrimonium, & in quo gradu.

CONCLUSIO I.

VEre *nascitur impedimentum dirimens ex sacramento baptismi*, 1. *inter baptizantem, & baptizatum*. 2. *inter baptizantem, & patrem, ac matrem baptizati*. 3. *inter patrinum, & baptizatum*, 4. *inter patrem, ac matrem baptizati, & patrinum, & matrinam ejusdem*. Est communis quoad omnes partes.

Prob. 1. ex Scoto cit. dicit enim, *cognationem spiritualem oriri specialiter ex baptismo*, & cit. cap. *Quamvis*.

Prob.

Prob. 2. ex Concil. Trid. quod totam conclusionem sic definit, & statuit, *ut unus tantum sive vir, sive mulier .... vel ad summum unus, & una baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos, & baptizatum ipsum, & illius patrem, et matrem* (ecce 3. & 2. p.) *necnon inter baptizatum, et baptizantem* (ecce 1. p.) *baptizatique patrem, et matrem tantùm* (ecce pro 2. p.) *cognatio spiritualis contrahatur... Parochus autem doceat eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. Quòd si alii ultra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.*

Idem patet ex aliis antiquioribus Conciliis, & Canonibus, quos citat Cardin. noster Brancatus: nobis verò sufficiat Tridentinum, quod est novissimum, & in quo clarissimè id definitum habetur.

Colliges autem 1. quod inter baptizantem, & patrinos non oritur hoc impedimentum, sed tantùm inter eos, & baptizatum, & patrem, ac matrem ejus.

2. Quod nec hodie oritur inter conjuges eundem baptizatum suscipientes, quia per Concilium tollitur, licèt aliàs fortè oriretur inter patrinos.

3. Nec etiam inter patrem, & matrem, si alter eorum susciperet baptizatum, ut colligitur ex cap. *ad Limina*, ubi Joannes VIII. statuit, *ut non separetur ab uxore, qui necessitatis causa filium suum baptizavit.* Et cap. *Si vir*, ubi Alex. III. statuit, quòd *compaternitas scienter, vel ignoranter superveniens inter conjuges, conjugium non dissolvit, nec alter alteri debitum subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci.*

4. Idem impedimentum contrahi tam ex baptismo privato, quàm solemni, quia utrobique est idem sacramentum, & fructus ejus, ut patet ex cap. *Super*, Unde si postea solemnizetur, non contrahitur nova cognatio, quia non est ampliùs sacramentum regenerans.

CONCLUSIO II.

ETiam ex confirmationis sacramento nascitur cognatio spiritualis inter easdem personas, inter quas nascitur ex baptismo. Est communis.

Prob. ex Scoto cit. Docet enim, *eam nasci ex dispensatione sacramentorum, præcipuè baptismi, et confirmationis .... Ex confirmatione spiritualis cognatio eisdem modis contrahitur matrimonium simpliciter impediens, et dirimens contractum*.

Prob. 2. ex Concil. Trid. cit. *Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, et confirmatum, illiusque patrem, et matrem, ac tenentem non egrediatur*. Et ex cap. cit. ubi Bonifac. VIII. dicit, *ex confirmatione quoque .... spiritualis cognatio eisdem modis contrahitur*, & cap. *Quamvis, De confirmatione quoque, quantum ad hoc idem judicium est ferendum*, &c.

Objic. Pius V. agens de cognatione spirituali ex baptismo, nihil dicit de confirmatione: ergo non putat inde nasci hoc impedimentum.

Resp. neg. conf. quia non debuit respondere, nec decernere, nisi supra quæstionem sibi propositam, quæ erat de sola cognatione orta ex baptismo; de confirmatione autem nihil innovat contra decisionem Concilii.

CONCLUSIO III.

EX Catechismo non oritur cognatio spiritualis dirimens matrimonium, sed solùm impediens. Est communis.

Prob. 1. ex Scoto. *Per catechismum, qui præcedit baptismum, oritur cognatio spiritualis, per quam contrahendum matrimonium impeditur, per istam tamen cognationem post contractum minimè separatur*; ergo est impedimentum impediens, non dirimens ex Scoto.

Prob. 2. ex Conc. Trid. & Pio. V. [1] nam impedimentum cognationis spiritualis ad eam solam reducit, quæ ex baptismo, & confirmatione oritur, & ex cap.

[1] *de cognat.*

cap. *Contractio*, quod est Clem III. & cap. *Catechismum*, ubi Bonifacius VIII. confirmat decretum Clementis, & utramque partem conclusionis statuit dicens, *per catechismum, qui præcedit baptismum... cognatio spiritualis contrahitur, per quam matrimonium contrahendum impeditur, ut ex prædecessoris nostri Clementis.... colligitur evidenter... per illam tamen cognationem, matrimonium post illam contractum minimè separatur*; ergo illa cognatio non est impedimentum simpliciter, & dirimens, sed secundum quid est purè impediens.

2. p. magis patebit ex dicendis de impedimentis non dirimentibus.

Confir. nam hæc impedimenta statuuntur à jure Ecclesiastico; ergo nec plus, nec minùs extendi debent, quàm jubeant leges Ecclesiæ.

Objic. 1. Eadem est ratio de catechismo, ac de Baptismo; ergo & eadem dispositio. Prob. ant. in scriptura fideles tam dicuntur filii, & geniti ex catechistis, à quibus erudiuntur in fide, quàm ex ministris, à quibus baptizantur, & regenerantur ad vitam gratiæ; ergo &c.

Prob. ant. nam Paulus vocat Corinthios, quos docuerat, *per Evangelium genitos*, & de Onesimo, quem in carcere instruxerat, dicit; *quem genui in vinculis*, & S. Petrus, *quasi modò genitos infantes* dicit, quos baptizaverat; ergo &c.

Resp. neg. 1. ant. & 2. cons. nam generatio per baptismum longè est efficacior, & magis effectiva, quàm per doctrinam. Ideo Ecclesia non putavit idem statuendum esse pro cognatione, quæ nascitur ex hoc capite, quod pro alia, quæ est ex baptismo.

Catechismus, autem, seu *catechesis*, est vox Græca significans instructionem in rebus sacris, & catechista est ille doctor, qui huic instructioni tradendæ incumbit. Ideo dicitur pater spiritualis eorum, quos instruit, & hinc contrahit cognationem spiritualem cum discipulis, quæ impedit quidem, ne licitè cum istis nubat; sed non dirimit nuptias contractas.

CONCLUSIO IV.

EX *Sacramento pœnitentię oritur quædam cognatio spiritualis, sed hæc non est dirimens, nec impediens.*

Prob. ex Scoto [1] dicente, quod *pro datione aliorum sacramentorum supra à baptismo, & confirmatione, cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat, aut dissolvat*; ergo non negat oriri aliquam cognationem, sed tantùm negat, quod illa sit impedimentum matrimonii.

Prop. 1.p. ex cap. *omnes*, ubi Symmachus dicit, *omnes, quos in pœnitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filii, ut & ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel trinæ mersionis vocabulo mergentibus unda baptismatis regeneravit. Sylvester quoque docens admonet unumquemque Sacerdotem, ut nullus causa fornicationis ad suam pęnitentialem accedat.* Idem docet Cœlestinus cap. *si quis*, & cap. *non debet*. Ergo ex Sacramento pœnitentiæ oritur quædam cognatio inter confessarium, & pęnitentem.

Prob. 2.p. ex Conciliis, & Decretis cit. quæ cognationem impedientem restringunt ad prædicta, & non ulterius extendunt.

Objic. 1. Si ex collatione Sacramenti pœnitentiæ oriretur quædam paternitas, & filiatio spiritualis, peccatum confessarii cum pœnitente esset incestus, in confessione explicandus; sed conf. est falsum, & contra omnes; ergo &c. Prob. min. nam nullibi hoc legitur statutum in Scriptura, vel Conciliis, aut Canonibus.

Resp. neg. min. & ant. nam Canones citati ex Symmacho, & Cœlestino id apertè docent: nec ego dubito, quin hæc circumstantia dicenda sit in confessione; & Episcopi hoc peccatum sibi reservant absolvendum, & meritò.

[1] *Ibid. A. 2.*

QUÆ-

QUÆSTIO XIV.

De impedimento cognationis legalis.

COgnatio legalis est vinculum quoddam inter personas contractum ex adoptione unius ab alia, *adoptio* autem est *assumptio personæ extraneæ in filium*, *vel* dicunt juristæ, est *actus legitimus, per quem fit filius, aut nepos, qui non est.* Ex tali actu nascitur quædam cognatio inter adoptantem, & adoptatum, inter filios, vel uxores adoptati, & adoptantis: & quæritur, an adoptatio illa pariat aliquod impedimentum inter illas personas.

Igitur hæc cognatio contrahitur per actum, quo quis assumit personam extraneam in filium, aut nepotem cum jure succedendi in hæreditate. Ille actus duplex esse potest. 1. *Arrogatio*, qua quis assumit sibi personam extraneam authoritate Principis, aut Reip. quæ erat sui juris, & fit sub arrogantis potestate: & *Adoptio*, qua quis assumit sibi personam extraneam in filium authoritate superioris, aut magistratus, sed ita ut adoptatus non transeat in potestatem adoptantis; sed remaneat sui dominus. Hæc dicitur imperfecta respectu prioris.

Arrogatio, seu adoptio *perfecta* differt ab *imperfecta* 1. quia arrogatio fit ex suprema authoritate Principis, aut Reip. adoptio verò imperfecta fit authoritate cujusvis judicis, aut magistratus. 2. quia *arrogatus*, ante assumptionem, erat sui juris, & per arrogationem transit sub potestatem arrogantis, & sic in ista nullius jus læditur. 3. quia arrogatus acquirit jus in hæreditatem arrogantis, ita ut ille succedat isti ab intestato, vel saltem iste non possit ei per testamentum denegare. 4. partem bonorum suorum. 4. arrogatio requirit consensum arrogati, & arrogantis coram Principe; adoptio verò non requirit talem formam verborum. 5. quia arrogans debet satis dare in ordine ad restituenda bona arrogati illis, ad quos deberent advenire, si non fuisset arrogatus, quod non ita requiritur in simplici adoptione. His præmissis pro intelligentia materiæ.

CONCLUSIO.

Cognatio legalis est impedimentum dirimens in linea recta descendentium usque ad 4. gradum, & inter adoptantem, & adoptati uxorem, & vicissim inter adoptatum, & uxorem adoptantis, & inter filium carnalem, & filium adoptatum. Est etiam communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Cognatio legalis impedit etiam matrimonium*, &c... *tam adoptati, quàm arrogati dicuntur filii adoptivi, & inter fratres adoptivos, & naturales impeditur matrimonium, quamdiu durat adoptio*, &c. ergo &c.

Prob. 2. ex cap. *Ita diligere*; ubi Nicol. 1. dicit, *nec inter eos, qui natura sunt, & eos, qui adoptione filii sunt, venerandæ Romanæ leges matrimonia contrahi permittunt... si ergo inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio jungit, quanto à carnali*, &c. & cap. *per adoptionem*, ubi Paschalis II. decernit fraternitatem ortam *ex adoptione, impedire nuptias, donec manet adoptio*, & cap. *si qua*, Nicol. 1. decernit, *si qua mihi per adoptionem soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio inter me, & ipsam, nuptiæ consistere non possunt*; ergo ex SS. Canonibus cognatio legalis inter filios naturales, & adoptivos, quamdiu manet, adoptio dirimit matrimonium.

Quantum ad descendentes, sic loquitur glossa ejusdem Canonis, *Sed inter ascendentes, & descendentes, id. inter adoptantem, & adoptatum, semper impeditur matrimonium, licet solvatur adoptio, ff. de ritu nupt. c. adoptivus, sed hoc scias, quòd inter laterales, & inter fratrem naturalem, & sororem adoptivam non impeditur matrimonium, nisi quamdiu durat adoptio.*

Prob. 3. ex praxi totius Ecclesiæ, quæ talia matrimonia non permittit fieri, nec patitur facta subsistere; ergo &c.

Idem est de cognatione inter uxorem adoptati, & adoptantem, & vicissim; nam Nicol. 1. cit. remittit hoc ad leges civiles, seu Romanas: sed istæ leges prohibent hæc matrimonia, nec illa patiuntur facta; ergo nec Ecclesiasticæ, quæ illis conformantur.

Nam,

[1] d. 42. B. 3.

Nam in digestis dicitur, *Adoptivus filius, si emancipetur, eam, quæ patris adoptivè uxor fuit, ducere non potest, quia novercæ locum habet. Item si quis filium adoptaverit, uxorem ejus, quæ nurus loco est, ne quidem post emancipationem filii, ducere poterit: quoniam aliquando ei nurus fuit;* ergo etiam, secundum leges Canonicas, hæc cognatio, quæ & affinitas legalis dici potest, est impedimentum dirimens, & quidem pe petuo, quia leges Canonicæ in hoc conformantur civilibus.

Quæres 1. *an inter filium adoptivum, & filiam legitimam, & vicissim, inter filiam adoptivam, & spurium valeat matrimonium.*

Resp. cum Cardin. Brancato, probabiliter non valere. Nam lex Canonica, & civilis dicunt absolutè, quod non valet inter filios carnalem, & adoptivum, nec distinguunt de legitimis, aut illegitimis; ergo nec nos distinguere debemus.

Quæres 2. *An teneat hoc impedimentum inter ipsos adoptivos, ita ut dirimat matrimonium filii adoptivi cum filia etiam adoptiva sub eodem adoptante.*

Resp. non impedire, quia hoc nulla lege decernitur. Cùm enim hoc impedimentum per Ecclesiæ leges statuatur, non debet aliter extendi, quàm ipsæ dixerint. Sic docet glossa in cap. cit. *Si qua.* Nam, quærens, *numquid filii adoptivi possint contrahere inter se*, respondet, *Dici potest, quod sic, quia non invenitur prohibitum*; ergo &c.

Quæres 3. *an cognatio hæc extendatur ad alios parentes adoptati.*

Resp. negativè, quia id nulla lege statuitur.

Quæres 4. *an hoc impedimentum sit ubique perpetuum.*

Resp. esse perpetuum in linea descendentium, & inter adoptantem, & uxorem adoptati, & vicissim inter adoptatum, & uxorem adoptantis. Quia leges civiles, & Doctores loquuntur absolutè. Ecclesia autem in hoc approbat, & conformatur legibus civilibus, ut dicebamus ex Nicol. 1. *Dicunt enim leges civiles citatæ; per adoptionem quæsita fraternitas, eò usque impedit nuptias, donec durat adoptio.*

Resp. 2. quod inter filios carnales, & adoptivos, non durat impedimentum, nisi quamdiu adoptio du-

tat; ergo soluta adoptione per mortem, aut manumissionem, vel aliter, solvitur & cognatio dirimens inter istos.

Quæres 5. *Quænam requirantur ad validam adoptionem*.

Resp. Requiri communiter, 1. ut adoptans sit sui juris, 2. ut sit major 25. annis, 3. ut sit masculini sexus, nam fœminæ possunt quidem adoptari, sed non adoptare nisi ex privilegio, 4. ut adoptans habeat generandi potentiam, nisi eam amiserit ex infirmitate, aut ex accidenti, 5. ut adoptans superet ætatem adoptantis annis 18. denique 6. debet fieri inter præsentes, non autem per procuratores, neque per litteras.

QUÆSTIO XV.

De impedimento Ordinis, & voti.

IN tr. de Ordine sacro diximus illi annexum esse cælibatum, & sic pauca restant dicenda de hoc impedimento, & hoc reducitur ad votum continentiæ, quod in susceptione ordinis sacri includitur. Est autem votum hoc deliberata promissio facta Deo servandi continentiam cum intentione ad hoc se obligandi.

Hoc votum duplex est. 1. *Solemne*, quod emittitur in susceptione ordinis sacri, vel in professione Religiosa. 2. *Simplex*, quod fit privatim ad libitum cujusque.

Porro in eo differunt illa duo vota, quod per *simplex* non censetur vovens renuntiare dominio sui corporis, nec illud transferre, saltem perfectè, quia non est, qui acceptet ex parte Dei, vel Religionis: in *solemni* autem fit perfecta traditio, cum acceptatione ex parte Dei, vel Religionis, & sic dominium rei promissæ ponitur in potestate Dei, per acceptationem. 2. in solemni voto, ut valeat, requiruntur solemnitates aliæ, quæ præscribuntur in regulis. His suppositis.

CON-

CONCLUSIO.

Votum solemne sacerdotii, aut Religionis est impedimentum dirimens matrimonium, & quidem jure Ecclesiastico. Simplex autem impedit, & prohibet faciendum, sed non dirimit factum. Est de fide quoad 1. p.

Probatur 1. ex Scoto. [1] *Votum simplex non impedit simpliciter .... licet enim impediat matrimonium contrahendum, non tamen dirimit jam contractum ...* votum autem solemne *simpliciter impedit .... quia per votum solemne dat aliquis illi, cui vovet jus sui ad actum sequentem illud votum, & per consequens, vovens solemniter continentiam dat illi, in cujus manu vovet, jus sui ad faciendum illud observari; ergo non potest dare jus sui ad actum oppositum*, qualis est actus conjugalis. *Quia jam non habet illud*. Hanc rationem dicit probabilem.

Prob. 2. ex eodem. [2] Nam Ecclesia illegitimavit simpliciter ad matrimonium validè contrahendum habentes votum solemne, non autem habentes votum simplex castitatis: *& hoc fuit rationabile, quia ipse se posuit in potestate Ecclesiæ quantum ad oppositum ejus, quod est contractus matrimonii. Voventem autem privatè non illegitimavit; quia non sic se posuit in ejus potestate.*

Probatur 3. ex SS. Decretis, quos fusè citat Cardin. Brancatus, Concil. Rom. sub Innoc. I. *statuimus quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares, Canonici, Monachi, atque conversi professi, qui sanctum transgredientes propositum uxores sibi copulare præsumpserint, separentur.* Et Later. III. sub Alex. III. *Si quispiam se Religioni devovit, & habitu suscepto professionem fecit, postmodum aliquã sibi copulaverit cogendus est ab ea discedere, & ad Ecclesiam, cui se cõtulerat, debet sine contradictione transire* Et ca. *eos, qui* Clemens V. declarat excommunicatos *Religiosos, & Moniales, & Clericos, in sacris ordinibus constitutos matrimonia contrahentes*. Et Trid. decernit, *si quis dixerit Clericos in SS. ordinibus constitutos, vel Regulares solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractum validum*

[1] *d.38.c.4.* [2] *ibid.D.6.*

lidum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto : anath. sit.

Prob. 2. p. Quia non satis constat de alio jure, quo statuatur hoc impedimentum, quàm de Ecclesiastico, ergo votum hoc non dirimit nisi jure Ecclesiastico. Prob. ant. 1. solutione objectionum, quibus aliqui nituntur probare hoc esse de jure divino, vel naturali. 2. Quia si quid hoc probaret, maximè natura voti, quod est *promissio libera facta Deo de meliori bono*; & habetur in Scriptura, *vovete, & reddite Domino Deo vestro*; sed hæc ratio non valet; ergo &c. Prob. min. nam id totum reperitur in voto simplici æquè, ac in solemni: sed votum simplex non dirimit; ergo quod solemne dirimat, non venit ex natura voti præcisè.

Confirmatur. Nam voti solemnitas, ratione cujus dirimit, non petitur ex jure naturali, aut divino, sed Ecclesiastico, per quod inducitur ratio illa solemnitatis; ergo si ratione solemnitatis dirimit, hoc venit ex jure Ecclesiastico. Prob. min. cap. *Quod votum*, ubi Bonifac. VIII. declarat, quod *voti solemnitas ex sola institutione Ecclesiæ est inventa, matrimonii autem vinculum, ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditore., indissolubilitatem acceperit*. Ideò declarat; *illud solum votum dici debere solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam*.

Confirm. 2. Nam ab initio Ecclesiæ ante tempora Cœlestini III. & Alexandri III. non legitur de tali impedimento; ergo non est ex jure naturali, nec Divino; sed tantum Ecclesiastico.

Prob. 3. Nam per professionem, & sacerdotium, vovens intendit dare se religioni, aut Ecclesiæ quoad obsequia per regulas præscripta; sed hoc non impedit, quin posset ex natura rei etiam tradere corpus suum uxori ad onera matrimonialia; ergo præcisè ratio voti solemnis non est incompatibilis ex jure naturæ cum statu conjugii. Maj. patet; nam qui se tradit domino per servitutem, retinet jus ad matrimonium, ut probatum est; ergo ita esse posset de profitente Religioso, & de Sacerdote in Ecclesia.

Probatur 4. Nam votum est essentialiter promis-

sio,

sio non datio, saltem in rigore; sed quod promittitur uni, adhuc validè datur alteri, & donatio, licet illicita, tenet, ergo ita esset de voto, ex natura sua, & seclusa lege Ecclesiastica, quæ irritat actum contrarium voto solemni, non autem simplici.

Confir. Si hoc impedimentum esset de jure divino, vel naturali, Papa in nullo casu posset in eo dispensare relaxativè: sed conf. est falsum, & contra praxim Ecclesiæ, quæ sæpè in eo dispensat, ut suppono, & maximè in votis simplicibus, castitatis perpetuæ, ergo &c.

Probatur 3. p. de voto simplici; ex Decretis cit. quæ hoc impedimentum limitant ad votum solemne, & sacerdotium; ergo non ita est de voto simplici.

Confirm. Ex cap. *quod votum*, ubi Bonifac. VIII. post allata verba subdit, *Reliqua verò vota, & si aliquando impediant contrahendum... non tamen rescindere possunt matrimonia post contracta*.

Objicies 1 con. 1. p. Eadem est essentia voti simplicis, & solemnis: sed, per nos, votum simplex non est impedimentum dirimens; ergo nec solemne. Prob. maj. ex cap. *Rursus* ubi Cœlestin. III. dicit, quòd, *Simplex votum apud Deum non minùs obligat, quàm solemne*; & certè utrumque est promissio facta Deo de bono meliori.

Resp. dist. conf. Nec solemne, ex ratione generica voti, & præcisa lege Ecclesiæ; con. ex ratione specifica, & formaliter ex statuto Ecclesiæ; neg. conf. nam Ecclesia rationabiliter, & attentis circumstantiis voti solemnis illegitimavit habentes tale votum ad matrimonia contrahenda; non verò habentes votum simplex castitatis.

Inst. Ubi est eadem ratio, debet esse eadem juris dispositio; sed est eadem ratio de voto simplici, ac de solemni, quia sunt ejusdem speciei; ergo debuit eodem modo statuere de utrisque.

Respondeo neg. min. nam, ut docet Scotus cit. vovens solemniter, *posuit se sub potestatem Ecclesiæ, quantum ad oppositum ejus, ad quod est contractus matrimonii*, sc. ad servandam castitatem; quod non fecit vovens privatim; ideo Ecclesia non illegitimavit istum. Adderem, quòd vovens in Religione, & Sacerdotio

adstringi se regulis, & statutis illorum statuum, quæ matrimonium excludunt.

Objicies con. 2. p. Fidelitas in promissis est de jure naturali, & divino, Deus jubet, ut serventur vota. *Vovete, & reddite*, &c. Et, *si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis, & stulta promissio: sed quodcumque voveris, redde;* ergo qui vovit continentiam, tenetur non nubere, & hoc de jure divino.

Resp. dist. ant. De jure divino, & naturali quoad obligationem implendi promissum, con. quoad irritationem eorum, quæ fiunt in contrarium, neg. ant. transgressores votorum etiam simplicium peccant contra fidelitatem Deo debitam; sed non ideo ea, quæ fiunt in contrarium, sunt irrita. Habens votum continentiæ simplex, peccat mortaliter, si nubat; sed lex naturalis, nec Divina non irritarunt nuptias ejus; sicut leges Ecclesiæ irritarunt factas post votum solemne.

Inst. Si est peccatum mortale nubere post votum simplex castitatis; ergo etiam debuit eis prohiberi nubere sub pœna nullitatis æquè, ac post votum solemne.

Respondeo neg. conf. Nam, inquit Doctor; *non omnia mala punit Ecclesia, nec sic ea prohibet, ut propter ea pœnas injungat; & fortè majus malum sequeretur ex illegitimatione voventium voto simplici.... quia sequeretur frequentior culpa*, propter fragilitatem carnis. Et quia maxima pars sic voventium, id non faciunt satis deliberatè sicut Religiosi, & Sacerdotes: ideo Ecclesia est severior erga istos, quàm illos.

Objicies 2. ex cap. *Si quis Sacro*, ubi Concil. Aurelian. & Siricius præcipiunt, fœminæ, quæ post velamen, & consecrationem nubunt, *verbo Domini, & Canonica authoritate separentur*. Et cap. *Hæc verò;* ex eodem Concilio dicitur de iisdem, *Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quantò magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non debet*. Et cap. seq. quæ Christo dicitur virginem per *professionem nupsisse, seu velamen* &c. sc. professio est quoddam matrimonium spirituale, sed indissolubilitas matrimonii est de jure divi-

divino, & naturali, & obligatio voti; & hoc impedimentum.

Resp. dist. maj. instar matrimonii quoad aliqua, con. simpliciter, & absolutè, neg. maj. & cons. nam ex his textibus sequitur quidem, quod voventes tenentur implere vota jure aliquo divino, & naturali; non autem, quod invalidè fiant contraria voto; ergo nec eisdem juribus invalida sunt matrimonia præcisè à legibus Ecclesiæ.

Objicies 3. De jure naturæ, quod uni donatum est, non potest alteri donari, sed per votum solemne castitatis, vovens donavit Deo corpus suum ad perpetuam castitatem; ergo ex eodem jure non potest donare dominium ejusdem corporis ad usum matrimonii.

Respondeo 1. retorquendo contra adversarios, qui tenent matrimonium non dirimi per votum simplex; quia per istud non minùs fit donatio, quàm per solemne.

Respondeo 2. dist. maj. Si donatio sit utrimque sensibiliter acceptata, con. si non sit acceptata sensibiliter, neg. maj. & cons. Nam donatio per professionem, & votum solemne acceptatur à Deo per Ecclesiam, seu per Religionem, & ex ejus institutione, ac regulis excluditur matrimonium à statu Religioso, & Sacerdotali.

Quæres 1. *In quo præcisè consistat differentia voti simplicis, & solemnis.*

Resp. In eo principaliter consistere, quòd ex statuto Ecclesiæ, vovens solemniter, præter promissionem, & traditionem sui Deo per votum, se specialiter subjicit Ecclesiæ, ac Religioni in ordine ad executionem eorum, quæ promittit, v. g. ad continendum ab omni actu venereo, & contractu conjugali, & ad observandas alias regulas talis status, & ideo Ecclesia utens jure illo sibi concesso per voventem, impedit, ne possit unquam contrahere validè; & hoc ut satisfaciat Deo, cui se dedit per votum illud. Hæc autem non adsunt in voto privato, seu simplici, per quod nec testes, nec executores advocat suæ donationis, nec acceptantes nomine, & vice Dei, cui se donat quoad abstinentiam à venereis; nec regulis ullis se subjicit.

Quæ-

Quæres 2. *An idem impedimentum contrahatur per professionem tacitam.*

Professio *tacita* ex Scoto, [1] est votum præsumptum; quando sc. quis, post novitiatum sumit habitum professorum, ubi est distinctus ab habitu novitiorum; & moratur ultra annum in monasterio, absque protestatione de non profitendo. Hoc supposito,

Respondeo affirmativè; nam id habetur expresè, cap. *Quod votum*; ubi Bonifac. VIII. decernit, Illud votum dici solemne *quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expresam, vel tacitam*; ergo professio tacita causat hoc impedimentum.

De impedimento ordinis nihil restat addendum his, quæ diximus de cęlibatu Sacerdotum. Et præterea id constat ex Canonibus citatis pro voto, nam de utrisque loquuntur.

QUÆSTIO XVI.

De impedimento disparis cultus.

PEr *disparitatem cultus* intelligitur diversitas Religionis, & fidei, qualis est inter fidelem, & infidelem, seu, baptizatum, & non baptizatum, seu paganum, & quæritur, an hæc diversitas sit impedimentum dirimens matrimonium; ita ut si fidelis nuberet cum infideli, non valeret matrimonium. Idem quæri potest de Catholico fideli cum hæretico, v. g. cum Calvinista, aut Lutherano.

Porro agitur de matrimonio contrahendo; nam de contracto inter hæreticos, aut paganos, quorum unus convertitur ad fidem alio manente in hæresi, vel infidelitate, vel si unus incidat in hæresim, vel apostasiam à fide, diximus supra, ubi de insolubilitate.

CON-

[1] *ibid. B. 3.*

CONCLUSIO I.

Disparitas cultus inter baptizatum, & non baptizatum est impedimentum dirimens, & hoc jure Ecclesiastico, saltem consuetudinario.

Prob. 1. ex Scoto, dicente, [1] quod matrimonium potest fieri inter fidelem, & infidelem, quantum est ex jure divino, quia ex illo jure, *non habetur, quod contractus sit nullus magis, quam quod obligatio ex priori contractu sit nulla ... sed de jure positivo Ecclesiastico non potest; quia Ecclesia illegitimavit fidelem, non simpliciter, sed respectu infidelis*, & dat rationes hujus statuti Ecclesiastici.

Prob. 2. ex cap. *non oportet*, ex Concilio Agathensi. *Non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia, & vel filios, vel filias dare, sed potiùs accipere, si tamen se profiteantur Christianos esse futuros, & Catholicos.* Idem colligitur ex Conciliis Arvernensi, & Aurelian. II. apud Gratianum. Nomine autem hæretici intellige quemcumque alienæ fidei; alioqui non diceret, si *profiteantur se Christianos futuros*. Nam hæretici sunt Christiani. Item cap. ubi dicitur; *cave Christiane gentili, aut Judæo filiam tuam tradere.* Idem colligitur ex Concil. Chalced. Fateor tamen his, & similibus prohiberi matrimonia fieri, sed non sub pœna nullitatis. Idem est de Scriptura, qua dicitur, *Nolite jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio lucis ad tenebras?*

Prob. 3. meliùs ex praxi Ecclesiæ, quæ agnoscit hoc impedimentum, ut dirimens, ut notant omnes Theologi, nam in nullo Canone habetur hoc explicitè quoad effectum dirimendi, ac pœnam nullitatis. Omnia quidem, & ipsa Scriptura prohibent hæc matrimonia, sed non dicunt illa esse nulla, si fiant. Imo Pyrrhus Corradus dicit, quod Papa in hoc non solet dispensare. Ideo

Dixi, saltem *consuetudinario*, jure Ecclesiastico, quia potiùs videtur stabilitum ex praxi, quam ex ullo Decreto positivo, & absoluto. Consuetudo autem Ecclesiæ Romanæ habet vim legis, & observanda est.

Con-

[1] *d. 39. D. 5.*

Confir. ex Scoto, nam Ecclesia irritat hæc matrimonia. 1. Quia non est honestum fidelem contrahere cum aliquo, apud quem deficiat bonum prolis, quæ sic non posset educari ad cultum veri Dei. 2. Quia illud matrimonium non esset Sacramentum, quia non posset fidelis dare Sacramentum fœminæ non baptizatæ, nec ista daret illud sponso fideli; ergo ibi non esset bonum Sacramenti. 3. Quia ibi esset periculum perversionis; ergo meritò hæc matrimonia irritantur.

Objic. 1. Deus prohibet matrimonium fidelibus cum infidelibus; ergo hoc impedimentum est ex jure divino. Prob. ant. ex Apost. cit. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*; ergo &c.

Respond. neg. 1. anteced. & 2. conseq. nam prohibentur quidem hæc conjugia fieri, sed non irritantur facta.

Objic. 2. Deus prohibet per Moysem nuptias cum infidelibus Cananæis. *Non inibis cum eis fœdus..... Neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus* &c. *Quia seducet filiam tuam, ne sequatur me*. Et lib. Esdræ queritur Propheta de Judæis, quia tulerant sibi uxores de filiabus Hetæi, & Jebusæi, & aliorum infidelium; ergo à fortiori hoc prohiberi debet in lege Euangelica, quæ sanctior est.

Resp. dist. conf. ita ut graviùs peccent Christiani nubentes cum paganis, con. ita ut illa prohibitio sit irritans illa conjugia, neg. conf. Nam neque tunc illa conjugia irritaverat; ut patet de Esthera, quæ nupsit Assuero, de Sampsone cum Dalila Philistęa, de Salomone cum Moabitis concubinis ejus, & cum aliis gentilibus, & Idololatris, in quo dicitur quidem peccasse graviter, sed non quod matrimonia illa fuerint nulla.

Objic. 3. Sanctissimæ fœminę viris paganis nupserunt, nec id eis imputatur in peccatum; ergo disparitas cultus non dirimit. S. Monica duxerat ethnicum, sc. patrem S. Augustini, Clotildis duxerat Clodoveum adhuc infidelem, &c. ergo nequidem illicita sunt hæc matrimonia in disparitate cultus.

Resp. (quidquid sit de ant. an sc. illæ fęminæ peccaverint sic nubendo) neg. conseq. quia, in primis illis temporibus nascentis Ecclesiæ tolerabantur illa con-

ju-

jugia; & sic piæ illæ fœminæ potuerunt non peccasse sic nubendo, maximè, ex desiderio, & spe convertendi maritos.

Objic.4. Eo jure matrimonium irritatur, quo elevatur ad esse Sacramenti, sed istud fit jure divino; ergo & illud. Prob.min. nam initus cum infideli degradatur à ratione sacramenti, ad quam elevatus est à Christo Deo.

Resp. neg. maj. nam aliud est, quod matrimonium valeat in ratione sacramenti, & aliud, quod valeat in ratione contractus; istud habet à Deo, qui instituit illud in lege naturæ; sed utrumque nunc habet dependēter à lege Ecclesiastica, quæ illegitimat filios suos ad illa matrimonia in ratione contractus, & Sacramenti, pro jure, & potestate sibi data à Christo.

CONCLUSIO II.

Disparitas fidei, & cultus inter fidelem, & hæreticum baptizatum facit, ut matrimonium sit illicitum, sed non dirimit factum.

Prob.1. ex Scoto citante Canones, quibus præcipitur, *ut non nisi ejusdem fidei, & Religionis maneant copulata conjugia*. Non tamen apertè loquitur de fideli cum hæretico.

Probat.1. ex Conciliis; nam in Chalcedon. dicitur, quòd *non debet copulari nuptura hæretico, nec Judæo, vel Pagano, nisi fortè promittat Orthodoxam fidem*. Et in Laodic.an.314. quòd *non oporteat indifferenter fœdere nuptiarum hæreticis filios suos, filiasque conjungere.* Et in Synodo Illiberit. *Hæreticis, si se transferre noluerint ad Ecclesiam Catholicam, nec ipsis Catholicas dandas puellas; sed neque Judæis, neque hæreticis, neque schismaticis dari placuit.... si secus fecerint* (parentes) *abstinere per quinquennium placet*. Idem statuit Carthaginen. III. Et Agath. Vides, quod nulla ibi mentio de nullitate, sed de pura prohibitione.

Confir. ex SS. Patribus; nam cum Apostolus dicit; *nubat tantùm in Domino: præscribit ne, qui fidelis est, ethnicum matrimonium contrahat*, inquit Tertull. & S.Hieron. *Qui secundas, tertiasque nuptias concedit in Domino; hoc est, ut sine suspicione turpitu-*

tudinis nubat, & religionis suæ viro nubat. Hoc est in domino nubere, ait Ambros. *Tantùm in domino, hoc est* (inquit Theodoret.) *fideli, pio, modesto, & honesto.*

Confir.2. ex Decretis Apostolicis,& praxi Ecclesiæ, quæ tam graviter prohibet Catholicis communicationem cum hæreticis, quos excommunicatos declarat; ergo à fortiori prohibet matrimonium,per quod tanta inducitur communicatio.

Prob.3. nam eædem rationes urgent ad prohibendas nuptias cum hæreticis, & cum infidelibus: nam hæreticus non magis conferet Sacramentum, quod non agnoscit, quàm infidelis, nec illud recipiet à conjuge fideli, defectu fidei, & intentionis, nec religiosè educari permittet prolem. Denique imminet periculum perversionis, si enim colloquia cum hæreticis corrumpunt bonos mores, quanto magis communicationes conjugales? ergo &c.

Prob.2.p. nam in his debet attendi lex, & praxis Ecclesiæ, sed illa non illegitimat fideles ad nubendum cum hæreticis,licet id prohibeat inter istos, ergo disparitas cultus non est dirimens. Prob.min.nam potiùs Ecclesia cum Apostolo præcipit, ut si infidelis hæreticus vult converti, maneant simul, & non separentur; ergo sic docet matrimonium illorum valere.

Confir. Iterum ex praxi, nam in Galliis talia matrimonia sæpè fiunt inter Catholicos, & Calvinistas, & inter principes, cum quibus facile dispensatur, ut patuit nuper in duobus ultimis Regibus Angliæ.

Objic. 1. con. 2.p. ex Synodo VI. matrimonia fidelium cum hæreticis irritantur; ergo &c.

Resp. neg.ant. nam ut narrant historici, VI. Synodus nullos Canones edidit, sed qui illi tribuuntur,ab aliquot Episcopis in conciliabulo Trullano ficta sunt, & ideò Syricius Papa illos reprobavit.

Objic. 2. Canones eodem modo vetant connubia cum hæreticis, & cum infidelibus, sed cum istis sunt irrita (per nos,) ergo & cum illis. Prob.maj. ex cap. *Cave*, cit. & ex Concil. Chalcedo. *neque copulari debet nuptui cum hæretico*, & quia est eadem ratio de utrisque; ergo &c.

Resp.

Resp.neg.maj. nam licet in illis Decretis videantur eodem modo vetari hæc connubia, tamen ex aliis infertur magna differentia prohibitionum, ut vidimus. Idem patet ex praxi Ecclesiæ, quæ inita cum paganis irritat; non autem ita cum hæreticis, sed in eis dispensat. Falsum est etiam, quòd sit eadem ratio de utrisque, nam longè major est disparitas cultus inter fidelem, & Turcam, quam inter Catholicos, & Lutheranos, aut Calvinistas, & hoc sufficiebat Ecclesiæ ad irritanda illa, non ista, quæ voluit solùm prohibere.

QUÆSTIO XVII.

De impedimento criminis.

CRimen, aliud est *impediens*, aliud *dirimens*, & de hoc 2. hic agimus: & ut notat Doctor, crimina, quæ difficultatem faciunt circa matrimonium, sunt 1. contractus cum persona conjugata, 2. adulterium, 3. machinatio mortis in conjugem legitimum, 4. fidei datio ipsi adulteræ, vel contractus cum ea; vel promissio cum juramento. Quæritur ergo, an adulterium sit impedimentum dirimens inter adulteros, si nubant mortuo conjuge legitimo? An 2. si adulterium contigerit cum promissione nubendi. 3. An si contraxerint vivente altero conjuge. 4. An si ex intentione nubendi conspirarint in mortem ejus? Hæc sunt præcipua dubia hujus quæstionis.

CONCLUSIO I.

ADulterium sine machinatione in mortem conjugis, et sine promissione matrimonii contrahendi, non est crimen dirimens, sed tantùm prohibens.

Prob. 1. ex Scoto [1] *De his tribus dico, quòd ultimum, per se, non impedit matrimonium contrahendum post mortem viri*, &c. Illud autem ultimum erat; *de promissione cum juramento*, matrimonii contrahendi. Et in Reportatis, *Dico, quod adulterium solum, vel actus adulterandi non impedit matrimonium contrahen-*

[1] *d. 35. B. 3.*

hendum, cum qua adulteratus est prius vivente marito, si nullum aliorum (criminum) *adsit* &c.

Prob.2. ex cap. significasti, ubi Innoc. III. de homine, qui legitima uxore vivente, *cuidam meretrici adhæsit* (& mortua uxore prædicta) *meretricem, cui adhæserat, desponsavit;* respondet, *quod nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus, vel ea vivente sibi fidem dederit de matrimonio contrahendo, legitimum judices matrimonium supradictum*. Et cap. *Si qui vivente*, Concilium Meldense decernit de homine, qui fœminam, vivente viro ejus cognoverat, & eam post mortem dicti viri duxerat, quod, post pœnitentiam, retineat eam; *nisi forte vir, an mulier virum, qui mortus fuerat, occidisse notetur;* ergo adulterium sine machinatione, aut promissione contrahendi, non impedit simpliciter matrimonium contrahendum mortuo viro legitimo.

Prob.2.p. ex cap. *Nullus*, ubi Leo statuit, quod *nullus ducat in matrimonium, quam priùs polluit adulterio*. Et cap. *illud* decernitur, *ut si quis cum uxore alterius eo vivente fornicatus fuerit, moriente marito, Synodali judicio aditus ei claudatur illicitus, ne ulteriùs ei conjugatur matrimonio, quam priùs polluit adulterio*. Idem patet ex cap. *Si quis fuerit*, ex Concil. Eliberit. ergo matrimonium cum adultera est illicitum.

Objic.1.cap. *Relatum*, tale connubium non solùm *prohibetur, sed etiam anathematizatur;* ergo matrimonium inter adulteros irritatur.

Resp.neg.conf. nam in casu Canonis, præter adulterium aderat promissio, & pactum cum juramento de illa fœmina ducenda mortuo viro; ideo jure irritatur conjugium illud.

Inst. in casu capitis, *illud vero*, solum adulterium aderat, & tamen adultero præcluditur aditus ad matrimonium cum fœmina illa; ergo sufficit adulterium ad nullitatem.

Resp. dist. ant. præcluditur; ut illicitum, con. ut irritum, neg. ant. nam dicit: *aditus ei præcludatur illicitus*, sc. prohibetur matrimonium, ut fiendum, non ut factum.

CON-

CONCLUSIO II.

Adulterium cum machinatione in mortem conjugis est impedimentum dirimens subsequens matrimonium inter adulteros machinatores secuta morte ejus ex utriusque consensu.

Prob.1. ex Scoto cit. [1] qui cùm dixisset, *tria sunt crimina, quæ conjuncta, vel separata faciunt difficultatem circa matrimonium contrahendum, sc. adulterium, machinatio in mortem conjugis legitimi, & fidei datio ipsi adulteræ, vel contractus de facto, vel promissio cum juramento, quia hæc tria ultima pro eodem reputantur ..... Dico, quod sive primum concurrat cum secundo, sive tertio, & impedit, & dirimit*. Et id probat ex SS. Decretis. In Reportatis autem clariùs loquitur. *Si machinatio alterius conjugum, & fidei datio de contrahendo post mortem mariti ejus simul concurrant cum adulterio, ambo cum 3. vel unum cum 3. vel unum cum alio, tunc dirimit*, &c. *ex statuto Ecclesiæ* &c. ex cit. cap. *Relatum*.

Addit rationem; *Hoc rationabiliter statuit Ecclesia, quia aliter statim cum odiosæ essent mulieres viris, vel viri mulieribus, propter alium magis dilectum machinarentur mortem alterius*. Tum ponit conditiones, & circumstantias necessarias pro hoc impedimento.

Prob.2. ex SS.Canonibus citatis. Nam inquit Cœlest. III. cap. *Laudabilem*, Hac *Concilii Triburiensis Regula contenti sumus asserentis, quòd si in mortem ipsorum fuerint machinatæ, licet earum studio ad fidem accesserint, tamen nec eis adhærere debent, nec sunt, si eis adhæserint, etiam tolerandi*. Et cap. *si quis vivente*, quod quidam eidem Concilio tribuunt, alii verò Meldensi, non dirimitur, *nisi fortè vir, aut mulier, virum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur*: tunc enim absolutè separandi sunt. Et cap. significasti, Innoc. III. respondet, quòd, *nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit machinatus .... legitimum judices matrimonium*, & sic de aliis.

Prob.3. ratione Scoti; nam si talia matrimonia tolerarentur, homicidæ caperent emolumenta ex suo sce-

[1] *ibid. A.2. E.7.*

ſcelere, & conjuges in ſuo conjugio non eſſent ſecuri de vita ſua, quoties jurgia quædam haberent inter ſe, aut amarent alios; ergo Eccleſia debuit illegitimare tales ſubditos ſuos ad nubendum inter ſe.

CONCLUSIO III.

Adulterium cum promiſſione matrimonii poſt mortem legitimi conjugis eſt crimen dirimens matrimonium, etiam ſine machinatione.

Prob. 1. ex Scoto cit. ut patet ex utroque textu allato.

Prob. 2. ex iiſdem Canonibus. Nam cap. *Relatum*, dicitur quemdam *alterius uxorem ſtupro ſędaſſe, & inſuper, mœchæ, vivente viro ſuo, juramentum dediſſe, ut poſt legitimi mariti mortem, ſi ſupervixiſſet, duceret uxorem: quod & factum eſt. Tale connubium prohibemus, & anathematizamus.* Vides 1. ibi nullam machinationem. 2. prohibet non faciendum, ſed factum; & ideo dirimit. Concil. Triburienſe dicit, *Audivimus rem execrabilem, & catholicis auribus deteſtandam, quemdam nefario fornicationis opere, alicujus uxorem, eo vivente, commaculaſſe, & in augmentum iniquitatis, juramento confirmaſſe, ſi ejus legitimũ ſupervixiſſent ambo maritum, ut ille fornicator illam adulteram, adulterio pollutam ſibi aſſociaret toro, & legitimo matrimonio, ſi hoc matrimonium dici poteſt.* Ibi nihil de machinatione, ſed de ſolo adulterio cum promiſſione nubendi. Idem patet ex aliis decretis Eccleſiæ, ut c. *ſi quis uxore vivente*, ex Greg. IX. & c. *veniens* ex Inn. III. & c. *cum haberet*, ex Clem. III. &c.

Prob. 3. ratione; nam pax familiarum, charitas, & incolumitas conjugum exigebat, ut Eccleſia adimeret ſpem conjugii illis, qui ſic paciſcebantur, ne ſic peccarent cum tali ſpe. Imò hinc timendæ eſſent violentię, venena, & mortes conjugum inter ſe. Requiritur autem 1. ut machinatio in mortem conjugis fiat de conſenſu, vel ſcientia amborum adulterorum. 2. ad finem nuptiarum. 3. cum effectu, ita ut de facto ſequatur mors legitimi conjugis, nec ſufficit ratihabitio unius, qui non conſenſerat, credo tamen hoc impedimentum incurri ab eo, qui cum hac intentione influxit.

QUÆ-

QUÆSTIO XVIII.

De impedimento Raptus.

HOc impedimentum habet aliquid de violentia; quæ opponitur libertati essentiali matrimonio. *Raptus* autem, prout de illo hic agitur, *est abductio violenta personæ de loco ad locum ad explendam libidinem, aut matrimonium contrahendum*; & ut diximus ab initio, iste raptus, qui fit intuitu matrimonii contrahendi, ex Concilio Trident. ponitur inter impedimenta dirimentia ejus.

CONCLUSIO I.

RAptus, seu violenta abductio personæ de loco suo intuitu matrimonii contrahendi cum ipsa est impedimentum dirimens matrimonium, si contrahatur, quamdiu rapta manet in potestate raptoris.

Prob. breviter, ex Concil. Trid. Decreto ab omnibus recepto. *Decernit S. Synodus inter raptorem, & raptã, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta, à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor habeat in uxorem.*

Addit tamen alias pœnas, sc. excommunicationem, infamiam perpetuam, & omnium dignitatum incapacitatem contra raptorem, & fautores, & degradationem in clericos, si operati, vel cooperati fuerint, & quod teneatur raptor dotare fœminam raptam.

Plures alii Canones possent adduci; sed præterquam quod videantur statuere impedimentum merè prohibens cum quibusdam pœnis, istud decretum nobis sufficiat.

Dixi I. *violenta abductio*, nam si persona consentiat, ut sæpè contingit in puellis, quæ sic prætendunt excusare se de inobedientia in parentes, contra quorum voluntatem volunt nubere cum raptoribus: tunc, inquam, non est propriè raptus secundum leges Ecclesiasticas, benè verò, & fortè secundum civiles, quæ

non permittunt filios nubere invitis parentibus. Ideò dicitur respectu puellæ, *fuga* potius, quàm *raptus*. Nec puto in hoc casu, raptorem incurrere pœnas illas Ecclesiasticas, nec raptum illum esse impedimentum dirimens; quia Ecclesia in hoc studuit providere libertati contrahentium, & matrimonii, non autem parentum.

Dixi 2. *Abductio de loco*; nam si fiat violentia in propria domo ad contrahendum, hoc pertinebit ad impedimentum, quod dicitur *violentia*.

Dixi 3. *Intuitu matrimonii*; nam si fiat ad explendam libidinem, erit *oppressio*, *& stuprum*, non autem impedimentum raptus, saltem propriè, & in rigore Concilii, quod hìc non considerat violentiam illam, nisi in ordine ad matrimonium, ut consulat libertati puellæ. Erit tamen crimen enormissimum, & graviter puniendum.

Quæres, *An iste raptus, et hoc impedimentum incurratur, quando fit post sponsalia, aut post matrimonium ratum non consummatum*; v.g. si sponsus per vim abducat sponsam, aut uxorem, quæ vellet deliberare de ingressu Religionis ante consummationem.

Resp. 1. Non incurri post matrimonium ratum, quia tunc vinculum totum matrimonii existit cum sua indissolubilitate, licet fiat injuria uxori volenti deliberare.

Resp. 2. incurri post sponsalia: quia tunc læditur libertas sponsæ, aut sponsi.

Quæres 2. *An hoc impedimentum incurratur ex parte feminæ, si virum invitum rapiat ad contrahendum.*

Resp. affirmativè, & probabiliter. Nam licet magis ordinariè violentia hæc fieri soleat feminis potiùs, quàm viris, tamen si aliqua fœmina potens ita rapiat virum per suos, ut cogat eum ad nubendum cum ipsa, non video, cur ista lex Canonica non suffragetur viro illi æquè, ac feminæ. Quia, ut dicebam, Ecclesia sic voluit consulere libertati Matrimonii, quæ tam necessaria est ex parte viri, quàm feminæ. Nec in his diutius immorandum.

DISPUTATIO V.

De dispensationibus impedimentorum matrimonii.

QUid sit dispensatio, diximus in tr. de Legibus, & quænam requirantur, ut quis dispensare possit. Dicemus autem hic præcisè de dispensationibus in impedimentis, maximè dirimentibus. Nam de merè prohibitivis non est tanta difficultas.

QUÆSTIO I.

An in impedimentis matrimonii detur, vel dari possit aliqua dispensatio.

DIspensatio propriè, ut diximus aliàs, est juris relaxatio facta ab habente potestatem legitimam: impropriè verò est juris interpretatio, seu, declaratio. Unde patet, quòd inferior non potest propriè dispensare in lege superioris: benè verò impropriè per interpretationem, qua judicat, quòd in certis casibus lex non obligat, nec superioris intentio fuit, ut tunc obligaret. Nam Doctores legum sic eas interpretantur. Propria autem spectat ad solum ipsum legislatorem, aut ejus delegatum cum plenitudine potestatis.

Diximus etiam, quòd ad justam, & legitimam dispensationem requiritur causa rationabilis: alioqui dispensans sine rationabili causa peccat; quamvis fortè valere posset dispensatio. Quærimus ergo, an in Ecclesia sit aliqua facultas dispensandi in impedimentis dirimentibus matrimonii.

Suppono autem ex disputatione præcedenti, quòd impedimenta hæc reducuntur ad tres classes juxta jura, quibus statuuntur. 1. alia sunt juris purè naturalis, 2. alia juris Divini, 3. alia humani Ecclesiastici, quædam verò ex pluribus, vel omnibus illis juribus participant. His positis

CONCLUSIO I.

Nulla potestas creata dispensare potest propriè in impedimentis, quæ sunt de jure naturali, aut Divino.

Prob. 1. ex Scoto, qui, ut diximus tr. de Legibus, vix putat Deum dispensare posse in *jure naturæ*, saltem primario; ergo multo minus id poterit potestas creata.

Prob 2. in eo, qui dispensat in aliquo jure, requiritur superioritas, & potestas ordinaria, vel delegata, ut dictum est tr. de legibus, sed nulla pura creatura est superior, nec habet potestatem ordinariam, vel delegatam supra jura divina, vel naturalia; ergo &c.

Prob. 3. v. g. in impedimento erroris, aut violentiæ. Nam essentiale est matrimonio, sicut & omni contractui humano, ut sit liberè volitum; nec potest in hoc dispensari, quia essentiæ rerum sunt immutabiles; sed in casu erroris, & violentiæ non est volitio, nec libertas; ergo per nullam potestatem creatam potest validari matrimonium factum ex errore, aut violentia. Prob. min. nihil enim volitum, quin præcognitum, & violentia excludit formaliter voluntarium; ergo &c.

Confir. ex dictis supra de illis impedimentis: nam inde patet, quanta sit necessitas libertatis ad essentiam, & valorem matrimonii.

CONCLUSIO II.

In aliquibus impedimentis, quæ sunt de jure naturali secundario, vel divino positivo, Papa potest dispensare impropriè, seu declarativè.

Prob. 1. nam impedimenta conditionis, consanguinitatis, & impotentiæ, sunt de jure naturæ, ut patet ex dictis: sed in istis potest Papa dispensare declarando casus, in quibus non impediant: ergo &c. Prob. min. 1. de conditionibus cap. *si conditiones*, ubi Greg. IX. statuit, quòd si conditiones appositæ contractui matrimonii sunt turpes, vel impossibiles, non impediunt, & censentur non appositæ, & quòd, quæ contrariæ sunt substantiæ matrimonii, invalidant illud: sed conditiones appositæ in contractibus sunt illis essentiales, & de jure naturæ: Papa declarat, & dispen-

dispensat in hoc impedimento; sc. declarat, quando conditiones non impediant, vel impediant.

Prob. eadem min. de consanguinitate, nam ut notat S. August. cap. *Cùm igitur*, & ut diximus, post creationem fiebant matrimonia in 1. gradu lineæ transversæ, sc. inter fratres, & sorores ob inopiam personarum. *Viri sorores suas acceperunt uxores, quod profectò, quantò est antiquius, cogente necessitate, tantò postea factum est damnabilius, Religione prohibente*; ergo aliquando in gradibus prohibitis consanguinitatis contingit dispensatio, &, si unquam adesset similis necessitas, similis dari posset dispensatio.

Confir. ex dictis, nam olim impedimentum consanguinitatis extendebatur ad plures gradus, quàm nunc, & Ecclesia declaravit, in quibus gradibus dirimebat, ut in Concilio Neocæsar. declaravit, & prohibuit matrimonium ejusdem viri cum duabus sororibus, aut ejusdem fœminæ cum duobus fratribus. Gregor. Mag. dispensavit cum Anglis, ut ultra 3. aut 4. gradum consanguinitatis, vel affinitatis possent nubere, (nam tunc istud impedimentum longiùs extendebatur.) *Ne gens, quę nuper ad fidem venerat, à bono, quod cœperat, metuendo austeriora recederet*, & intra 2. & 1. omninò prohibuit. Gregor. II. circa an. 721. idem concessit Germanis post 4. gradum, *quia temperantia magis, & præsertim in tam barbara gente, plus placet, quàm strictio censuræ*. Tunc etiam longiùs extendebatur hoc impedimentum. Denique hodie intra 3. & 4. gradum aliquando dispensatur; ergo &c.

Prob. 3. p. ejusdem min. de impotentia. Nam, de facto Nicol. 1. cap. *ubi non est*, permittit impuberes, qui ex ætate sunt impotentes, nubere: *si aliqua urgentissima necessitas interveniat; utpote, pro bono pacis, talis conjunctio toleretur*. Et Gregor. 1. cap. *Requisisti*, de quodam impotente decernit, iste *si non potest ea uti pro uxore, habeat eam quasi sororem. Quod si retinaculum conjugale voluerint rescindere, maneāt innupti*; ergo permittit matrimonium cum impotente. Et cap. *consultationi*, de fęmina clausa respondet Lucius III. quod *licet incredibile sit, quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium, Romana tāmen Ecclesia consuevit in similibus judicare, & quas tamquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores*. Ergo Papa potest

declarare, quod in aliquibus impotentia non dirimat, & illis permittere conjugium.

CONCLUSIO III.

Papa potest dispensare in omnibus impedimentis dirimentibus ex lege positiva Canonica, & aliquando Episcopi.

Prob. 1. p. quia ex regulis juris; *Omnes res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*; ergo Ecclesia potest dispensare in omnibus impedimentis per illam statutis, sed tota potestas Ecclesiæ est in Papa ejus capite; ergo &c.

Prob. 2. ex Concil. nam in Lateran. IV. dicitur, quod *non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur*. Ideo tollit impedimentum in 2. & 3. gradu affinitatis, & inter filium 2. matrimonii cum cognatione prioris viri, & inter consanguineos ultra 4. gradum, quia *in ulterioribus gradibus, jam non potest absque gravi dispendio talis prohibitio generaliter observari*. Item ex Trid. in quo anathematizantur dicentes, *non posse Ecclesiam in ullis gradibus dispensare, aut constituere, ut impediant, vel dirimant*; ergo &c. vide alios Canones, & probationes apud Brancatum nostrum.

Prob. 2. p. 1. communiter docent Theologi, & Canonistæ, quòd Episcopus dispensare potest in impedimentis occultis, & casibus necessitatis, maximè pro miserabilibus personis, quæ non possunt facilè recurrere ad Papam, & quando ex bona fide contraxerunt, & non possunt sine scandalo separari, aut imminet detrimentum gravissimum, aut periculum sit in mora.

Prob. 2. Nam ut docet idem Brancatus, præsumitur Papam nolle tam stricto vinculo ligare fideles, ut in his casibus debeant separari, donec obtinuerint dispensationem, maximè pro remotioribus locis; ergo Papa ipse præsumitur relinquere Episcopis dispensationem in illis casibus.

Confir. nam alioqui pro illis personis jugũ Christi, & leges Ecclesiæ non essent suavia, sed dura, & moraliter impossibilia; aliqui cogerentur detegere propriam turpitudinem, alii exponerentur gravibus damnis vitæ, inimicitiæ capitalis, mutilationis, &c.

quan-

quando sc. parentes, & alii viderent matrimonia non perfici, aut consummari; ergo &c.

Confir. 2. Nam in casibus reservatis, urgente necessitate pro iis, qui non possunt recurrere, solet Papa permittere, ut Ordinarii absolvant; ergo & ut in iisdem casibus dispensent ab aliquibus impedimentis.

Confirm. denique ex praxi: nam de facto Episcopi in Gallia dispensant non solum in 4. sed etiam in 3. gradu affinitatis, & consanguinitatis, non ubique id faciunt.

Dixi, *in occultis*; non enim puto id fieri posse in publicis; nam inferior non potest dispensare in legibus superiorum; sed ista impedimenta sunt leges superiorum; sc. Papæ, & Conciliorum, quorum potestas est superior potestati ordinariæ Episcopi: alioqui potestas ejus esset æqualis Papali; ergo &c.

Igitur 1. si post celebrata sponsalia, & in dicto die nuptiarum detegeret quis impedimentum affinitatis contractum ex copula fornicaria unius sponsorum cum alterius consanguineo in 2. vel 3. gradu, nec possit adiri Papa, nec differri nuptiæ sine scandalo gravi, vel periculo gravis infamiæ, aut aliorum malorum, aut detectionis impedimenti cum infamia, valde probabile puto Episcopum posse cum illis dispensare.

2. Idem est de crimine dirimente, si post contractum, & designationem diei nuptiarum adverterent sponsi adesse tale aliquod crimen occultum, nec posset differri celebratio sine gravi scandalo, vel periculo gravis infamiæ, aut alterius mali etiam gravis, posset Episcopus in foro conscientiæ dispensare.

3. Idem est de similibus casibus, nec puto SS. Pontificem, aut Ecclesiam, quæ piissima est mater, hanc facultatem Episcopis denegasse.

Objic. Hæ rationes valerent etiam pro impedimentis publicis, sed nemo diceret Episcopum dispensare posse in publicis; ergo nec in occultis.

Respondeo neg. maj. nam in publicis non urget timor ullius ex illis periculis, quia jam periit bona fama ex publicitate criminis, ex quo veniret impedimentum.

Hæc autem puto vera non solum in matrimoniis bona fide contractis, sc. ante notitiam, vel advertentiam talium impedimentorum, sed etiam in matri-

moniis contrahendis; quia pro utrisque valent rationes illæ in illis, & similibus casibus.

Porrò hæc fusiùs discutienda relinquo Canonistis, ad quos præcipuè spectat hujus materiæ discussio. Placet tamen specialiter inquirere de impedimento voti solemnis.

QUÆSTIO II.

An Papa dispensare possit in impedimento voti solemnis cum Religioso professo.

HÆc difficultas solet acriùs controverti inter Theologos, & ideo juvabit eam discutere pro complemento hujus tractatus.

CONCLUSIO.

SUmmus Pontifex dispensare potest in impedimento voti solemnis in Religione approbata, ita ut matrimonium talis Religiosi valeat supposita dispensatione Apostolica. Est communissima contra Thomistas, non quidem omnes, nec contra D. Thomam nam P. Bancel. To.7.p. 534. asserit, quod potest etiam ex mente S. Thomæ summus Pontifex in voto solemni Religionis dispensare, propter communem Ecclesiæ utilitatem, vel aliam similem rationabilem causam, & id probat ex textibus S. Doctoris.

Prob. 1. ex Scoto, qui totam vim hujus impedimenti petit ex lege Ecclesiæ, quæ *illegitimavit sic voventem*: nam Papa potest dispensare in legibus positivis Ecclesiasticis, habet enim plenitudinem potestatis in Ecclesia; ergo &c.

Prob. 2. Quia ratio nulla probat potestatem Papæ in hoc esse limitatam; ut patebit solutione objectionum; ergo in hoc potest dispensare. Prob.cons. Debemus agnoscere in capite Ecclesiæ omnem potestatem, quæ illi convenire potest sine absurdo, & pro recto ejus regimine, & fidelium bono: sed quod habeat potestatem dispensandi in voto illo, nihil est absurdi, & utile potest esse bono fidelium, & regimini recto Ecclesiæ; ergo &c.

Confirmatur ex Script. nam in Euangelio Christus dat Petro, ut capiti Ecclesiæ plenissimam potestatem, & claves regni cœlorum sine restrictione, dicens: *Quod-*

Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis; ergo &c.

Prob. 3. Si quid probaret hanc impotentiam, & indispensabilitatem, maximè connexio necessaria hujus voti cum cęlibatu ex jure naturali, aut Divino: sed hæc ratio nulla est; ergo &c. maj. continet principale fundamentum adversariorum; neque ex alio capite prætendi potest. Prob. min. 1. quia probatum est supra hoc impedimentum non venire ex jure naturali primario, neque ex Divino. 2. Quia ab initio, & per quinque prima sæcula publicati Euangelii nihil constabat de tali impedimento; & tamen tunc, & ab omni ævo viguit jus naturale, & jus omne Divinum; ergo &c. Prob. ant. Nam tempore Innoc. I. qui sedebat initio 5. sæculi, mulier, quæ nupserat post votum solemne castitatis, non jubetur separari à viro suo, nec cogi ad pœnitentiam vivente viro, ne pęnitentia cedat in injuriam conjugii, quo uti non poterant pœnitentes. *Quæ Christo spiritualiter nupserunt, si postea, vel publice nupserint.... non eas admittendas esse ad pænitentiam agendam, nisi is, cui se junxerat, de sæculo decesserit.* Idem colligitur ex Leone Magno. *Qui relicta singularitatis professione, ad militiam, vel ad nuptias devolutus est, publicæ pænitentiæ satisfactione purgandus est* (perpende rationem) *quia, & si innocens sit militia, et honestum potest esse conjugium, electionem tamen meliorem deseruisse, transgressio est.* Non dicit irritum, & invalidum, sed irrationabile.

Idem patet ex Concil. Chalcedon. an. 451. *Si qua virgo se dedicavit Deo, similiter Monachus non licere eis jungi nuptiis. Si verò inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati.* Non ergo jubet eos separari, nec censet matrimonium irritum esse, sed purè illicitum. Fateor, quòd paulò post talia matrimonia cœperunt irritari, ut constat ex Gregorio Magno, qui sedebat an. 590. & ex Concil. Tolet. IV. circa an. 533.

Prob. denique ex facto. Nam Ecclesia non semel in hoc voto dispensasse legitur, ut cum Nicolao Justiniano Monacho, cum Rege Aragoniæ, cum Constantia filia Rogerii Siciliæ Regis, quæ Henrico VI. nupsit &c. Certè casus accidere potest, ut tales dispensationes sint necessariæ pro ingenti bono totius Reip. Christianæ, vel totius regni tranquillitate; nec probabile est

Christum sponsæ suæ negasse hanc facultatem in tam urgentibus casibus.

Objicies 1. cap. *ad Monasterium*, ubi Innoc. III. decernit, quod *abdicatio paupertatis, & custodia castitatis adeo est annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere*; ergo ex Decretali declaratione ipsius Papæ, non potest dispensare in hoc impedimento.

Resp.neg.cons. Nam Papa intelligit, quod Monachus manens Monachus non potest dispensari in paupertate, vel castitate, quia (inquit glossa, & ipse Papa) *hæc sunt adeo connexæ Regulæ Monachali*, &c. Sed non dicit se non posse dispensare hominem à Monachatu. Unde quando Monachi, seu Religiosi fiunt Episcopi, dicuntur dispensari ab observantiis regularibus, & ab ipsa paupertate, & obedientia.

Inst. ex Glossa, in tantùm posset Papa dispensare in votis illis, in quantum posset illa commutare in melius: sed *nullum invenitur majus, vel æquale bonum, in quod possit commutatio fieri*; ergo &c. Prob.min. quia *sola castitas potest cum fiducia præsentare Deo animas*, sed nullum bonum est isto melius, vel æquale, *quam enim homo dabit commutationem pro anima sua*? ergo &c.

Respond. 1. Idem argumentum probaturum, quod non possit dispensari, ne quidem in voto simplici castitatis, quia non habetur majus bonum, in quod illa possit commutari; sed hoc est falsum, & contra adversarios, qui non negant Papæ hanc potestatem in voto simplici.

Respondeo 2. neg. maj. Nec enim commutatio est idem cum dispensatione, nec tanta requiritur potestas ad commutandum, quanta ad dispensandum, quidquid dicat Glossa.

Resp. 3. negari posse min. nam casus, in quibus supponimus posse dispensari, faciunt, ut custodia castitatis sit minus bonum, quàm matrimonium, & Deus ipse in illis circumstantiis non tanti facit eam, quàm illud. Dico, *in illis circumstantiis*, nam, absolutè, status castitatis longè præstat matrimoniali, ex se, & ex objecto suo.

Objic. 2. Papa, per nos, non potest dispensare in jure naturali, & Divino, sed votum solemne Religionis approbatæ est de jure naturali, & Divino: ergo &c.

Prob.

Prob. min. Quod est essentiale statui instituto à Christo, est de jure Divino, & naturali; sed castitas est essentialis statui religioso, qualis institutus est à Christo Deo; ergo &c.

Resp.1. dist.maj. non potest dispensare absolutè, & simpliciter, tollendo obligationem totam, conc. secundum quid, & declaratoriè, & ex speciali delegatione, neg. maj. & cons. nam in his dispensationibus Papa declarat non fuisse intentionem voventis obligandi se in talibus circumstantiis: nec Deum per Ecclesiam intendisse acceptare illa vota, & professionem, & sic hanc non obligare, sed esse nullam.

Resp 2.neg. min. nam, ut volunt adversarii, quod indispensabilitas veniat ex solemnitate, ita venit ex instituto Ecclesiæ, sicut & ipsa solemnitas votorum, & professionis; ergo & incompatibilitas ejus cum matrimonio, quantum ad hoc, & præcisè.

Inst. Sed illa incompatibilitas est de jure naturæ; ergo & indispensabilitas. Prob. subs. nam illa castitas, sicut & paupertas, & obedientia sunt de essentia status Religiosi; ergo sunt incompatibilia essentialiter, & naturaliter cum matrimonio.

Resp. dist. sub. Incompatibilitas in sensu composito obligationis voti, conc. in sensu diviso, neg. subs. nam per dispensationem tollitur obligatio religionis, & votorum ejus, cum quibus viget quidem illa incompatibilitas, & essentialitas status illius; sed per dispensationem mutatur status religionis, à quo per illam extrahitur, & tollitur illegitimitas ad matrimonium.

Objic.3. Vota Religionis dirimunt matrimonium jure naturali, & divino; ergo impedimentum hoc est indispensabile utroque jure. Prob. ant. Eodem jure vota religionis dirimunt, quo unum matrimonium dirimit aliud; sed unum matrimonium dirimit aliud ex utroque jure; ergo &c. Prob. maj. Ideo unum matrimonium dirimit aliud, quia per primum unus conjugum tradidit corpus suum alteri, quo vivente ille non est sui juris, nec potest amplius tradere corpus alteri, sed hoc ita est de religioso; iste per professionem tradidit se Deo, & religioni, ita ut non sit amplius dominus sui: ergo eodem modo, & jure professio religiosa impedit, & dirimit matrimonium, scil. jure naturali, & divino.

Resp. neg. ant. & 1. maj. & dist. 2. perfectè tradidit ex natura talis contractus, con. ex alio titulo extrinseco, & positivo; neg. maj. & min. Non enim ita est de professione religiosa. Nam illa traditio non est talis ex natura professionis, sed ex statuto Ecclesiæ. Nec enim à parte rei implicat hominem tradere se Deo, & religioni ad observantiam aliquot regularum approbatarum ab Ecclesia, & quod se sibi reservet ad aliquos usus licitos, aut saltem ad resiliendum in aliquibus casibus, & maximè quando id necessarium, vel expediens videbitur Ecclesiæ; hæc autem reservatio, & conditio virtualiter continetur in omni professione religiosa tam ex parte voventis, quàm religionis, & Ecclesiæ statuentis hoc impedimentum, & acceptantis pro Deo vota illa. In quo non video majorem difficultatem in solemnibus votis, quàm in privatis, & simplicibus.

Objic. 4. Concil. Trid. anathematizat, *Si quis dixerit in sacris ordinibus constitutos, vel regulares solemniter professos posse matrimonium contrahere validè, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto*; ergo non solum ex lege Ecclesiastica, sed etiam naturali, & divina, & ex natura voti hoc impedimentum est indispensabile.

Resp. neg. cons. Imò Concilium apertè tribuit hoc impedimentum legi Ecclesiasticæ, quæ si non obstaret cum ratione voti, cessaret hoc impedimentum.

Id colligitur ex illa clausula, *non obstante lege Ecclesiastica, vel voto*: nam neutrum est indispensabile, sc. nec votum, nec ipsa lex, ut patet ex dictis.

Objic. 5. Papa non potest facere, ut calix consecratus non sit consecratus; ergo neque ut homo professus non sit professus; sed status professionis est absolutè incompatibilis cum statu conjugali; ergo &c. Probat. cons. Consecratio non magis adhæret calici, quàm professio, seu obligatio professionis adhæret religioso.

Resp. 1. retorquendo. Consecratio calicis tolli potest à calice per aliquam mutationem prophanantem; ergo & obligatio professionis.

Resp. 2. dist. 1. ant. In sensu composito consecrationis, seu stante consecratione, conc. in sensu diviso, & sublata consecratione, quæ est possibilissima, neg. ant.

ant. ad 2. ant. dico consecrationem per professionem longè magis adhærere, quàm consecratio adhæreat calici, nec tam facilè Papam in votis illis dispensare, quam potest tollere consecrationem, sed tamen illa est dispensabilis, & auferibilis in casibus necessitatis.

Suppono igitur, quod talis dispensatio non datur sine urgentissima ratione, & necessitate pro bono unius regni, aut Ecclesiæ, qui casus rarissimi sunt, & de illis paucissima sunt exempla.

QUÆSTIO III.

De dispensatione impedimentorum non dirimentium.

Diximus impedimenta secundum quid, & merè prohibitiva esse illa, quæ non irritant matrimonium, si fiat cum uno illorum, sed solum faciunt, ut illicitè contrahatur, ut sũt *interdictum, catechismus, votum simplex, crimen, & sponsalia*, cum his enim contrahi non licet, nec contrahitur sine gravi peccato. Quærimus, quis possit in his dispensare.

CONCLUSIO.

Dispensatio istorum impedimentorum regulariter, et de jure communi spectat ad solum Papam. Aliquando verò, & in casibus necessitatis possunt Episcopi in his dispensare. Videtur communis quoad utramque partem.

Prob. 1. ex Conc. Later. III. & habetur c. *Veniens*, ubi Alex. III. dispensat cum muliere, quæ voverat continentiam in manibus Eremitæ, *Mandans Episcopo, quatenus, si plus non processerit, nec vestem, aut locum mutavit, aut professionem fecit, dictæ mulieri de fide mentita* (fide data promiserat se nupturam alteri viro) *& voto violato, congruam satisfactionem indicas, & ei, cui vult, nubendi in Domino tribuere non postponas*; ergo Episcopus non præsumit dispensare in voto simplici, sed ad Papam recurrit. Et c. *Et si Dominici*, ubi Xystus IV. sibi reservat inter alia *castitatis, & religionis vota, nisi ex speciali licentia, & certa scientia nostra* (& quidem in scriptis authenticis)

ticis) commutare attentaverint, absolutio, & commutatio nullius sint roboris.

Prob. 2. ex praxi Ecclesiæ: nam in his impedimentis recurritur ad SS. Pontificem, nisi casus aliquis necessitatis impediat. Unde

Prob. 3. Nam hæc impedimenta sunt statuta authoritate SS. Pontificum, aut Conciliorum generalium, ac totius Ecclesiæ, quorum authoritas est superior omnibus Episcopis; sed inferior non potest dispensare in legibus superiorum: nam dispensatio est actus jurisdictionis superioris, c. *Inferior*, & cap. *ne Romani*, ubi Clem. V. in Concilio Viennensi decernit, quòd *lex superioris per inferiorem tolli non potest*, &c.

Addit Cabassutius, quòd *aliqui affirmant posse Ordinarios in Regno Galliæ absolutè dispensare ad matrimonium in 4. aut etiam in 3. cognationis, vel affinitatis gradu. Utrum id ita consuetudine invaluerit, ut jus faciat, certum affirmare non ausim.* Hoc facit pro 1. p.

Prob. 2. p. 1. ex dictis supra: nam si in casibus gravioris necessitatis, aut difficultatis, vel impossibilitatis moralis recurrendi ad Papam, & maximè in impedimentis occultis dirimentibus liceat Episcopis dispensare, saltem ex consensu interpretativo Papæ, vel Ecclesiæ, à fortiori hoc eis licebit in istis, quæ non sunt tanti momenti.

Confir. ex Theologis, & Canonistis, quos citat, & sequitur Rossignolius hìc.

Confir. 2. ex Decreto Concil. *Trid.* quo tribuitur Episcopis facultas in sua diœcesi absolvere, & dispensare in multis, *etiam Apostolicæ sedi reservatis*: nam eadem est ratio de his casibus.

Ideo ait Cabassut. cit. ex rationabili causa possunt Ordinarii dispensare circa impedimenta non dirimentia, etiam ad contrahendum matrimonium, exceptis votis simplicibus, & absolutis perpetuæ castitatis, & Religionis, pro quo citat S. Antoninum, & alios. Item docet, quod possunt dispensare circa impedimenta, quæ superveniunt inter conjuges quoad debiti conjugalis petitionem, & usum, v. g. ex affinitate per baptismum, aut incestum contracta.

Dixi, *in casibus necessitatis*, & *extraordinariis*: nam cùm impedimenta hæc statuta sint ab Ecclesia,

sc. SS. Pontificibus, & Conciliis, quorum authoritas est superior Episcopali, certum est, quòd in talibus non possunt Episcopi dispensare ordinaria potestate, quia inferior dispensare non potest in legibus superiorum.

Porrò Concil. Trid. docet, quod *in contrahendis matrimoniis vel nulla omninò datur dispensatio, vel rarò, idque ex causa, et gratis concedatur. In 2. gradu numquam nisi inter magnos Principes dispensetur; vel ob publicam causam.*

Denique monuerim cum S. Bernardo, quòd duæ sunt causæ inculpabilis dispensationis, necessitas, & notabilis utilitas. *Ubi necessitas urget, excusabilis est dispensatio, ubi utilitas provocat. Nam, cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.*

Causas particulares dispensandi tam in dirimentibus, quàm in istis habes apud Casuistas, & apud Cardinalem nostrum Brancatum.

His addi posset disputatio de obligationibus conjugum, & debito conjugali, & usu ejus; sed hæc obvia sunt apud Casuistas, nec junioribus Theologis, qui audiendis confessionibus non incumbunt, necessaria sunt, ideo his supersedebimus.

Hæc autem de Matrimonio, & Sacramentis, imò & de universa Theologia Scholastica sufficiant studentibus nostris ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, ac Sanctissimæ Virginis Deiparæ, & Seraphici Patriarchæ, & Sanctissimi Patroni Sebastiani, totiusque curiæ cęlestis, sub censura S. Matris Ecclesiæ, dicta sufficiant. Die 22. Septemb. an. 1697.

F I N I S.

